



Présentation du corpus

Le projet de numérisation et de valorisation des collections anciennes, présenté par la Bibliothèque Universitaire de Lettres et Sciences Humaines de Nancy et porté par l'Université de Lorraine, concerne un programme de numérisation en Arts, Lettres, Sciences Humaines et Sociales.

Ce projet, piloté par la Direction de la Documentation et de l'Édition de l'Université de Lorraine, présente un ensemble d'ouvrages édités aux XIX^{ème} et XX^{ème} siècles, en relation avec l'histoire, la littérature et les sciences humaines.

Plus qu'un simple catalogue d'ouvrages anciens et intéressants à plus d'un titre, c'est une véritable démarche scientifique que la Bibliothèque Universitaire de Lettres et Sciences Humaines de Nancy met en œuvre.

L'Université de Lorraine prend ainsi pleinement part à un vaste projet national de constitution d'une bibliothèque numérique patrimoniale et encyclopédique.

TRAGODUMENON

LIBRI TRES

SCRIPSIT

THADDAEUS ZIELIŃSKI
UNIVERSITATIS VARSAVIENSIS PROFESSOR

- I. DE LOCIS TRAGOEDIAE GRAECAE RUDIMENTALIBUS
II. DE TRIMETRI EURIPIDEI EVOLUTIONE ◊◊◊◊◊◊◊◊
III. DE IPHIGENIAE ET DANAES MYTHOPOEIA TRAGICA

CRACOVIAE.

SUMPTIBUS POLONICAE ACADEMIAE LITTERARUM
APUD BIBLIOPOLAS GEBETHNER ET WOLFF: WARSZAWA
KRAKÓW — LUBLIN — ŁÓDŹ — POZNAŃ — WILNO — ZAKOPANE

1925

WYDAWNICTWA POLSKIEJ AKADEMJI UMIEJĘTNOŚCI

BIBLIOTEKA PISARZÓW POLSKICH

(Tomiki do nabycia)

1. Fortuny i cnoty różność w historii o młodzieńcu ukazana 1524.
2. Wita Korczewskiego Rozmowy polskie łacińskim jęz. przeplatane 1553.
3. Marcina Kwiatkowskiego Książeczki rozkoszne o pocziwem wychowaniu dziatek 1564 i Wszystkiej Liffflanckiej ziemi opisanie 1567.
4. Marcina Bielskiego Satyry.
5. Szymona Szymonowicza Castus Ioseph przekładania Stanisława Gosławskiego 1597.
7. Mikołaja Reja z Nagłowic Żywot Józefa z pokolenia żydowskiego 1545.
8. Proteus abo Odmieniec. Satyra z roku 1564.
9. Jana Seklucyana Oeconomia albo Gospodarstwo 1546.
10. Krzysztofa Pussmana Historia bardzo cudna o stworzeniu nieba i ziemi 1551.
11. Rozmowa Polaka z Litwinem 1564.
12. Jana Mrowińskiego Płoczywłosa Stadło małżeńskie 1561.
13. Historia prawdziwa, która się stała w Landzie mieście niemieckim 1568.
14. Henryka Korneliusza Agryppy O ślachtetności a zacności płci niewieściej, przekład Macieja Wirzbięty 1575.
15. Teodora Zawackiego Memoriale oeconomicum abo pamięć robót i wszelakiego dozoru gospodarskiego 1616.
16. Hermana Schottena O onocie abo żywocie człowiekowi przystojnym.
17. Stanisława Słupskiego z Rogowa Zabawy orackie 1618 i Władysława Stanisława Jeżowskiego Oekonomia 1638.
18. Piotra Cieklińskiego Potrójny z Plauta 1597.
20. Historia prawdziwa o przygodzie żalosej księżęcia finlandzkiego Jana i królowny Katarzyny 1570.
21. Jakóba Górskiego Rada pańska 1597.
22. Postępek prawa czartowskiego przeciw narodowi ludzkiemu 1570.
24. Trzy broszury prawne z r. 1607 i 1612.

TRAGODUMENON

TRAGODUMENON LIBRI TRES

SCRIPSIT

THADDAEUS ZIELIŃSKI
UNIVERSITATIS VARSAVIENSIS PROFESSOR

- I. DE LOCIS TRAGOEDIAE GRAECAE RUDIMENTALIBUS
- II. DE TRIMETRI EURIPIDEI EVOLUTIONE ◊◊◊◊◊◊
- III. DE IPHIGENIAE ET DANAES MYTHOPOEIA TRAGICA

CRACOVIAE

SUMPTIBUS POLONICAE ACADEMIAE LITTERARUM
APUD BIBLIOPOLAS GEBETHNER ET WOLFF: WARSZAWA
KRAKÓW — LUBLIN — ŁÓDŹ — POZNAŃ — WILNO — ZAKOPANE

1925

TVPIŠ UNIVERSITATIS JAGELLONICAE, PROVISORE JOSEPHO FILIPOWSKI.

LIBER PRIMUS.
DE LOCIS TRAGOEDIAE GRAECAE
RUDIMENTALIBUS.

CAPUT I.

Locorum rudimentalium ratio explicatur.

1. Locorum rudimentalium ratio — liceat enim et hic et alibi vocabulis uti, quae etsi subbarbare sonant, rem tamen simpliciter et praecise exprimunt — relatione nititur, quae inter posteriorem poetam ejusque antecessorem, ubicumque a mythopoeia ab illo instituta aberravit, aut sua sponte aut etiam ipsius consilio et voluntate existit. Habet enim haec mythopoeia, licet ipsa quoque tota in fictione posita fuerit, imperativam quandam vim, ut qui ab ea desciverit, non tamen aequo animo, tamquam in vacuo et derelicto solo, suum ipsius aedificium extruere audeat. Saepe inter novae superficiei parietes et columnas emergunt vetustioris architecturae neglecta rudera; saepe etiam ipsius poetae interesse videtur, ut non inscius aut superbus antecessoris operam reliquisse credatur, sed consulto id egisse, ut pro deterioribus meliora poneret.

Mira narrare videbor: quid quod ne novae quidem Europae poetae ab hac sive negligentia sive religione alieni fuerunt? Equidem certo scio, modo diligenter attendatur, innumera hujus rationis exempla inveniri posse; etenim saepenumero, cum animi oblectandi causa Shakespearii vel Grillparzeri vel aliorum dramata cum exemplaribus

eorum compararem, in talia incidi; quae pleraque ex memoria mea rursus evanuerunt, partim enotata in rerum mearum naufragio interierunt, partim servata quandoque, si operae pretium fore videbitur, amplioribus dissertationibus inclusa prodibunt. Nunc ad tragoediam Graecam propero; quoniam antem recentiora facilius recentiorum hominum animos attingunt, simulque ut res ipsa expeditioribus explicetur exemplis, pauca e multis placet prae-libare.

2. Cum igitur Poloni simus, ordinem ducat summus poeta noster, A. Mickiewicz, ejusque ballata, cui Świtez' nomen indidit, a lacu patrio, cujus nympa ab audacibus exploratoribus capta miraculosa sua sororumque suarum fata enarrat. Stabat illic quondam opulenta civitas; quae cum propter ipsam suam felicitatem vicinorum Moscovitarum invidiam movisset neque impetum eorum sustinere posset, juvenes matronae puellaeque extremam turpitudinem sibi impendere videntes... sed reliqua ipsius poetae verbis referre praestat ut potui latine translatis:

»Dirae illam maneant, quae vitam abrumpere cessat!»

Clamor it; hanc flammam tollere qui potui?

Jamjam cervices cunctae trans limina tendunt,

Auget femineas dura bipennis opes.

Ecce nefas! Quid enim? Veniant impune catervae,

Ut ferat, indignum, turpia vincla manus?

An placet huic fato mortem praeferre scelestam?

»Pro Deus!« exclamo, »supplicibus fer opem!

»Effugere hostiles miseris si non licet iras,

»Tu, precor, innocuis instrue mortis iter:

»Aut tuus in cineres ignis pia corpora vertat,

»Aut vivis tellurem hiscere, Sancte, jube!»

Protinus orantem nubes circumdedit alba —

Sic noctis tenebras discutit alma dies. —

Praerictos oculos terrae demittere tempto —

Nec jam terra oculis cernitur ulla meis.

Sic nos servitium caedemque effugimus una;
Floribus ut niteant haec loca laeta vides?
Hae tibi Svitiesiae florent nataeque nurusque,
Has formas jussae numine ferre Dei.

Actorum seriem hanc esse vides: servitii mala effugere cupientes fortissimae puellae voluntariam mortem sibi consciscere volunt; et jam in eo res erat, ut scelestum consilium — scelestum secundum christianam doctrinam, cui ne Lucretiae quidem suicidium probatum fuisse ex S. Augustini »Civitate Dei« scimus — exequerentur, cum una ex eis, ipsa narratrix, Deum ut ipse oppressis extremam opem ferat precatur. Nec defuit ille precanti: antequam enim puellarum cruor terram aspergeret, urbem in lacum demersit, ipsas in flores mutavit.

Hoc igitur argumentum poeta non totum finxit, sed maximam partem ex traditione populari in rem suam transtulit, unum tantum immutans: ibi enim puellarum suicidium revera patrat. Quid ergo fecit poeta? Num omnino abiecit locum, qui christianam ejus conscientiam offenderet? Non credo quemquam quidquam desideraturum fuisse, si hoc fecisset; ipse tamen aliam rationem instituit. Reliquit suicidium in solo puellarum consilio, quod ipse Deus interventu Suo irritum reddidit. Ita factum est, ut locus, qui in fabula exemplari efficax fuerat, quippe sine quo argumentum ejus omnino consistere non potuerit, apud poetam imitatore in locum rudimentalem converteretur. Atque hoc est unum locorum rudimentalium genus, cui irriti consilii nomen dedit.

»Locum« cum dico, rhetorum antiquorum morem secutus idem exprimere volo, quod nos more hodierno »motivum« appellamus; paulisper etiam dubius haesi, an retinenda esset utilis sane et commoda vox, latinae praesertim prosapiae: veritus tamen sum, ne »motivorum rudimentalium« continuata barbaries elegantiorum hominum oculos offenderet. Sciunto tamen »locos rudimentales« eandem vim habere; quibus respondent in mythopoeia exemplari ei, quos

modo »locos efficaces« dixi. Hi ad fabulae progressum necessarii sunt; illis cum facile carere possimus, ex auctoris potius mente quam ex fabulae necessitate explicandi sunt.

3. Secundus in aspectum nostrum prodeat summus Russorum poeta Puszkinus quique ejus vestigia pressit, non ignobilis et ipse poeta, Alexius comes Tolstoj. Uterque drama conscripsit mira Pseudodemetrii fata continens, utrumque 'Boris Godunov' inscriptum. Sed Puszkinus vulgatam sui temporis famam secutus hunc Pseudodemetrium, Ioannis Terribilis personatum filium, eundem esse censuit atque Gregorium quendam Otrepiev, monachum erronem; itaque summo cum lepore ac venustate ambitiosa ejus in monasterio somnia, audacem trans fines Lithuanicos fugam, superbum et impostorium apud magnatam Polonum habitum et mirabilem in Moscoviam ad imperium occupandum reditum exposuit.

Hanc igitur rationem totam abjecit Tolstojus, haud contemnendos et ipse historicos secutus, qui omnino fieri posse negabant, ut Pseudodemetrius, acerrimi vir ingenii et solio prorsus non indignus, idem esset atque erro ille monachus. Quid ergo? Num omnino famam illam abjecit? Immo viam iniit historico quam poetae accommodatiorem. Finxit enim principem cum propinquo suo, Symeone Godunov, de novo illo impostore colloquentem; cujus origo cum ab utroque ignoraretur, objecit Boris utile fore ad excitatos vulgi animos sedandos, si ei nomen aliquod, ficticiam sane, sed certum idemque ignobile daretur. Tum Symeon de Gregorii illius monachi fuga eum edocet; cetera itidem poetae verbis persequor:

Bor. Quid si sub illa pelle monachus hic latet?

Sym. Ne credideris, mi domine: similest nil eis.

Nimium ille prudens atque lepidus est latro,

Gladio ferire doctus; nil sapit hic, nisi

Potare de die atque mentiri miser.

Videsne ut dissimulanter in antecessorem suum inve-

hatur, qui tam diversa ingenia in eodem pectore habitare posse putaverit? In aliud igitur incidimus locorum rudimentalium genus. Apud Puszkinum Pseudodemetrii cum Gregorio identitas — liceat enim utilibus uti vocabulis — efficax erat locus, quippe quo tota fabula niteretur; apud Tolstojum in rudimentalem abiit ejus generis, cui nos et hic et alibi dissimulatae invectivae nomen ponemus. Videtur enim Symeon eis, quae excripsimus, verbis propinquum suum refellere; revera autem, ut jam dictum est, poeta leniter antecessorem suum carpit. Adde quod non sine vi quadam invectivae occasionem arripuit; quicunque enim animo non praeoccupato scaenam illam legerit, mirum ei videbitur, unde tandem Boris princeps improbabilem illam de Pseudodemetrii cum Gregorio identitate conjecturam capere potuerit. Atque hanc quidem vim in dissimulatis invectivis etiam saepius animadvertere licebit.

4. Tertium adjungere libet Germanicum poetam etsi non primi ordinis, ingeniosum tamen mihi que inter paucos earum, Carolum dico Immermannum. 'Mythicum' ejus drama, quod 'Merlinum' inscripsit, pro argumento habet notam mediaevalem fabulam de Satanae filio ad Christi exemplum creato. Creatus est autem ipse quoque ex infemerata virgine, cui nomen est Candida. Cum igitur in dramatis prologo Satanus de consilio suo Luciferum, qui ei quasi *προτατικόν* quoddam *πρόσωπον* pro fido ministro est, certiozem facit, tale inter eos lyricum colloquium exoritur.

Luc. Vin pestifero conficiam ictu
 Sata cum domibus, pecus atque ipsos,
 Ut victa malis reneget fastum
 Dominoque manus tua Candida det?

Sat. Immo digito illam ne attigeris!
 Tun mendici reris me instar
 Ad terrificas confugere minas?

Domini imperio satis est verbum,
 Quod continuo sequitur res.

Luc. At imaginibus veneris vetitae
 Sine virgineae menti illudam,
 Ut deliciis male praereptis
 Tota medullis resoluta cubet!

Sat. Indigna sonas. Juvet hoc parvos,
 Quibus adrosis opus est pomis,
 Ne invalidi deficiant dentes;
 Nos intemeratum animum nostro
 Jamjam arbitrio subigemus.

Sciendum est autem Immermannum totum dramatis sui argumentum ex fabula Romanensi hausisse a Dorothea Schlegel edita, ita tamen ut nil nisi externa personarum et actorum lineamenta inepto illi opusculo deberet, altisimum dramatis sensum ex sua ipsius mente adderet. In illa igitur fabula Satanus omnibus his praestigiis, quos hic optimo jure respuit, ad puellae animum et frangendum et pelliciendum utitur¹.

Jam vides hic quoque locum, qui in exemplari efficax erat, rudimenti tantum vim et naturam retinuisse: de genere si quaeris, medium, quoddam statuendum erit inter illa duo, quae jam novimus, priori tamen propius quam posteriori. Haud dubie enim consilium habemus a Lucifero profectum Satanaeque superbia irritum redditum; nec tamen minus dubium est, quin poeta, cum heroes suos honestare conetur, exacerbato animo auctoris sui pusillam rationem impugnet.

¹ Rem breviter tetigi in disputatione mea Germanica, quam de Immermanni 'Merlino' composui (*die Tragödie des Glaubens* [1901] 40 sq.); ibidem simile exemplum attuli ex hoc eodem dramate petitum. Cum enim Merlinus puer matri suae mirificae molis sepulcrum extruxisset, Placidus magister ope eum magica usum esse criminatur; quod ille se fecisse negat. Atqui in fabula Romanensi revera magicis artibus utitur. Habemus «vanae suspicionis» exemplum.

5. Grillparzeri tragoedia *Fidus domini minister* inscripta pro puncto cardinali scelestam vim habet, quam princeps Otto, reginae frater, pulchrae praefecti uxori Erny inferre conatur quaeque fortissimae feminae suicidio irrita redditur. Res ipsa in principis cubiculo agitur, in quo ille repulsa, quam ab ea tulerat, exasperatus aeger jacebat; regina, quae perditae fratrem suum amabat, victa precibus ejus opem ei suam pollicetur, ut cum Erny saltem colloqui possit. Quaerenti igitur sorori, quem tandem locum huic colloquio destinat, »hunc ipsum,« respondet, »cubiculum tuum«. Miratur sane lector: nam, ut modo dixi, in ipsius Ottonis cubiculo res agitur, neque aliter esse poterat, cum ille amore desperato aeger lecto affixus esset.

Nec quidquam proficiemus, si hujus aenigmatis solutionem in ipsa tragoedia quaesierimus; quae si cui curae est, fontem adeat necesse est, ex quo argumentum ejus hausit poeta. Is est doctus pro illo tempore liber, quem Fessler germanice de Hungarorum historia conscripsit. Ibi enim haec de principis stupro leguntur: »portentosum hoc facinus in reginae cubiculo patratum est«.

Quid de hoc loco dicendum est? Contradictionem habemus licet minimi momenti, attamen non dubiam: poeta cum optima ratione principis flagitium in ipsius cubiculo commissum finxisset, hoc uno loco manifesto a proposito aberravit et ad auctoris sui topographiam rediit. Num prudens et vigilans? Quasi vero ulla hujus aberrationis probabilis ratio reddi possit! Immo dormitasse videtur egregius artifex: cum Fessleriana mythopoeia reginae cubiculum, nova quam finxerat principis indicaret, titubante memoria antiqua vestigia prae novis lineamentis secutus est. Ut ut est, rudimentalem locum agnoscere debemus; ipsum genus contradictionis nomine comprehendemus.

Nonne tamen in proxima hujus loci vicinitate etiam irriti consilii exemplum reperiemus? Apud Fesslerum eam revera patratur nefandum in infelici femina

stuprum; apud poetam praevenit latronem victima mortem sibi ultro consciscendo. Recte hoc quidem; nec tamen inter rudimentales hic locus recipiendus est. Retinet enim efficacitatem suam facinus ab Ottone temptatum, cum unica heroinae suicidii causa existat, qua remota tota tragoediae actio corrueret — cum in Mickiewiczii ballata temptatum Svitesianarum suicidium ut ad augendam peripetiam valet, ita sine magnæ actionis damno ex rerum gestarum nexu solvi possit. Mitigavit tantum elegans poeta antiquae famae horrorem, quem in tragoediam receptum non aequo animo laturi erant spectatores; non utique ad rudimentum eum redegit. Nec tamen longe hic »mitigatus« locus ab illo rudimentali abest, practicam praesertim rei rationem spectanti. Nam si quis artis dramaturgicae peritus diligenter tragoedia perfecta Ottonis consilium, quod apud poetam irritum est factum, in fonte ejus ratum fuisse suspicatus erit, is ipso fonte adhibito recta se suspicatum esse videbit.

Sed haec in transitu monui; ceterum novum rudimentorum genus, contradictiones dico, non invitus enotabit lector.

6. Haec sufficiant oportet; neque enim in animo erat omnia rudimentalium locorum genera ex novorum poetarum operibus illustrare. Nec tamen abs re erit, priusquam ad antiquos transeamus, haec ipsa genera breviter percensere, ut idonea parataque quasi saepa habeamus, in quibus exempla a vetere tragoedia suppeditata tributim disponere possimus.

Et proximo quidem capite eos rudimentales locos tractare placet, quos modo attingi quibusque contradictionum simplex praegnasque nomen dedi. Hi praeter ipsam hanc contradictoriam naturam suam etiam eo a ceteris differre videntur, quod ab inconscio imprudentique poeta in fabulae textum admissi sint. Nec dubito quin plerumque ita se res habuerit; nimis tamen premere hoc momentum non ausim. Nam et per se lubrica est haec ratio

in animum poetae penetrandi, antiquissimi praesertim, nec confidenter dici potest nullum inter conscientem inconscientemque animi statum tertium mediumque dari. Sed haec commodius tractabuntur, cum ad singulos locos accesserimus.

Post contradictiones novum nobis genus in quaestionem veniet conduplicationum. Neque enim raro accidit ut posterior poeta, postquam antecessoris locum prae suo, efficaciore scilicet vel ipsa novitate commendato, sprevit, tamen socialiter juxta eos ponat, ubi nullum tragicæ actioni inde damnum nasci suspicatur. Saepe hoc fit in quisquiliis, interdum tamen etiam in gravioribus locis.

Tertium agmen implebunt ea, quae supra irrita consilia dixi, varium sane et multiplex genus. Pertinet huc consilium ab ipsa agente persona profectum et extrinsecus, vel ipsius actionis processu ad irritum redactum, id quod supra Mickieviczii ballata illustravimus; pertinet etiam agendi modus a collocutore agenti personae propositus ab eaque rejectus, quam rationem apud Immermannum in ‚Merlino‘ invenimus; pertinet actio incohata et in ipso limine interrupta; pertinet mentis futuri male praesentiae augurium; pertinent etiam aegri somnia. Haec omnia nobis singillatim perlustranda erunt.

Quartum genus brevitatis causa simplici variae famae nomine insignire placet; nec tamen semper unam eandemque praebet speciem. Huc enim et falsa eademque tamen sedula suspicio trahenda est, qualis illa Placidi in ‚Merlino‘ erat, et consciae mentis elaboratum mendacium, et dolosa dissimulatio et quae eorum similia sunt.

Quintum ultimumque scrinium dissimulatis inventivis assignavimus, cujus tamen vocabuli vim nolim nimis a lectoribus premi; quid valeat, satis Tolstoji Immermannique exempla docent. Eisdem exemplis patefactum est propinquitatem quandam intercedere centuriae nostrae vel cum irrito consilio, quae ‚Merlini‘, vel cum falsa suspitione, quae ‚Godunovii‘ erat ratio; et revera fieri potest, ut interdum dubius haereat animus. Ubi tamen refellendi adver-

sarii apertum est consilium, nostro jure hoc quintum genus agnoscemus

7. Horum si aliqua legentibus subobscura visa erunt, spero tamen fore ut pertractatis singulis satis ampla luce illustrentur. Sed ego supra (p. 8) cum de Grillparzero agerem, etiam practicam quandam rei rationem attigi, mirante puto lectore; quae enim alia talium quaestionum ratio existere potest, nisi ut poetarum inventis diligenter inter se comparatis ars eorum penitus cognoscatur?

Valet hoc in novorum auctorum operibus; antiqua autem, tragoediae praesertim, ea conditione nobis servata sunt, ut antecessorum exemplaria plerumque perierint. Non igitur, ut exemplo utar, ex Euripidis *Andromacha* cum Sophoclis *Hermione* comparata hic vel ille locus, qui apud Euripidem extat, rudimentalis esse evincitur, sed, cum Sophoclea tragoedia perierit, ex rudimentali Euripidei loci caractere de eo, qui apud Sophoclem efficax fuerit, conjectura capienda est.

Ingentis narrare videor rem utilitatis. Quis enim humanioris mentis mortalis, dum Nauckianum antiquae tragoediae coemeterium pervagatur, sine gravissimo animi luctu hanc tantam tamque indigne peremptam pulcritudinem repraesentare poterat? Nec defuerunt sane, praesertim post egregiam Welckeri operam, qui eam, quoad fieri posset, restituere conarentur; undique materia conferebatur, et ex ipsis deperditarum fabularum fragmentis, quibus nepotum litterae quasi gemmis conspersae erant, et ex imitationum latinarum frustulis, et ex scriptorum testimoniis; et ex incertis plerumque quae fama mythographica conservavit vestigiis, et ex picturis vascularibus, et ex sarcophagis aliisque monumentis figuratis — ut de miraculosa arenae Aegyptiacae ope taceam. Quibus nunc novum idemque amplum accedere videtur subsidium; cum enim innumeri esse possint et in conservatis tragoediis, et, quoad

restitutae sunt, in deperditis loci rudimentales, quanta inde tenebris illis lux infundatur, quis est qui non videat?

Fateor hanc mihi causam fuisse, cur hunc primum Tragodumenon meorum librum rudimentalibus locis dicarem; sed summa prudentia et circumspectione opus esse in hac difficili materia tractanda vix est quod moneam. Vidimus enim inter rudimentales locos magnas esse irritorum consiliorum partes; quid ergo? Si in 'Fausti' prioris fine Margaritae amator Mephistophele adjuvante consilium capit liberandae infelicis puellae, idque consilium renitentia ipsius ad irritum redigitur, — num quis sanae mentis inde concludet in antiquiore illa de doctore Fausto fabula revera liberatam esse puellam? Vel ut ad antiquam tragoediam redeam, si in 'Orestae' fine occidendae Hermiones consilium capitur idque consilium irritum reddit Apollinis numen — num qui poetae antecessor revera putandus erit Hermionen patruelis manu occisam finxisse?

Ad inepta delabi videmur; injuria tamen. Totum enim rei pondus, ut modo in propositione mea sublineavi, in rudimentali loci caractere positum est; in allatis autem exemplis et Margaritae liberandae et Hermiones occidendae consilia eo ipso, quod ad irritum refluunt, perquam sunt efficacia. Tenuiore igitur iudicio in hac re opus est, neque cuiquam tironi auctor sim, ut in hac materia acumen suum exercent.

Quid ergo? Tantumne mihi confido, ut certo ubique iudicio de rudimentali vel efficaci loci caractere sententiam feram? Non adeo mihi indulsi. Immo hanc mihi regulam posui, ne unquam ex contradictione sive conduplicatione sive alio, quae sunt rudimentalium locorum genera, de antecessoris fabula conjecturam caperem, nisi aliis extrinsecus indiciis adjutus. Hac lege, sobria opinor omniumque approbatione digna, farraginem meam in quinque capita distributam elaboravi; quam non mediocri fore usui ad antiquae tragoediae tenebras illustrandas ob id ipsum sperare audeo.

8. Num tamen omnium primus hanc rudimentalium locorum rationem perspexi? Nolim hoc praefracte affirmare. Singula praesenserunt alii admodum pauci, quorum ubi ad singula venerimus, debita mentio fiet; ipsam tamen legem ac rationem meo mihi jure vindicare possum. Hanc primum publici juris feci a. 1912 disputatiuncula rossice scripta libroque inserta, quo Ernestum de Stern Russiam relinquentem prosecuti sumus — si publici juris dici potest opusculum, quod extra Russiam nemini, in ipsa Russia paucissimis praesto fuit; sed tamen et »Rudimentalium in tragoedia Graeca locorum« ei indicem dedi, et a Tolstoji Immermannique exemplis disputationem exorsus sum, et ex antiqua tragoedia locos attuli aliquot (Aesch. Ch. 571 sq.; 889; Soph. El. 681 sqq.; Phil. 591 sqq.; 886 sq.; Eur. El. 520 sqq.; 883 sq.; Bacch. 50 sqq.), qui mihi tunc innotuerant, et ipsam rudimentorum rationem explicavi, etiam cautione qua opus est adhibita. Intentius inde in eam rem incubui. Sophoclis tragoediarum cum fragmentis versionem rossicam annis 1909—14 elaboratam opera excepit, quam Innocentii Annienski, amici defuncti, Euripidis fabularum versionem edendae navavi, ipse fragmentorum curam, a quibus ille abstinerat, suscipiens; quae ipsa quoque jam absoluta est, etsi propter perditas Russiae res de sex quibus continetur voluminibus duo primi soli prodierunt. Assidue hunc laborem locorum rudimentalium excerptorum studium comitatum est; implebantur disputatiunculis scrinia, donec ad finem perducto illo etiam huic modus imponeretur.

Et ita quidem nata est haec farrago, quam nunc systematice distributam lectoribus proponere constitui, longi sane temporis pedetemptim auctum opus. Nec tamen affirmare ausim nil me prorsus tuisse; acuit enim ipse labor oculorum aciem, ut posteriora quaeque diligentius excerptantur, nec facile patitur humana natura sescenties se ad ea, quae jam absoluta credebantur, revocari. Est igitur spicilegio etiam hic locus — ut non dicam me tragoediam tantum perquisivisse, cum loci rudimentales, ut Mickieviczii

exemplo docui, etiam in cetera poesi inveniri possint. Ea tamen, quae addi possunt, aliorum sollertiae relinquere placet; fundamentum me certe satis firmum huic quaestioni posuisse credo.

Sed jam ad singula transeamus.

CAPUT II.

De contradictione.

9. Contradictionem si latissimo sensu accipimus, primum omnium excipiendae sunt eae, quae consulto a poeta actionis causa inducuntur; efficacium enim non rudimentalium locorum tales contradictiones jus et vim obtinent. Velut si in 'Oedipo Rege' fama refertur de Laio a numerosa latronum manu occiso vel in 'Electra' de Orestis in certaminibus Pythicis interitu — habemus sane locos vehementer ceterae fabularum mythopoeiae contradicentes; nec tamen inde concludendum est extitisse quondam fabulas, in quibus revera aut Laius per latrones aut Orestes curru prolapsus periret. Sunt enim efficacissima haec mendacia, adeo ut ne consistere quidem possint fabulae sine eis.

Rudimentalis autem contradictio eo maxime cognoscitur, quod sine mythopoeiae damno, immo saepe cum magna ejus utilitate tolli potest. Plerumque enim ex inconscia originarii loci traductione oritur. Plerumque dixi; nam ut jam supra monui (§ 6), nemo sibi tantopere fidere debet, ut de animo poetae magis minusve conscio iudicium ferat.

Excipiendae sunt porro eae, quae speciem tantum habent contradictionum, re quidem vera rationabili adhibita interpretatione solvuntur. Velut in 'Antigona' Creon crudele suum de Polynice non sepeliendo edictum post patrum primum cum civibus communicare videtur, cum tamen jam pridem id ediderit necesse sit, siquidem Anti-

gona jam in prologo de eo cum sorore colloquitur. Hanc vero contradictionem facile solvemus, modo et circumstantiam quae fuerit vivide nobis repraesentemus, et poetae verba benevolo, non accusatorio animo interpretemur. Hucusque enim Creon imperatoris tantum munere fungebatur, qua re rectissime ab Antigona v. 8 στρατηγός, non τύραννος appellatur; extra muros igitur cum degeret, pube Thebana armata circumdatus, ne potuit quidem edictum suum, licet (v. 7) πανδήμῳ πόλει propositum, cuiquam praeter milites edere. Nunc vero, postquam regni occupandi causa in urbem rediit, pro regia potestate etiam eos cives, qui aetate proveciores militia liberati erant, de eodem illo edicto certiores facturus est; id quod Antigoniae ore poeta v. 33 sq.:

καὶ δεῦρο νεῖσθαι τὰτα τοῖσι μὴ εἰδῶσι
σαφῆ προκηρύξοντα

pronuntiat, sycophantarum aculeos praeoccupans. Ipsa autem Antigona quonam modo id rescivisset, quotusquisque interrogaturus erat? Si quis tamen curiosior inventus esset poetaeque molestus fieret, credo illum lento cum risu responsurum fuisse, si non ipsam Antigona, at Haemonem adolescentem una cum cetera Thebanorum juventute contra patriae hostes arma tulisse; qui si statim post victoriam nuntium ad sponsam misisset, cui id tandem mirum videri posse? Non curat sane minima bonus poeta: id autem vel maxime curat, ne sibi ex minimis neglectis crimen oriri possit.

10. Animadvertisse credo peritiores nos hic in vesparum nidum incidisse sane importunum: contradictiones enim eaeque praecipue Sophocleae multorum his ultimis annis ingenia exercuerunt. Singula ut omittam itemque eos, qui commentarios perpetuos scripserunt, edidit a. 1910 W. Dopheide Monasterii peculiarem dissertationem »*de Sophoclis arte dramatica e fabularum rebus inter se dis-*

crepantibus cognoscenda»; et sunt sane quibus imposuerit. Superata est tamen infelix ejus opera multo infeliciore Tychonis de Wilamovitz-Moellendorff (*die dramatische Technik des Sophocles*, Berl. 1917); Invitus hoc moneo, qui optimae spei juvenem et suis et communi nostrae scientiae quamvis honesta morte ereptum una cum ceteris doleam; nec tamen tacitus ejus commenta praeterire potui, quippe quae talia sint, ut quibus acerrimo in Sophoclem odio collecto opus sit, iis maxime liber ejus commendandus esse videatur.

Ne multa, cum jam antiqui interpretes optimo jure in arte dramatica τὸ πιδανόν et οἰκονομίαν distinxissent actionisque singula momenta utrimque probari debere contendissent, nuper relabente fune ea interpretandi ratio invaluit, qua sola οἰκονομία respicitur, τὸ πιδανόν adeo respicitur, ut »psychologicae explicationis« vocabulum jam pro convicio habeatur. Praerepto enim Oscari Spengleri de antiquorum mente judicio praesens tantum horae momentum curare fingitur poeta, cui dum accommodare studeat res, minime eum angere sollicitudinem, constetne sibi fabula an praesentia praeteritis vehementissime repugnent. Quod ut ei impune cessisse credatur, etiam spectator fingitur hebetissimi ingenii et imbecillae memoriae ex ejusque mente tota fabulae constructio judicatur.—Equidem non unum fuisse credo spectatorum genus neque ad insulsissimum quemque sese accommodasse poetas; sed non in eo cardo rerum vertitur. Etenim ut probi sculptores tympanorum signa etiam a qua parte ea nunquam visuri erant homines eadem diligentia elaborabant, deorum scilicet et suae conscientiae causa, ita etiam probos pœtas, qualis fuit etiam Sophocles, ex diuturno usu scio omnia perpendisse, ut sibi fabula constaret, nec tantillum curasse, quid esset animadversurus spectator, quid non; ex qua schola profectus etiam Horatius in Arte poetica (v. 265) memorabile illud praeceptum protulit, cujus utinam ne obliti essent recentiores:

Idcircone vager scribamque licenter? An omnes
 Visuros peccata putem mea, tutus et intra
 Spem veniae cautus?...

Attamen ipse quoque maculis in carminibus non offenditur,
 paucis dumtaxat,

quas aut incuria fudit,

Aut humana parum cavit natura.

De his igitur mihi agendum erit, ita tamen ut de singulis non litigem. Ego Dopheidii dissertationem humaniter mihi ab auctore missam Petropoli, Tychonis de Wilamowitz Varsaviae perlegi; sed enim dandam esse existimo hanc veniam senectutii nostrae, ut adversariorum argumenta κατ' ἀντιπαράστασιν potius quam κατ' ἀνατροπήν refellamus.

11. Ac primus omnium tractetur volo locus ille, qui primus, ni fallor, has turbas inter viros doctos movit. Antigona enim apud Sophoclem Polynicis manes symbolica tantum sepultura placasse constat; cum enim ad projectum cadaver et femina et sola astitisset, quem solum poterat honorem ei religiose praestitit, scilicet ut tenuem pulverem ei injiceret (246, 256) et solitam libationem super infunderet (247); quae pia dona cum a custodibus impie abstersa essent, iterum (429)

χερσὶν εὐθὺς διψάδ' ἐμφέρει κόνην
 ἔκ τ' εὐκροτήτου χαλκίας ἄρδην πρόχου
 χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει,

quo in officio a supervenientibus capitur. Haec igitur Sophoclea est mythopoeia.

Nec tamen ubique poeta sibi constitisse videtur. Non loquor de prologi locis quibusdam 41, 43, 80; hi enim et aliter explicari possunt et, si maxime de propria sepultura accipienda sunt, »irriti« potius »consilii« speciem prae se ferunt. Veram contradictionem 695 sqq. demum habemus, quibus Haemon benevolos populi de puella rumores refert,

ἤτις τὸν αὐτῆς ἀντάδελφον ἐν φοναίς
 πεπτῶτ' ἄδαπτον μῆδ' ὑπ' ὤμηστων κυνῶν
 εἶασ' ὀλέσθαι μῆδ' ὑπ' οἰωνῶν τινος.

Symbolica sepulturā neque canes neque vultures a cadavere deterreri potuisse in propatulo est; quicumque haec verba pronuntiavit, is Polynicis corpus tumulo inclusum crediderit necesse est.

Et ea revera antesophoclea fuit de Antigona mythopoeia, ab Aeschulo imprimis reddita in trilogia, cui Argiadis' nomen dedi quaeque tragoediis Nemea', Argivis', Eleusiniis' constituisse videtur. Ibi enim Polynicem mortuum Labdacidarum sepulcro conditum fuisse ex Septem' sequitur 1002 sqq.:

ANT. ἰὼ, ἰὼ, τοῦ σφε Δῆσομεν χθονός;

ΙΣΜ. ἰὼ, οὐπὲρ γε τιμώτατον.

ANT. ΙΣΜ. ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον'

quos versus una cum tota exodo cur pro genuinis habeam non est hujus loci exponere. In Argiade' enim ita res instituta erat, ut Antigona cum noctu furtim ad consilium suum exequendum extra muros profecta esset, juxta fratris cadaver uxorem ejus Argiam offenderet ejusdem pii officii causa ex Argivorum castris venientem; inde ambae consociata opera commune onus in Labdacidarum tumultum transtulerunt, quo in labore Antigona a supervenientibus custodibus capta est, Argia noctis tenebris tecta effugit¹. Illa ad Creontis tribunal ducta — nam is tum jam regnum obtinebat — revera gloriari poterat sua opera factum esse, ne fratrem suum canes vel volucres lacerarent; quem locum gravem sane et pulcrum etiam Sophocles in tragoediam suam imprudens traduxit. Nemini enim auctor sim eam conciliationis viam ingrediendi, ut etiam symbolica sepultura dicat tutum reddi sepulti corpus a canibus vo-

¹ Hanc fuisse Argiadis' mythopoeiam in commentatione mea de Sophoclis Antigona' scripta demonstrare conatus sum.

lucrisque si non in rerum natura, at certe in hominum opinione, quam opinionem etiam conclamatis 257 sq. contineri; nam ut omittam cetera, ipse Sophocles, ubi suam mythopoeiam constanter evolvit, 1081 sq. et 1198 lacertum esse testatur infelicis juvenis cadaver.

Recte igitur posuimus antecessori deberi hanc mythopoeicam Sophoclis aberrationem¹; nonne tamen, quoquomodo explicatur, pro vitio habenda est talis neglegentia? Non ego omnino poetam purgatum volo; nec tamen credo eum usquam suae inventioni indulgentem, non alienam praecipuum, a recta via aberratum fuisse. Est enim fascinatrix quaedam vis in tradita opinione, quae vel invitam novatoris mentem ad se trahat seque ei superimponat. Idem fieri observatum est in aberrationibus linguisticis, quas cum disceret Wundtius in admirabili libro, quem de lingua composuit, bona ratione traditae materiae, quae causa aberrationis existeret, inducentis nomen dedit; eandem vocem etiam textuum critice adoptet necesse est, si quando philosophiae non rudem tractatorem invenerit. Hac igitur involuntaria inductione ab antecessoris mythopoeia profecta contradictio nostra et explicatur et aliquatenus excusatur; quare si quo loco in contradictionem — veram dico, non ex sycophantica interpretatione conflata — inciderimus, fas erit praesumere inducenti eam materiae, hoc est antecessoris mythopoeiae deberi. Praesumere, inquam, nil amplius; nam ex solis rudimentis nil me de subjacente fabula statuturum esse supra recepi.

12. In Euripidis *Hecuba* duplex nobis proponitur mactandae Polyxeniae explicatio.

¹ Non absurde quispiam affirmaverit, inesse in custodis verbis 255 sq. ὁ μὲν γὰρ ἠφάνιστο, τυμβήρης μὲν οὐ, λεπτή δ', ἄγος φεύγοντος ὄς, ἐπὶν κόνας, quibus Aeschylea mythopoeia diserte abjicitur, «dissimulatam invectivam» ejus non dissimilem, quam cap. VI (§ 63) ex *Andromacha* allaturi sumus. Quamquam haec incertiora esse concedendum est.

Secundum ipsius heroinae verba Achillis umbra, cum supra tumulum Achivis apparuisset, pro ultimo honore sibi infelicium Troadum aliquam efflagitavit (92):

*ἦται δὲ γέρας
τῶν πολυμόχθων τινὰ Τρωιάδων.*

Somnium demum, quod insequente nocte vidit, de filiae eam sorte sollicitam reddit, a qua ut avertant periculum deos orat. Neque alia mente cum Ulixē litigat 251, ubi haec est ratiocinationis ejus via: »si propterea Achillis postulationem in filiae meae caput vertistis, quod eum mortis suae auctores vita orbare velle putatis, nihil ei mali Polyxena fecit, immo Helenam ab eo peti existimandum est, quae eum Trojam evocatum morti destina- verit; sin pulcritudine praestans praefenda est, ne is quidem honor ad filiam meam pertinet, quippe quam formā eadem Helena longe superet«. Eadem est chori opinio, quem accuratius de hac re disserentem 107 sqq. audimus: »Dicuntur Achivi in concilio suo filiam tuam Achilli im- molandam esse constituisse; scis enim eum aureis armis insignem in tumuli sui vertice apparuisse talia vociferan- tem: quo tandem tenditis, Danaï, sepulcri mei immemores?«.

Secundum autem Polydori mortui verba diserte Polyxena ab Achille efflagitata est, 37:

*αἰτεῖ δ' ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν Πολυξένην
τύμβῳ φίλον πρόσφαγμα καὶ γέρας λαβεῖν.*

Atque eadem est Ulixis sententia 389 sqq., in quibus Hecubae sese pro filia victimam offerenti non ipsam respon- det a Myrmidonum duce peti, sed Polyxenam¹. Quin etiam

¹ Videntur igitur duae agonis personae duabus diversis rei gestae praesumptionibus niti ex duabus diversis de ea famis deducendis — quae causae constitutio non sane laudabilis est. Eadem nobis etiam apud Sophoclem in *Electra* occurrit 516 sqq.; cum enim Clytaemnestra Aeschyleam mythopoeiam referens Agamemnonem Menelai gratia nulla ipsum obstrictum religione Iphigeniam Dianae mactasse

chorus mira inconstantia eodem relabatur. Postquam enim Achillem indefinite de honore suo egisse renuntiavit, expectamus Achivos de duabus rebus consulturos esse, priore, an mos ei gerendus sit, tum vero, quemnam ei mactari placeat. At illi de una tantum deliberant — sitne mactanda Polyxena necne; obloquitur Agamemnon propter Cassandrae amorem, cui Thesidae cavillantes respondent neutiquam se imperatoris delicias fortissimi ducis memoriae praelaturos esse — ut ne in mentem quidem cuiquam venisse videatur posse salva religione pro Polyxena etiam alia captiva ei offerri.

Duae igitur variis locis praesumuntur de Achillis postulatione famae; utra earum toti 'Hecubae' mythopoeiae accommodatior est? Credo de hac re nullam opinionum diversitatem oriri posse. Achivi enim una cum Hellesponti litore etiam Achillis sepulcrum relicturi sunt; quod cum praesentiret mortuus neminem in posterum tempus manibus suis parentaturum esse, at tum certe, antequam orbus destituatur, magno quodam memorandoque sacrificio placari vult, virginis scilicet ejusque nobilissimi cruore supra cineres suos effuso; haec secundum diram ejus aetatis religionem facile intelleguntur. Cur autem nominatim Polyxenam praeter ceteris postulaverit, ex 'Hecubae' certe mythopoeia explicari non potest. Ille igitur efficax est locus bene cum universa fabulae circumstantia quadrans; hic extrinsecus illatus, rudimentalis.

Sequi hinc videtur in antecessoris fabula — in Sophoclis igitur 'Polyxena' — ita rem institutam esse, ut Polyxena ab Achille nominatim mactanda posceretur. Sed quoniam nos ipsi supra ea condicione obligavimus, ut ex solo rudimentali loco nihil de antecessore colligeremus nisi extrinsecus approbatione allata, latius circumspiciendum est.

criminata esset, Electra ad Cypriorum mythopoeiam rediens Agamemnonis filiam nominatim a Diana petitam esse asseverat propter facinus ab ipso in luco suo patratum. (Cf. lib. III § 9. 13).

Ubi cūque a superis vel inferis humana hostia postulatur, condicio tantum universa divinitus indicatur, de persona homines constituunt. Agamemnonis filia a Diana poscitur propter incestum ab ipso commissum — Iphigeniam ipse pater designare cogitur utpote solam nubilem; nobilis prosapiae virginem Proserpina flagitat — Macaria ex sortitione apud Aeschylum¹, voluntario animi impetu apud Euripidem offertur; regis Atheniensis filia opus est, cui cūque deorum id apud Euripidem in 'Erechtheo' placuit; Spartorum subole draconi Martio, — nec nisi exclusis ceteris Megareus vel Menoeceus mactandus relinquitur. Quin etiam in posteriore de primo bello Messeniaco fama (Paus. IV 95) nobilis tantum ex Cresphontidarum sanguine virgo ab oraculo imperatur ea condicione disertē addita, ut ipsam personam sors aut patris voluntas eligat. Quae cum rata talium sacrificiorum lex fuerit, nostro jure quaerimus, quid tandem Achilli ad inferos recepto causae fuerit, ut nomine addito Polyxenam sibi mactandam postularet. Fuerit necesse est inter eos interior conjunctio; ea vero in juvene et puella quaenam alia esse potuit nisi amoris et promissi matrimonii? Quod etiam Euripides obiter indicare videtur Polydori de Polyxena versu (38) Πολυξένην τύμβῳ φίλον πρόσφαγμα.

Om̄nem dubitationem tollit Seneca in 'Troadibus' suis, apud quem cumulantur loci Polyxenam Achillis sponsam fuisse demonstrantes², quos omnes sub uno conspectu posuisse juvat:

Ach. Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrri manu mactetur et tumulum riget (195).

¹ Eam enim fuisse Aeschyleam mythopoeiam Weillio praeunte in commentatione mea 'de Hercule tragico' demonstravi Eūs nostrae vol. XXV (1922) inserta.

² Doleo solito acumine destitutum esse Weillium, cum (*Sept tragiédies d'Euripide* 206) reniterite evidentia alienum fuisse a Seneca de Polyxena Achillis sponsa mythologema contenderet et antiquissimam hanc famam II demum p. Ch. saeculo assignaret.

- Hec.* Tritonum ab alto cecinit hymenaeon chorus (202).
- Agam.* Et facinus atrox caedis ut thalamos vocent (289).
- Calch.* Pyrrhus parenti conjugem tradat suo (364).
- Hel.* Polyxene miseranda, quam tradi sibi cineremque Achilles ante mactari suum campo maritus ut sit Elysio jubet (942).
- Hec.* Reclude ferro pectus et Achillis tui
Conjunge soceros; perge, mactator senum!
(1001).

Hoc igitur est indicium extrinsecus allatum, quo rudimentalium Euripidis locorum ¹ vis demonstratoria corroboratur; non enim ex sua mente, sed e Graeco exemplari hausisse sua Senecam in propatulo est.

Equidem Achillis cum Trojani regis filia conjugium fatale ad antiquissimam de homine-deo famam pertinuisse arbitror, itidem ut parallela mythologemata de Oechaliensium regis filia Herculi, Ephyraeorum Iasoni, Curetum ni fallor Meleagro desponsa; sed haec fusius explicare non hujus est loci. Certe aliam viam ingressi sunt Iliadis usque ad l. XXII poetae, secundum quos Achilles statim post Hectorem a se occisum inter acerrimam pugnam Paridis telo, quem sibi ille inscius ultorem Trojâ adduxerat, favente Apolline occumbit. Ecce autem divini prorsus ingenii inventus est continuator l. XXIV poeta, qui cum novam Iliadi clausulam daret, in humanitatis eam fastigio posuit altiore, quam quo aspirare possint hodiernorum hominum mentes; reddito enim Priami precibus ab Achille Hectoris corpore, gratiam inter utrumque reconciliavit, ut nunc de-

¹ Funditus enim abjecisse Euripidem hanc fabulam de Polyxena Achilli desponsa luce clarius est; non potuit Hecuba ita ut legimus cum Ulixæ disputare, si sponsione patrata mortis Achilli causa licet invita extitisset regia puella.

mum clare sincereque sonarent praelibata herois ad matrem verba (Σ 107)

ὡς ἔρις ἕκ τε θεῶν ἕκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο.

Respicit igitur a sene admonitus praeterlapsam vitam acer bellator, videt se longe a recto honoque aberrasse, cum omissis in patrem longaeuum officiis ad Trojam sederet *σέ τε κήδων ἠδὲ σὰ τέκνα* (Ω 542); postquam intimam revolutionem et revelationem quis nisi plane excors eum in novam cum Trojanis pugnam mitteret, scilicet ut et paenitentiae suae et initi hospitii oblitus Priamum ejusque liberos vexare pergeret? Novam indicavit viam idem l. XXIV poeta, cum Priamum cunctabundum de instante pugna loquentem fecit (667)

τῇ δὲ δωδεκάτῃ πολεμίζομεν, εἴπερ ἀνάγκη.

Assecutus est sententiam ejus continuator quisquis ille fuit, qui abjecto pugnae consilio instaurataque vetere illa, de qua supra dixi, fama indutias et Achillis Polyxenaeque constitutum matrimonium induxit, Paridis nefario telo ad irritum redactum. Cum autem jam antea visam esse illi futuram sponsam consentaneum esset, immutata est Homericam de Troilo fama; ex invicto enim bellatore Hectorisque aemulo *ἀνδρόπαις* factus Polyxenam sororem ad fontem comitatur prope Apollinis Thymbraei fanum extra muros situm, ad quem Achillis insidiis interceptus occisori suo ipse quidem serae paenitentiae causam, simul tamen etiam aspiciendae sororis opportunitatem praebuit. Apollo autem Thymbraeus nece in templo suo patrata offensus, cum in eodem templo etiam occisoris cum occisi sorore sponsalia celebrarentur, fratris ejus telo et sibi et victimae manibus consuluit.

Has disjectas prolatae correctaeque Iliadis partes cum concinnare vellet Sophocles, juvenis adhuc Aeschylisque discipulus trilogiam composuisse videtur ¹ Troilo, Phry-

¹) Haec fusius demonstrare temptavi in Sophoclis fragmentorum explicatione rossica (Sophoclis mei vol. III pag. 293; 298; 324), quam

gibus', Polyxena' constantem, ex quibus tragoediis prima regiam virginem primum ab Achille conspectam, secunda sponsalia eorum sponsique mortem, tertia sponsam supra rogum ejus mactatam continuavit.

13. In Euripidis Ione' duplicem habemus de loco, ubi natus sit Creusae filius, expositionem.

Secundum enim Mercurii in prologo verba Apollo post concubitum puellae praecipit, ut inscio patre uteri onus perferat; cum autem tempus maturum venisset, illa puerum in cubiculo suo enixa cistâ absconditum in idem antrum detulit, in quo membra cum deo conjunxerat, scilicet ut mortem ibi oppeteret (14):

ἀγνώσ δὲ πατρί — τῷ θεῷ γὰρ ἦν φίλον —
 γαστρός δὴνεγκ' ὄγκον. ὡς δ' ἦλθεν χρόνος,
 τεκοῦσ' ἐν οἴκοις παῖδ' ἀπήνεγκεν βρέφος
 ἐς ταῦτόν ἄντρον, οὐπερ μινάσθη θεῷ,
 Κρέουσα κάκτιδῆσιν ὡς θανούμενον
 κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ κύκλῳ.

Eadem est ipsius Creusae sententia in ea scaena, in qua cum futuro Ione¹ colloquitur sua ipsius fata prae pudore

~~~~~  
 mox in patrium sermonem conversam etiam popularibus me meis offerre posse spero.

<sup>1</sup> Data opportunitate moneo perquam inepte in editionibus nostris Apollinis aedituum statim ab initio Ionis nomine insigniri, qua re repugnantiae oriuntur prorsus ridiculae; qui enim ferendum est 309 et 311 »Ionem« de nomine interrogatum Apollinis tantum famulum identidem sese nominare, aut 661 personae jamdudum Ionis nomine praeditae id ipsum nomen graviter imponi? Immo ΝΕΩΚΟΡΟΥ nomine usque ad versum 668 atque inde demum Ionis notandus est, itidem ut in Aristophanis »Equitibus« Paphlagonis adversarius per longum fabulae tractum ΑΛΛΑΝΤΟΠΩΛΟΥ et sub finem demum, ubi se cognoscendum dedit, ΑΓΟΡΑΚΡΙΤΟΥ nomine indicatur. Similis est — quamquam hoc curiositatis tantum causa afferro — Simplicissimi in vetere fabula Germanica condicio, qui et ipse hoc nomen procedente demum narratione ab eremita accipit, antea autem de nomine ab eo interrogatus ingenue »ich heisse Bub« respondet.

in fictam quandam amicam transferens (344):

τὸν παῖδ' ὃν ἔτεκεν, ἐξέθηκε δωμάτων

Contra in ea scaena in qua seni patris paedagogo virginitatis suae labem confitetur, in illo ipso antro se peperisse puerum contendit (947 sqq.):

ΚΡΕ. ἔτεκεν... ἀνάσχου ταῦτ' ἐμοῦ κλύων, γέρον.

ΠΡΕ. πού; τίς λοχεύει σ'; ἢ μόνη μόχθεις τάδε;

ΚΡΕ. μόνη κατ' ἀντρον, οὐπερ ἐξεύχθην γάμοις.

Duas igitur pugnantes habemus indicationes, ex quibus utra efficacem, utra rudimentalem contineat locum, non sane pronum est responsu, nisi quis, quoniam de inconscia traductione agatur, verisimilius esse censeat semel falsum esse poetam quam bis eadem chorda oberrasse, idcircoque domesticum partum Euripidi, illum alterum antecessori assignare malit. Nos solutionem differemus; illud tantum monuisse jam nunc non abs re erit, cistulam illam, de qua et in prologo et alibi in tragoedia agitur, uni domestico partui accommodatam esse. Si enim in cubiculo suo enixa erat puerum Creusa, opus ei erat cista, in qua eum auferre posset, praesertim cui et patris saevitia et familiae curiositas fallenda esset<sup>1</sup>; si autem eodem quo pepererat loco relictura erat puerum, nullus erat cistae usus.

Nec tamen haec sola est in hac re apud Euripidem contradictio; altera enim in spe continetur, quam de pueri sorte mater conceperat. Secundum enim Mercurii quae exscripsimus in prologo verba ut moriturum eum exposuerat, ὡς θανούμενον (18), quod idem 27 confirmat:

ἀλλ' ἦν εἶχε παρθένος χλιδῆν

τέκνην προσάψασ' ἔλιπεν ὡς θανούμενην.

Contra in illa scaena, in qua cum paedagogo colloquitur,

<sup>1</sup> Apte conferri potest talis fraudis in Ovidii 'Canace' (Her. X) descriptio ex Euripidis 'Aeolo' haud dubie hausta: quamquam ibi per nutricem res agitur, hic fortem habemus puerperam Antiope Euripideae non dissimilem.



exposuisse eum se dicit spe commotam, servaturum esse Apollinem filium a sese procreatum (965):

ὡς τὸν θεὸν σώσοντα τὸν γ' αὐτοῦ γόνον.

Quem ad locum nolim mihi objici eam spem solam cum antro conjugali a matre electo conciliari posse, nam emori puerum quovis alio loco potuisse; non sunt talia ex nostra jejuna ratione dijudicanda. Potuit Creusa, quippe quae vim invita ab Apolline perpressa sit, injuriae significandae causa puerum in patris antrum moriturum perferre; eodem enim modo etiam Laius, quem quidem optime scimus mortem filiolo destinasse, tamen omissis virgultis vicinis in Cithaeronem usque eum transferendum curat, scilicet ut sub Junonis Cithaeroniae oculis, quae eum devoverat, moriatur.

Atque hic interim subsistendum est; nondum enim omnia nobis praesto sunt, quibus opus est ad solvendum aenigma. Sunt etiam alii in tragoedia nostra rudimentales loci, qui tamen partim conduplicationibus, partim irritis consiliis adnumerandi sunt. Jaceat igitur per aliquod tempus abjectum filium; quod suo tempore relectum videbimus, an nobis exitum e labyrintho indicaturum sit.

14. Secundum 'Phoenissarum' Euripidis mythopoeiam Oedipus juvenis originis suae cognoscendae<sup>1</sup> cupidus Delphos proficiscitur; necdum eo pervenerat, cum eum

<sup>1</sup> De qua cur dubitaverit duplex affertur a poeta causa (33): ἢ γνῶς ἢ τινοσ μάθῶν πάρα. Nostrae tragoediae mythopoeiae sola accommodata est prior; cum enim Polybi uxor (31) sola arcae Oedipi originis gnara fuerit, (quem locum poeta ex Oedipo suo traduxit) ex conjectura tantum (e. g. dissimilitudine) colligere poterat juvenis se ejus filium non esse. Alterum igitur dilemmati membrum pro rudimento habendum est; et scimus efficax id fuisse in *Sophoclis Oedipo Rege*, ad quem saepius in hac fabula revertitur poeta missis eis quae ipse novaverat. — Hunc rudimentalem locum per δαλήματων occasione data adjunxi, quoniam singularis est neque amplioribus nostris generibus subsumi potest.

progredientem in trivio plaustrum assequitur eodem scilicet, sed aliunde proficiscens senex quidam; quem ille cum rixa exorta occidisset, Corinthum revertitur plaustrum occisi cum equis Polybo traditurus. Ita haec locasta in prologo 34—45 narrat, ex qua narratione haud dubie sequitur interrupto itinere ne vidisse quidem Oedipum Delphos.

Huic tamen refragantur duo alii loci, quibus fuisse Oedipum Delphis et terrificum illud oraculum a deo accepisse docemur. Quorum prior 1043 sqq. legitur, quibus propter Pythium responsum Thebas venisse dicitur ad Sphingis aenigma solvendum:

*χρόνω δ' ἔβα  
Πυθίαις ἀποστολαῖσιν  
Οιδίπους ὁ τλάμων  
Θηβαίαν τάνδε γὰν.*

Quae verba ita intellegenda sunt, ut Oedipum oraculo de patre occidendo audito reditum dejerasse putemus ideoque Thebas pro Corintho venisse.

Alter locus, conclamatissimus ille quidem, in ultimo extat Oedipi cum Antigona colloquio; qui ubi in exilium sibi eundum esse comperit, veteris oraculi reminiscitur ab Apolline quondam accepti (1703):

*ΟΙΔ. νῦν χρησμός, ὦ παῖ, Λοξίου περαίνεται.  
ΑΝΤ. ὁ ποῖος; ἀλλ' ἦ πρὸς κακοῖς ἐρείς κακά;  
ΟΙΔ. ἐν ταῖς Ἀθήναις κατθανεῖν μ' ἀλώμενον.  
ΑΝΤ. ποῦ; τίς σε πύργος Ἀτθίδος προσδέξεται;  
ΟΙΔ. ἱερὸς Κολωνός, δάμαδ' ἱππίου θεοῦ.*

Hic quidem adeo liquida est res, ut nulla accuratiore demonstratione egeat. Nam illa prior Euripidea est mythopoeia ex cyclica Oedipodea hausta — de qua qui volet Bethii »*Thebanische Heldenlieder*« consulat — nisi quod pro Sicyone vulgatam famam secutus Corinthum posuit. Nec sibi tamen usque ad finem constare potuit; bis enim

a proposita via ad Sophocleam semitam aberravit. Et secundo quidem loco notissimam agnoscimus in Oedipo Rege' mythi conformationem, qua omnium primus poeta etiam filium Laii Delphos venisse finxit, ut ipse quoque de instante parricidio oraculum acciperet. Tertio autem eadem sive negligentia sive securitate ad 'Colonei' sese mythopoeiam applicavit, 87 sqq. maxime, ubi haec de Phoebō:

*ὄς μοι τὰ πόλλ' ἐκείν' ὅτ' ἐξέχρη κακά,*

scilicet parricidium et matris nefarium conjugium, quare ad eandem illam ante occisum Laium oraculi consultationem amandamur,

*ταύτην ἔλεξε παύλαν ἐν χρόνῳ μακρῷ,  
ἐλθόντι χώραν τερμίαν, ὅπου θεῶν  
σεμνῶν ἔδραν λάβοιμι καὶ ξενόστασιν,  
ἐνταῦθα κάμψειν τὸν τάλαιπυρον βίον,*

quae fatidicis tenebris involuta Coloni demum in Furiarum luco clara eveniunt. Nam quod 'Coloneus Oedipus' inter postumas fuit nonagenarii poetae tragoedias, cum 'Phoenissae' tribus annis ante ejus mortem doctae esse videntur, turbare nos non debet; aliquot enim annis ante poetae mortem et scriptam esse maximam tragoediae partem et Euripidi innotuisse perquam est verisimile<sup>1</sup>.

15. Ex eisdem 'Phoenissis' de Polynicis mortui futura sorte contradictorias sententias enotare licet.

Eteocles enim cum in bellum certam mortem oppeti-

---

<sup>1</sup> Cf. quae in commentatione mea »de Alcmeonis Corinthii fabula Euripidea« Mnemos. 1922 p. 313 de hac lubrica sane materia disse- rui. Nec sum nescius U. de Wilamowitz nuper in peculiarii disputa- tione filii libro supra (p. 15) nominato inserta, cum sibi Polynicen Sophocleum ad Euripidei exemplar conformatum persuasisset, totum 'Oedipum Coloneum' ex his quinque 'Phoenissarum' versibus, stipi- tem ex ramulo suspendisse; verum ea sunt, pace summi viri dixe- rim, ejus argumenta ex »ambabus Electricis« satis superque cognita, quibus quodlibet et demonstrari et redargui possit.

turus proficisci parat, multa de rebus suis Creonti praecipit, de fratris autem corpore haec (774 sqq.):

πόλει δὲ καὶ σοὶ ταῦτ' ἐπισκῆπτω, Κρέων  
ἤνπερ κρατήσῃ τάμα, Πολυνείκους νέκυν  
μήποτε ταφῆναι τῆδε Θηβαίᾳ χθονί,  
Δηήσκειν δὲ τὸν Δάψαντα, κἄν φίλων τις ᾗ

Ubi propter ultima verba certum est ad Antigonom' alludere poetam, cum prima — πόλει δὲ καὶ σοί — fidem nobis faciant. Aeschyleae potius Argiadis' (v. supra p. 17) quam Sophocleae fabulae rationem eum habere. Illic enim de Polynice non sepeliendo decretum a senatu profectum (Sept. 1005 sq.; 1042 αὐτῶ πόλιν σε μὴ βιάζεσθαι τάδε) a Creonte postea (in Eleusijs) confirmatur, cum in Antigona' solus Creon<sup>1</sup> existat crudelis decreti auctor. Sed haec leviora sunt; illud sane grave, Euripidem bene conscium decreti illius crudelitatem mitigasse. Cum enim addit τῆδε Θηβαίᾳ χθονί, non utique sepeliri fratrem vetat, sed patria tantum terra obtegi, ut quae non aequo animo filium suum eundemque vastatorem sinu suo receptura sit; quae prohibitio tantum abest ut inhumana appellanda sit, ut secundum antiquam Terrae matris religionem adeo justa piaque videatur. Sepeliat igitur cui opus est parri- cidam, modo patriae finibus extorrem. — Quam nostram interpretationem recte se habere 1629 sqq. ostendunt, quibus Creon regiae voluntatis memor extra fines projicere jubet Polynicis cadaver:

Πολυνείκους νέκυν  
ἐκβάλετ' ἄσταπτον τῆσδ' ὄρων ἔξω χθονός,

cum apud Aeschylum in ipso pugnae campo remaneat,

<sup>1</sup> Qua in re nolim mihi opponatur etiam in Antigona' aliquoties ad πόλιν vel πολίτας decreti auctoritatem referri. Cum enim manifesto ab ipso soloque Creonte profectum sit, rudimentalem contradictionem agnoscere deberemus, nisi praestaret consulto poetam Creontem quippe regem legitimum cum civitate identificasse, ut legem factam legi natae contraponere posset.

apud Sophoclem ei adeo Thebanorum hominum custodia addatur. Ne tamen hac restrictione tolleretur pietatis sororiae opportunitas, poeta 1447 sqq. providit, quibus moribundus juvenis mulieres non ut se omnino sepeliant, sed ut in patria terra sepeliant implorat:

Δάψον δέ μ', ὦ τεκούσα καὶ σύ, σύγγονε,  
 ἐν γῆ πατρώᾳ<sup>1</sup> καὶ πόλιν θυμουμένην  
 παρηγορεῖτον, ὡς τοσόνδε γοῦν τύχῳ  
 χθονὸς πατρώας, κεί δόμους ἀπώλεσα.

Hucusque sibi igitur constitit Euripides eaque constantiâ ostendit non se imprudentem illud τῆδε Θηβαία χθονί v. 776 addidisse, sed immutatae mitigataeque traditionis bene conscium. Quo magis offendimus in v. 1650, ubi Creon Antigouam dicto non parentem interrogat:

τί δ' ; οὐ δικάως ὄδε κυσὶν δοθήσεται;

Manifestam habemus contradictionem eamque rudimentalem; inconscius enim poeta sua ipsius mythopoeia relicta ad Sophocleam relabitur.

16. Haec habui quae de rudimentalibus contradictionibus afferrem, quo genere non omnes quae apud tragicos extant vel extare videntur contradictiones contineri jam initio capituli hujus monui. Quanquam fatendum mihi est hoc potissimum capite aliqua desiderari posse; sero enim in hoc rudimentorum genus incidi, cum jam major operae meae pars absoluta esset, ut haec vel illa oculorum aciem instauratis curis per exploratos jam campos recurrentium fugere potuerint.

<sup>1</sup> De corpore intra vel extra fines humando controversiam esse recte animadvertit Teles cynicus apud Stob. III 40, 8 = Teletis reliquiae rec. Hense p. 30, cum haec addit: εἰ δὲ μὴ τύχοις χθονὸς πατρώας, ἀλλ' ἐπὶ ξένης ταφείης, τί ἔσται τὸ διάφορον; Plane alia est condicio in ignoti poetae versu (adesp. 281 N.: an Aeschyli?), ad quem ilico transit: καὶ γῆς φίλης ὀχθοῖσι κρυφθῆναι καλόν additque: εἰ δὲ μὴ κρυφθείης, ἀλλὰ ἄταφος <κριφθείης>, τί τὸ δυσχερές.

Proxime tamen hoc genus accedunt ei loci, qui quamquam non inconciliabiliter ceterae mythopoeiae contradicunt, attamen nullo cum ea rationabili vinculo conexas sunt externamque suam originem manifesto produunt; quorum locorum cum longe minor sit utilitas — neque enim fidendi eis auctor sim nisi extante fabula »inductoria« — colligere eos neglexi nec nisi exemplificandae rei causa duos affero ex eisdem ‚Phoenissis‘ petitos.

Ibi enim Laius natum sibi invito puerum exponi jubet in sacro Junonis Cithaeroniae prato (24 sq.):

λειμών' ἐς Ἴρας καὶ Κιθαίρωνος λέπας  
δίδωσι βουκόλοισιν ἐκδεῖναι βρέφος.

Quod cur potissimum a Laio electum sit, nemo ‚Phoenissis‘ quamvis diligenter perlectis facile indicabit, cum nulla ibi inter devotum regem et Junonem Cithaeroniam relatio appareat.

At apparebat eaque gravissima in Oedipodea cyclica; ibi enim penitus erat infesta Laio caelitum regina eademque legitimi conjugii patrona, quam ille nefario suo in Chrysippum amore offenderat<sup>1</sup>. Euripides autem Aeschylum Sophoclemque secutus pro Junone Apollinem Delphicum in actionis fastigio cum posuisset, si sibi constare volebat, etiam pratum Junonis remove debuit: apud Sophoclem enim — de Aeschylō quaerere inutile est — Laius puerum indefinite in Cithaerone exponi jubet. Imprudens igitur rudimentale Junonis nomen retinuisse videtur.

Non est sane obliviscendum ‚Phoenissas‘ trilogico nexu cum ‚Chrysiippo‘ conjunctas fuisse, de quo nexu alio Tragodumenon meorum libro acturus sum; sed etiam tum ea, quae hoc loco disputavi, mansura esse video. Ad ‚Oedipum‘

---

<sup>1</sup> Demonstravit hoc E. Bethe in optimo omnium quotquot scripsit libro, *Thebanische Heldenlieder* dico; cui frustra obloquitur C. Robert in Oedipo suo vanis athetibus aliisque cavillatoriae criticae artificibus abusus, dum quovis pacto Chrysippi mythopoeiam ab ipso Euripide excogitam esse contendit.

autem paucis annis ante a poeta doctum provocare non licet, cum haec tragoedia ab ipso auctore postmodo abdīcata longe aliam habuerit de Oedipo exposito mythopoeiam.

Alterum exemplum non tam rei gravitate quam methodi certitudine commendatur. Apud Sophoclem enim, ut omnibus notum est, Iocasta post incestum patefactum suspendio vitam suam abrumpit, Oedipus autem ut exanimus vidit uxoris matrisque corpus, aurea fibula palla ejus detracta oculos sibi effodit. Longe est alia Iocastae sors apud Euripidem, utpote quae etiam cognita illa peste *ἐνεκαρτέρησε βίοντον* et anus demum super filiorum adultorum exanima corpora sese occiderit. Attamen idem cum Oedipum voluntario ictu sibi lumina tollentem repraesentaret, aurea ipse quoque fibula ad eam rem abusus est, quae quomodo viva Iocasta in manus ejus pervenerit, omnino non intellegitur (62):

*χρυσηλάτοις πόρπαισιν αἰμάξας κόρας,*

Sophoclei ex 'Oedipo Rege' (1268) loci:

*ἀποσπάσας γὰρ εἰμάτων χρυσηλάτους  
περόνας ἀπ' αὐτῆς*

haud dubie inopportuno tempore memor.

### CAPUT III.

#### De conduplicatione.

17. Conduplicationem tragicam ipsam quoque cavendum est ne latiore sensu accipiamus, quam ut pro rudimentali loco accipi possit. Velut si apud Aeschylum in 'Choephoris' unus Orestes Mycenae venit suae ipse mortis nuntius, apud Sophoclem autem in 'Electra' prior Talthybius adest, ut periisse juvenem nuntiet, postmodo Orestes ipse nomine dissimulato venit ossa defuncti afferre se dicens, nostro jure conduplicatam esse apud eum Aeschyleam personam dicere possumus, nec tamen rudimentalem alterumutrum locum; immo tertio histrione addito aucta est actio et

subtilius elaborata intricatio, ita tamen, ut cumulati alii super alios loci vividiores et efficaciores appareant. Eadem est Oedipodei parricidii patefaciendi condicio; quod triste munus cum principio uni rustico datum sit, qui invento in litre puero fascias tamen ejus cruore plenas retinuerat, apud Sophoclem efficacissime inter Laii servum pastorem et Corinthium nuntium dividitur. Practica quidem utilitate ne talia quidem carent; rectissime enim concluditur complicatiorem actionem progrediente demum tempore ex simpliciore ortam esse, ut si nobis Sophoclis tantum et 'Electra' et 'Oedipus' servatae essent antecedentium fabularum omnibus vestigiis sepultis, tamen rata esset nostra de una in eis et nuntii et indicis persona conclusio. Sed inter rudimentales locos tales vere dramaticas conduplicaciones non retulerim.

Omni vero utilitate caret alterum idemque oppositum conduplicacionum genus, minutas dico, in quibus duae res arcte inter se conjunctae quasi pro una positae sunt, certe idem valent. Velut si saepius Polynicis corpus apud tragicos *ἄταφον* et *ἄκλαντον* relinqui debere invenimus, duae hae sane res sunt, sed adeo vicinae, ut ineptus sit qui in alicujus antecessoris fabula Polynicem sola sepultura prohibutum fuisse conjiciat, fletu funebri non item.

Aliter res se habet — ut exemplum afferam, quo in ipsa disputatione uti non licebit, — cum Aegeus ab Aethra discedens filiumque sibi ex ea nasciturum expectans devoluto saxo et gladium et calceos sub eo abscondit puellamque sibi expectatum filium tunc mittere jubet, ubi utrumque extraxerit. Miramur gladio calceos additos nulla inter ea necessitudine intercedente; atque gladii quidem qui fuerit usus Euripidis 'Aegeus' ostendit, in qua fabula senex hoc uno indicio filium agnoscit, ab agnito pestem Medae dolis ei imminentem avertit. Calcei autem quid sibi volunt? An in Sophoclis 'Aegeo' soli extabant scilique patri ignotum filium prodiderunt? Hoc nos pro certo sciremus, si utraque fabula nobis servata esset, divinare-



mus, si saltem posterior; nunc vero nec scire nec divinare licet.

Fingamus tamen rei explicandae causa Sophoclem ita rem instituisse, ut Aegeus calceis Thesei quoquo modo inspectis filium sibi venisse cognosceret, Euripidem autem, cum longe diversum gladio indice *ἀναγνώρισμέν* excogitasset, antecessoris rationem abjecisse; quid ei tandem causae fuisse dicemus, ut praeter necessarium gladium etiam inutile calceorum additamentum conservaret? Equidem religionem dixerim vel quandam pietatem: cum in rei summa aliam viam ingressus esset, noluit etiam in minutis, ubi nil attinebat, ab eo discedere. Ita haec rudimentalis conduplicatio orta est; gladii efficax est motivum (salva severiorum iudicum venia dixerim), calceorum nunc quidem ad rudimentum redactum est, indicio tamen nobis est et ipsum quandoque, absente etiam tum gladio, efficax fuisse.

Haec ultima, ut jam praemonui, dicis causa finxi; neque enim quidquam certi de ambobus Aegeis sciri potest. Nunc autem ad seria veniamus.

18. Atque adeo ad maxime seria; ab Aeschyli enim 'Prometheo' incipiendum est. In ea sane, quae nobis sola servata est, 'Vincti' fabula ita Titanis poena repraesentatur: in deserta Scythia (2) altissimo scopulo affixus est, unde longe mare prospicitur (89), idque manibus (55—61) et lateribus (71) et cruribus (74—81) et cuneo trans pectus acto (64). His corporis doloribus additur animi aegritudo, cum se inimicorum suorum ludibrium factum esse sentiat; dolet igitur non maluisse Jovem Tartari eum nocte condere, ubi nemo oculos cruciatibus suis pascere posset (152—8).

Haec igitur altera est poena, quam statim ab initio tragoediae palitur; alteram ei in exedo Mercurius minitatur (1016—29): Iovem nimirum fracto scopulo in Tartarum eum detrusurum esse, qui saxeo eum amplexu retenturus

sit<sup>1</sup>. Post longum demum temporis spatium fore ut luci reddatur, sed Jovis aquilam corporis ejus lacinias devoraturam esse, neque ullum cruciatibus finem affore, priusquam deus aliqui doloris ejus heres lucidum diem Orci Tartarique tenebris commutare velit.

Duas hic principales poenas discernere possumus: alteram super terram in clara luce positam, alteram in Tartari caliginem demersam, qui hic invito Hesiodo idem atque Orcus esse praesumitur. Aquila utpote Jovis nuntia unice priori poenae accommodata est; contra dei alicujus, Chironis scilicet, vicarius in Tartarum descensus quavis ratione cum ipso Titane in Tartaro morante jungendus est. Creditur enim Orcus victimam sibi sub terram demissam ut honoris sibi debiti pignus mordicus retinere, id quod Alcestidis fabula edocemur; non potuit igitur Prometheus prius dimittere, quam sibi alia victima daretur eaque ejusdem pretii; deus scilicet pro deo.

Conjunxit igitur Aeschylus poenas, quae in fontibus ejus singulae fuerant. Et hoc quidem quivis primo obtutu intellet efficacem apud eum solam priorem esse: Prometheus scopulo aereo affixum et nos in 'Vincto' habemus et antiqui in 'Liberando' habuerunt. Quin adeo, ut etiam Tartareae poenae locus in fabula daretur, vim mythopoeiae intulit sollertissimus ceteroqui poeta Prometheusque cum in Orcum demersisset, novo molimine, cujus ne causam<sup>2</sup> quidem addidit, superis auris restituere

<sup>1</sup> Haec poetica saxei amplexus imago etiam in aliis mythis occurrit; ea enim fuit et Niobes in Sipylo monte sors, et Lycurgi, qui Liberum laeserat, et Perithoi nefarii consilii poenam in Orco patientis donec eum cum Theseo Hercules liberaret.

<sup>2</sup> Hinc maxime elucet falli eos, qui Tartari descensum pro exasperatione habent poenae contumaciae causa Prometheus imposita. Immo si augendus erat terror ad arcanam scientiam Titani eripiendam, quod dramaticum erat ipsius Aeschyli *επεισόδιον*, apte ad eam rem aquila cruciatrice reservabatur, in Tartarum vero praecipitatio supervacanea erat.

debut; adeo aliena fuit Tartarea conceptio a totius tra-goediæ proposito. Recte igitur eam rudimentalem dicemus.

Est tamen quo horum locorum ratio ab ea, quam vulgo habemus, differat: non enim ex suo commentus est Aeschylus eum locum, quem efficacem diximus, sed e fonte ipsum quoque hausit eoque Hesiodo. Ibi enim superterraneam conceptionem solam habemus. Jupiter Prometheum indestructibilibus vinculis coercet poste trans pectus acto<sup>1</sup> vinctoque aquilam immittit, quae jecur ejus interdium vorat, ita tamen, ut devorata pars noctu succrescat (521—5). De Tartaro et de Chirone altum est silentium; unum additur aquilam postmodo ab Hercule occisam esse »non invito Jove«, qui hunc honorem filio reservare voluerit.

Plane ex alio fonte hauserit oportet poeta Tartaream versionem, quae apud eum rudimentalis est, in fonte vero sola efficax esse debuit. Secundum hanc versionem Jupiter Prometheum post ignem raptum in Orcum detrusit; postmodo cum defervescente ira eum liberare vellet, Orcum semel concesso honore fraudare non potuit nisi alio deo ultro liberandi poenam in se suscipiente, cui conditioni Chiron demum satisfecit. Haec enim nobis constare debent: Chironis descensus condicio est ascensus Promethi, non aquilae ab Hercule occidendae; quodsi cum hoc Herculeo labore eum conjunxit Aeschylus, necessitate coactus vim mytho intulit. Postquam enim superterraneam versionem Tartarea conduplicavit, desitus est Promethi ascensus pro liberatione haberi. Ita factum est, ut Chironis descensus, sine quo Titanis liberatio repraesentari non poterat, pri-

<sup>1</sup> Ita Hesiodum Aeschylus intellexit v. 64 et ante eum Clusinae amphorae pictor (Roscher *Lex. myth.* III 3090), nisi quod hic hunc *kloua* pali instar ab imis partibus cervicem usque actum pinxit. Quam interpretationem equidem recte se habere censeo, cum — pace dixerim et God. Hermannii et Nic. Weckliini et U. de Wilamowitz (*Interpret.* 130) — persuadere mihi non possim Aeschylum minus ac nos Graecam linguam calluisse.

stino ligamine solutus invita ratione cum aquila occidenda conjungeretur <sup>1</sup>.

Has igitur duas habemus originarias versiones:

A. Versio superterranea. Prometheus montis cacumini sive Scythici sive Caucasici affigitur jecurque ejus subinde succrescens ab aquila devoratur. Post multa demum saecula eum Hercules liberat Jovis permissu occisa aquila solutisque vinculis.

B. Versio Tartarea. Prometheus in Tartari tenebras detruditur. Post multa saecula eum Hercules liberat, postquam Chiron ex pede laborans Hydrae veneno infecto ejus se vicem Orco dari passus est.

Haec ideo disputavi, ne mihi quis objiceret Tartaream versionem, Aeschylum si excipias, apud Horatium demum apparere <sup>2</sup>; immo subintellegenda est, ubicunque de Chironis vicaria opera antiquam sane habemus fabulam. Atque hoc est argumentum illud extrinsecus afferendum, quo rudimentalem nostram rationem firmandam recepimus, ut de antecedente fama nobis conjecturam facere

<sup>1</sup> Notandum tamen est — id quod mihi maxime esse momenti videtur ad sententiam meam approbandam — Aeschylum, cum antiquum atque rationale Chironis cum Prometheo in Orcum demisso vinculum abrumperet, partem tamen ligaminis intactam reliquisset, quae nunc antiquam necessitudinem invita prodit; ita enim de eo 1026 Mercurius vaticinatur: *τοιουδὲ μόχθου* (h. e. funestae aquilae superterranei pastūs) *τέρμα μὴ τι προσδόκα, πρὶν ἂν θεῶν τις διαδόχος τῶν σῶν πόνων φανῆ* *Δελήση τ' εἰς ἀνάγητον μολεῖν Ἴαδην*. Quae qui legit, facere non potest quin Orcinae Promethei poenae vicarium accipiat Chironem; haec igitur ferebat antiqua fama ab Aeschylo derelicta.

<sup>2</sup> c. II 13, 37 *Quin ei Prometheus et Pelopis parens dulci laborem decipitur sono*; 18, 34 *nec satellites Orci callidum Promethea revexit auro captus*, sc. Charon, quem et ipsum antiquitus Minyadi deberi non abs re erit monuisse. Non quod ab Horatio eam consultam esse credam; verisimile tamen est perdoctos Alexandrinae aetatis poetas obliteratam cyclicorum famam etiam ad eum manasse. Ceterum etiam Ixionis poenam ab aliis superterraneam ab aliis Tartaream fingi meminisse juvabit.

liceat. Hanc ipsam tamen Hesiodi aemulam cui debuerit Aeschylus, in tanto epicae poeseos naufragio vix indicare licebit; possis tamen e. g. de cyclica Minyade cogitare.

Atque hoc est Tartareae poenae rudimentum per conduplicationem a poeta servatum; nec tamen eâ solâ viâ eam in tragoediam suam induxit. Vv. 152 sqq. enim eam prece quodammodo Titanis praeoccupavit:

*εἰ γὰρ μὴ ὑπὸ γῆν νέρθεν Δ' Αἴδου  
τοῦ νεκροδέγμωνος  
εἰς ἀπέραντον Τάρταρον ἦκεν,  
δεσμοῖς ἀλύτοις ἀγρώως πελάσας...*

quae plane cum Mercurii minis 1016 sqq. concinere et Orcus demonstrat cum Tartaro identificatus (cf. 1029 Ἄϊδην κνεφαῖά τ' ἀμφὶ Ταρτάρου βάθει) et vincula insolubilia (cf. 1019 πετραῖα δ' ἀγκάλη σε βαστάσει). Sed haec ad vastum pertinent irriti consilii genus, de quo quarto nobis capite agendum erit.

19. Habet tamen, ut suo loco monui, peculiare quiddam haec Aeschylea conduplicatio, scilicet efficacem locum non ab ipso poeta mythopoeiae amplificatore fictum, sed ex antiquo ipsum quoque haustum, ut eodem jure contaminatio appellari possit. Propius vulgatam conduplicationum methodum aliud exemplum accedit, quod nobis Sophocles supeditabit.

In *Electra* enim ejus ita Talthybius — liceat enim vero eum nomine appellare abjecto inepto grammaticorum commento<sup>1</sup> — servati pupilli antiquam recolit memoriam (11):

<sup>1</sup> Credo multos animadvertisse parcissimam esse nominum priorum tragoediam, id quod etiam magis mirum videbitur, si hanc parsimoniam cum laeta epicorum carminum ubertate comparaverimus. Cujus rei causam non tam in poetarum ingeniis positam esse opinor quam in eo, quod heroum nomina a poetis epicis ad dactylo-

ὄθεν σε πατρός ἐκ φονῶν ἐγὼ ποτε  
πρὸς σῆς ὀμαίμου καὶ κασιγνήτης λαβῶν...

Conduplicata est igitur servatoris persona, et quidem ita, ut major rei gestae laus ad Electram recidat; illius enim et mens et manus Oresten e fati faucibus eripuerunt, Talthybius cum sibi traditum ad Strophium perferret, revera nil nisi ποδῶν ὑπηρέτημα, ut ipsa infra quamvis gratabunda dicit, praestitit. Electrae igitur facinus pro efficaci est loco — amplificandis enim heroinae partibus inservit, — quare saepius in tragoedia commemoratur; Talthybii adjutoria opera, quo ad ejus fieri potuit, ad rudimentum redigitur. Non sine causa hac restrictione usus sum; plane enim rudimentalis esset ejus persona, si ita res instituta esset, ut Electram cum Oreste ad Strophium proficiscentem Talthybius comitaretur; quod quoniam a heroicae aetatis moribus alienum erat, quod solum poterat poeta effecit, ut ille scilicet famulus dominae jussui pareret.

Susplicari igitur licet in antiquiore fama Electrae nullas fuisse in servando Oreste partes, totamque rem a Talthybio transactam esse. Et ea est revera Euripidis mythopoeia, apud quem parvulâ etiamtum Electrâ (284; 542; 574) patris paedagogus pupillo mortem imminente arcuisse dicitur (16; 286; 416). Quod tamen ne Euripideae prioritatis fautores in rem vertere possint, eadem fuit jam lyricorum poetarum mythopoeia (non Aeschyli, apud quem πάθος augendi causa ipsa Clytaemnestra filium ex Aegi-

spondiaci versus opportunitatem aut ficta aut accommodata ab iambico tragicorum rhythmo pleraque discrepabant; velut Orestes tertiae, Electra quintae sedi affixa erant, Talthybius, Neoptolemus solutionem flagitabant antiquioribus poetis minime gratam, talia vero, ut Antigone, Andromacha, Deianira, ampla et grandisona in epicis carminibus, in trimetrum nisi vitiatu versu omnino recipi non poterant. Recte igitur, etsi non ubique feliciter, veteres grammatici ex reliqua traditione in personarum saltem indicibus huic coactae tragicorum exilitati mederi conabantur; quorum bonum honestumque studium a nobis promoveri potius quam pessumdari decebat.

sthi conspectu asportandum curat). Etenim ne apud eos quidem ullae fuerunt sororis partes; quod autem ex ipso thalamo non a Talthybio, sed a nutrice puerum ereptum finxisse dicuntur, quam Arsinoen Pindarus, Laodamiam Stesichorus nominavit (Schol. Aesch. Cho. 714 K), crederem a Sophocle leni mutatione pro femina famula marem substitutum esse, si ullam probabilitatis speciem haberet etiam ad Strophium puerum nutricis manu perlatum esse. Hae igitur cum haud dubie Talthybii partes fuerint, ipse servandi erilis filii auctor fuisse videtur; non enim, ut Electrae dominae, ita nutriculae dicto audientem fingere possumus honestum Agamemnonis praeconem Talthybiadarumque nobilissimae gentis proavum. Nec dubito quin totam rem unus perfecturus fuerit, si modo salvo pudore erilem thalamum intrare potuisset; nunc vero nutrici hoc *χειρῶν ὑπούργημα* mandavit, ita tamen ut ipse consilii auctor remaneret. Neque aliter Euripides rem sibi repraesentavit, nisi quod tragoediam scribens minima non curabat<sup>1</sup>.

20. Nec tamen immerito propius tantum accedere vulgatam methodum dixi hanc in 'Electra' conduplicationem, non omnino ad eam accommodatam esse. Etiam propius eam accedimus in ea, de qua nobis sermo erit nunc.

In 'Philoctete' enim Sophoclea Ulixes a Neoptolemo

---

<sup>1</sup> Quaesierit quispiam, qui tandem apud eum senex, perfunctus ministerio novis dominis minime probato, Mycenae reverti ei tutus ruri degere potuerit, cum apud Sophoclem prudens patriam vitet, nec nisi una cum pupillo domum redeat. Haecine negligentis poetae exciderunt? Credant ei, qui tragicos prout res ferat ultro citroque vagari sibi persuaserunt et hanc inconstantiam pro arcana tragica arte venditant; nos poetam, licet de minimis taceat, tamen hic quoque se a curiosorum hominum criminibus tutatum esse putamus. Non enim eidem sunt apud eum Aegisthus et Clytaemnestra atque apud Sophoclem; Aegisthus, qui praetereuntes peregrinos hospitaliter prandio excipit, Clytaemnestra, quae erga asperam filiam indulgentem se matrem praebet, facile decrepito seni quamvis nocenti ultimorum dierum usuram relinquere potuerunt.

interrogatus, cui tandem usui ei futurus sit Philoctetes Lembo ad Trojam accitus, non posse respondet urbem capi, nisi arcus ejus ope. Cui indignabundus juvenis: »at vos me«, inquit, »eum esse dicebatis, qui eam expugnaturus esset!« — »Neque tu sine illo, neque ille sine te« (112):

NEO. κέρδος δ' ἔμοι τί τοῦτον ἐς Τροίαν μολεῖν;

ΟΔΥ. αἰρεῖ τὰ τόξα ταῦτα τὴν Τροίαν μόνα.

NEO. οὐκ ἄρ' ὁ πέρσων, ὡς ἐφάσκετ', εἰμ' ἐγώ;

ΟΔΥ. οὔτ' ἂν σὺ κείων χωρὶς, οὔτ' ἐκείνα σοῦ.

Conduplicata igitur est fatalis Trojae vindicis persona; nam et Neoptolemo opus est et Philocteta — is enim subintellegendus est, ubicunque de divino ejus arcu oratio incidit<sup>1</sup>. Et luce clarius est in nostra tragoedia solum Philoctetam efficacis loci vices explere, Neoptolemmum ad merum rudimentum redactum esse.

Sequitur secundum methodum nostram fuisse tragoediā Philocteta antiquiorem, in qua Trojae capiendae laus ad solum Neoptolemmum reciderit. Ne tamen id, quo nobis opus esse saepius diximus, argumentum extrinsecus allatum desit, haec apud Philostratum juniorem de imagine legimus, qua Phoenici Neoptolemus obviam Scyri veniens repraesentatus dicitur: (Imagg. 1): *λογίου δ' ἐς τοὺς Ἑλληνας ἐμπεσόντος, ὡς οὐκ ἄλλω τῷ ἄλωτὸς ἔσοιτο ἢ Τροία πλὴν*

<sup>1</sup> Prorsus enim tenendum est secundum fabulae propositum fatalem Herculis arcum non alia condicione vim suam retinere, quam si ab ipso Philocteta regatur. Quod si quando arcui soli in cujusvis bellatoris manibus haec eadem vis tribuitur, aut Ulixis habemus dissimulationem callide ad tempus confictam — velut in ea scaena, qua a vi corporea desistens moralem quam dicimus pressionem in Philoctetam exercere vult, — aut, ut hoc loco, negligentem loquendi usum. Quod ideo moneo, quia etiam in hac quaestione nuper turbae motae sunt, ut sunt imbecilla multorum philologorum ingenia, non omni periculo carentes. Si veram haberemus contradictionem, eā viā solvenda esset, quam priore capite monstravi, scilicet ut e. g. apud Aeschylum solum arcum sufficere praedictum esset ipseque heros pro mero arcus sui additamento haberetur.



τοῖς Αἰακίδαις, στέλλεται ὁ Φοῖνιξ ἐς τὴν Σκῦρον ἀνάξων τὸν παῖδα. Ex Aeacidis enim post Ajacis mortem nemo relictus erat praeter Neoptoleum; nam Teucrum sive quod spurcius esset, sive quod materna origine ipsam Trojam attingeret, aliquo modo in oraculo exceptum esse putandum est.

Jam ‚Scyrios‘ Sophocleam eam tragoediam fuisse, unde desumptum esset Philostrateae imaginis argumentum, perquam probabili disputatione ab Engelmanno demonstratum est<sup>1</sup>. Quae tragoedia quando scaenae commissa sit licet definiiri non possit (cf. tamen § 60), tamen priorem eam ‚Philocteta‘ fuisse vel inde patet, quod haec inter ultimas locum habet poetae fabulas.

Habes plane classicum quod dicunt conduplicationis tragicæ exemplum: qui locus in ‚Scyriis‘ unice efficax fuerat, Neoptolemus fatalis Trojae vindex, hic in ‚Philocteta‘ ad rudimentalis loci statum redigitur eique alius efficax locus superponitur, Philoctetes fato ad capiendam urbem designatus. Ubi hoc unum peculiare est, quod non antecessoris respicit, sed suam ipsius fabulam antiquiorem; quod ut ad ipsam rem perinde est, tamen psychologiam explicationem flagitat aliam. Cum enim ‚Scyrios‘ scriberet, de ‚Philocteta‘ nondum cogitabat; nihil igitur obstabat, quominus augendi tragicæ πᾶδος causâ in unum Neoptoleum Achivorum Trojanorumque fata vergere praesumeret. Nunc vero cum ei Philoctetes eodem in fastigio ponendus esset, prioris fabulae si non spectatores memores fore ratus, at ipse memor correctionem ei adhibuit ejus non dissimilem, qua OC 87 oraculum Delphis Oedipo secundum OR 789 sqq. datum posteriori dramati accommodavit.

<sup>1</sup> *Archäologische Studien zu den Tragikern* 29 sqq.; quamquam non omnibus probatam esse ratiocinationem ejus scio. Ceterum eandem in hac re conditionem fuisse necesse est in ‚Neoptolemi‘ tragoedia, quam hucusque ignotam Sophocli vindicavi disputatione peculiari Hermae Petropolitano a. 1915 (NN 11 et 12) inserta. De qua etiam in his Tragodumenis procedente opera acturum me esse spero.

21. In *Andromacha* sua Euripides ideo Delphos profectum finxit Neoptoleum, ut Apollinis gratiam sibi reconciliaret merito sibi succensentis propter priorem perfectionem, qua audaci impioque consilio a deo occisi patris rationem postulaverat (51):

*Δελφῶν κατ' αἶαν, ἔνθα Λοξία δίκην  
δίδωσι μανίας, ἢ ποτ' εἰς Πυθῶ μολῶν  
ἤτησε Φοῖβον πατρὸς οὐ κτείνει δίκην,*

cujus loci ut amplificetur efficacitas, etiam 1002 sqq. et 1106 sqq. eum respexit. Conduplicavit igitur Delphicam Neoptolemi theoriam, idque ita, ut priorem infesto in deum animo susceptam indefinito temporis intervallo sequeretur haec posterior, mitigatae voluntatis poenitentiaeque signum.

Cujus mutationis causam facile ex ipsius fabulae proposito assequimur. Est enim inter omnes maximo in deos, praecipue vero in Apollinem odio flagrans; quem ut prorsus penitusque injustum repraesentaret, victimam ejus Neoptoleum omni impietate liberavit. Non igitur nocentem merita poena ultus est Delphicus deus, sed pium manusque tendentem praepostera ira mactavit. Nec satis habuit exacerbatus poeta id spectatoribus colligendum relinquere: immo ne vel hebetissimis ulla relinqueretur dubitatio, disertis verbis nuntium hoc idem declarantem fecit (1161 sqq.); cf. 1164:

*ἐμνημόνευσε δ', ὥς περ ἄνθρωπος κακός,  
παλαιὰ νείκη' πῶς ἂν οὖν εἴη σοφός<sup>1</sup>;*

<sup>1</sup> Quo loco non injuria quispiam objecerit omnem liciti modum excedere poetam, qui deo non jam veterum poetarum inventa, quorum vanitatem ipse quoque alibi perspexit, sed a se ipso rem fictam crimini det. Quod ille tamen studio abreptus non semel fecisse videtur. Simile enim est, quod in *Hercule* 188 sqq. Amphitryonis ore in Lycum tyrannum invehitur, cum eum ne in sua quidem patria ulla re clare gesta innotuisse dicit; quasi vero mirum esset personam totam ab eo fictam nulla fortitudinis vestigia in hominum fama reliquisse.

Sequitur in priore quadam fabula Neoptolemum Delphos profectum ob id ipsum Apollinis jussu esse interemptum, quod nefaria petulantia deo paternae mortis litem intenderit. Fuit haec vero Sophoclis *Hermione*, ut diserte testatur Eustathius ad *Odys.* p. 1479, 10, qui collata hac ipsa Sophoclis fabula Neoptolemum dicit Delphis occisum esse, ὅτε τὸν Ἀπόλλω τινύμενος τὸν τοῦ πατρὸς ἐξεδίκει φόνον<sup>1</sup>.

Cui testimonio quo majorem fidem habeamus ipsius Euripidis efficitur posteriore auctoritate. Quod enim mirum videri possit, abdicavit ille postea, qua erat in his rebus ingenii facilitate, *Andromacham* suam<sup>2</sup> et ad Sophocleam famam rediit: in *Oresta* sane ipsius Apollinis ore Delphico gladio perituum esse dicit Neoptolemum litem deo de Achillis patris morte intendentem, (1656 sq.):

---

<sup>1</sup> Neque enim assentiri possum Welckero, Ribbeckio et R. Wagnero (*Epit. Vatic.* 274 sq.) in dubium vocantibus hoc Eustathii testimonium. Ceterum si quis quaesierit, quo tandem modo mira haec inter deum mortalemque lis dijudicari potuerit, ad 1092 sqq. revocandus erit, ubi Delphorum de praesente Neoptolemo rumores referuntur: ὁράτε τοῦτον, ὃς διαστείχει θεοῦ χρυσοῦ γέμοντα γάλα, θησαυροῦς βροτῶν, τὸ δεύτερον παρόντ' ἐφ' οἷσι καὶ πάρος δεῦρ' ἦλθε φοῖβον ναὸν ἐκπέσαι δέλων (ubi alterum in eadem re locum rudinentalem habemus, vanam scilicet famam, de qua cap. V agendum erit), collatis etiam Ionis 444 sqq. Auri igitur pondus secundum heroicæ ætatis morem a deo, hoc est a Delphorum senatu poenæ loco petisse videtur in Sophoclis *Hermione*, eodem modo atque Nauplius in ejusdem poetæ fabula cognomini priore ob filium iudicio circumventum. Ceterum de *Hermione*, nobilissima Sophoclis fabula, alio loco (§ 63) mihi agendum erit.

<sup>2</sup> Ita sane etiam *Helenam* suam *Oedipum*que et *Antigonam* in posterioribus fabulis abdicavit; sed tamen peculiaris est hujus fabulæ conditio. Ibi enim tam violentæ erant mutationes a poeta sive aliis auctoribus sive proprio motu receptæ, ut ne consistere quidem possent vicini ut ita dicam mythi; hic nullo negotio aut Neoptolemi excusatio retineri, aut mortis ejus causa taceri poterat. Vides Euripidem cupide retractandi inventi sui opportunitatem arripere; quod cum conversa ejus in deum voluntate conjungendum est alio loco mihi tractanda.

Δανείν γὰρ αὐτῷ μοῖρα Δελφικῶ ξίφει  
δίκας Ἀχιλλέως πατρὸς ἐξαιτοῦντά με.

22. In ejusdem poetae Hecuba a' duplicem habemus sceleris Polymestorei a vetere regina patratam ultionem; nam et filios ejus impuberes a captivis Trojanis matronis occidi jubet, et suis ipsa manibus oculos ei eripit.

Horum locorum efficacior haud dubie est posterior; ex eo enim tota pendet lyrica caeci Polymestoris scaena, quae quantopere Atheniensibus placuerit notissima pictura vascularis demonstrat. Et sane talis est, ut prae ea etiam pueros occisos esse paene obliviscamur.

Quae cum ita sint, methodo nostra adhibita Polymestoris occaecationem ab ipso Euripide inventam dicemus, liberos necatos antecessoris tragoediae tribuemus. Ac de praeconclusionis parte conferre possumus acutam, ut semper, Kaibelli disputationem, qui caecum Polymestorem ipsi deberi Euripidi certis, ut mihi quidem videtur, argumentis demonstravit<sup>1</sup>.

In antiquiore igitur tragoedia unice efficax fuit liberorum Polymestoris necatorum locus; nec multa deliberatione opus est, ut eum revera originarium fuisse agnoscamus. Quis enim, amabo, logicus nexus est inter Hecubae filium a Polymestore occisum et Polymestorem oculis a Hecuba orbatum? Poetae commentum habes scaenicae efficacitati unice inservientem planeque antiquae jurisprudentiae oblitum, cujus ea mens est, ut secundum Rhadamanthi praeceptum — εἶθε πάδοι τά τ' ἔρεξε, δίκη τ' εὐδεῖα γένοιτο — poenâ culpae exaequandâ justitiam assequatur. Cui menti unice id momentum satisfacit, quod apud Eu-

<sup>1</sup> Hermae vol. XXX inserta, in qua optime occaecatum Polymestorem cum Polyphemo occaecato comparavit; in eo autem falsus est, quod totam Polymestoris personam ejusque in Polydorum scelus Euripidi inventori vindicare conatus est. Sed de hac re progrediente disquisitione nostra fusius judicandum erit; nunc id solum moneo, rectum mihi vidisse videri Weilium in heptadis suae editione (p. 207).

ripidem secundarium est et rudimentale factum: ut Polymestor perfidia sua orbam reliquit veterem reginam<sup>1</sup>; ita ipse adeptis sibi liberis orbis relinquatur.

Haec igitur hucusque enucleavimus: Euripides in Polydori fati repraesentandis antecessorem habuit, qui tamen ita rem instituit, ut Polymestor, salvis oculis suis, liberis sibi ferro adeptis a regina puniretur. De caeteris in eis quae sequuntur videbimus; neque enim ea sola aut gravissima est ab Euripide admissa conduplicatio.

23. In eadem enim 'Hecuba' etiam Polydori mortui conduplicatam habemus apparitionem, nam et 1) dormienti matri ille assistit et 2) ad spectatores prologistae munere fungitur. Atque hae posteriores ejus partes arcto cum prologorum arte Euripidea vinculo conjunctae quin ipsi poetae debeantur dubium non est; illas priores revera ad rudimentum redactas esse brevis disputatio docebit.

Ut enim a Polydoro incipiamus, bis ille matri se apparuisse testatur; primum 30 sqq., quibus ille tertium se jam diem — noctem debebat dicere — corpore relicto matri supervolare ait:

*νῦν δ' ὑπὲρ μητρὸς φίλης  
Ἐκάβης αἴσω, σῶμ' ἐρημώσας ἐμόν,  
τριταῖον ἤδη φέγγος αἰωρούμενος.*

tum vero 52 sqq., ubi se matris e conspectu abire velle dicit, quippe quae phantasmate ejus exterrita Agamemnonis tentorio pedem promoveat:

*γεραιά δ' ἐκποδῶν χορήσομαι  
Ἐκάβη. περᾶ γὰρ ἤδ' ὑπὸ σκηνῆς πόδα  
Ἀγαμέμνονος, φάντασμα δεμαίνουσ' ἐμόν.*

Neutro tamen loco nos edocet, cur tandem infelicem regi-

<sup>1</sup> Helenus enim utpote captivus numerandus non est, neque opportune poeta nobis eum in memoriam revocavit 87; ad alium is mythorum complexum pertinet. Polyxena certe 426.sqq. ultima vota sua solis reddi jubet Cassandrae et Polydoro.

nam funesto suo aspectu terruerit; spem enim sepulturae non in hac apparitione ponit, sed in corpore suo mox a matris ancilla inveniendo — quae nova est ejusdem loci conduplicatio: nam haec ancilla ad mare missa, ut aqua marina Polyxenae corpus mactatae ablueretur, ligamen efficit inter Polyxenae et Polydori tragoedias, quas ab Euripide primo conjunctas esse et alii animadverterunt et nos infra videbimus. Hic est igitur efficax locus Euripideus; et operae pretium est cognoscere, quam callide poeta illi rudimentali loco hunc efficacem superstruxerit, nec tamen vitare potuerit, quin diligentioribus oculis substructionem proderet. Cum enim ancillari illa opera commemorata (47):

*φανήσομαι γάρ, ὡς τάφου τλήμων τύχω,  
δούλης ποδῶν πάροισεν ἐν κλυδωνίῳ.*

haec adjungit:

*τοὺς γὰρ κάτω σθένοντας ἐξηγησάμην  
τύμβου κρηῆσαι κὰς χέρας μητρὸς πεσεῖν.*

se ab inferis deis ea efflagitasse praedicat, quae non eorum potestatis erant. Potuerunt ei indulgere, ut relicto Acheronte matrem dormientem conviseret eique corporis sui sepeliendi curam imponeret; illud vero praestare non potuerunt, ut undis agitatam ejus corpus eo appellerent, ubi inventum ad matrem referri posset. Manifesto igitur antiquioris tragoediae eruimus locum ita fere conformatum: »concesserunt mihi precanti inferorum dei, ut per somnium matri et occisum me esse. et prope in salo corpus meum agitari nuntiarem, quo sepultura dignari possem«.

Vides igitur jam a Polydori parte ad rudimenti indiguitatem detrusum esse hunc de somniante Hecuba locum eique superstructum esse efficacem alium de corpore ab ancilla invento; eodem tamen devenimus etiam si ab ipsius Hecubae parte rem aspiciamus. Apparuit enim dormienti mortuus filius; quid ergo? Nunc saltem manifesto scit se eum amisisse? Minime vero: 59 cum in scaenam prodisset

70 sqq. »Tellurem potentem, Somniorum matrem« precatur, ut nocturnam visionem avertat, »quam per quietem de filio in Thracia crescente et de carissima filia Polyxena« habuerit. Liberos suos quaerit divinandi arte praeditos, Helenum et Cassandram, ut sibi hoc somnium interpretentur, cujus argumentum nunc demum nobiscum communicat (90 sqq.). Cervam igitur vidit crudeliter e sinu suo ereptam, ut a lupis laceraretur; jam cum audisset ab Achille unam ex Troadibus victimam flagitari, (v. cap. II § 12), deos precatur, ut a Polyxena hanc sortem avertant. De Polydoro nihil.

Quod etiam insequente actionis progressu comprobatur; omnes soli operam dant Polyxena, Polydorus alta oblivione premitur. V. 428 virgo morti sese offerens inter ceteros etiam Polydorum valere jubet; cui mater respondet: »si modo vivit, quod ego non credo, cum tantis aerumnis premar«. Qui potuit haec respondere, si ipsius Polydori phantasmate de morte ejus edocta esset? Cum vero filii exanimum corpus videt, ita eum alloquitur (702 sq.): »Intellexi oculorum meum per somnia visionem, non me fugit nigris alis terribilis apparitio, quam vidi de te (*ἀμφὶ σέ*);« potuitne ita loqui, si ipsum Polydorum vidisset?

Sequitur ex his omnibus in antiquiore tragoedia unice efficacem fuisse Polydori umbram coram spectatoribus dormienti Hecubae apparentem eique et miseranda sua fata narrantem et inferorum deos ab sese prece victos esse, ut eam convisere posset sepulturae obtinendae causa.

Approbantur haec, ne argumentum extrinsecus petitum desit, Ilionae Pacuvianae testimonio, cujus argumentum, intricatum sane, a posteriore poeta — Astydamante. credo, aut ejus aequali, — petitum esse videtur. Hic enim efficacissime occisi (pseudo-) Polydori umbra dormientem matrem compellat celebri illa allocutione: *Mater, te appello...* (Ribb.<sup>3</sup>p. 114).

Nec sane difficile est intellectu, cur Euripides huic efficaci apud antecessorem suum loco tenebras offundere maluerit. Si enim Hecuba in ipso tragoediae initio a prae-

sente filium clarum de morte ejus indicium accepisset, occalluisset animus ejus ad Polyxenae sortem; nam etiam in ea quam habemus tragoedia in eo consistit tragici *πᾶδους* incrementum, quod Polyxenae sacrificium invento Polydori cadaveri praemittitur. Vides igitur Polyxenae tragoediam cum Polydori conjunctam causam poetae fuisse, cur efficacem apud priorem poetam Polydori locum dormienti matri apparentis rudimentalem redderet. Neque absurde quispiam objecerit, melius eum rei suae consulturum fuisse, si omnino missum fecisset hunc locum, Polydoro prologi tantum causâ ex inferis evocato, ut e. g. in *Hippolyto* Venerem Olympo descendere jussit. Quo magis antiquioris fabulae vim attractivam et rudimentalium locorum gravitatem discere licet.

Sed ne haec quidem omnia sunt.

24. Novam conduplicacionem in eadem *Hecuba* eo loco invenimus, quo Polymestori insidiae ab Hecuba struntur. Primum enim se ei arcanum receptaculum indicaturam pollicetur, quo Priami gaza abdita sit; tum autem eum ad accipienda pretiosa ornamenta invitat, quae captivae Trojanae mulieres domibus suis abstulerint; eâ scilicet lege utraque, ut ea Polydoro servet (1000—16).

Horum duo locorum prior ad *πιδανότητα* admodum est bene electus, ad *οικονομίαν* autem minime efficax. Facile enim intellegitur regem Priamum, ad interitum vergentes cum videret res Trojanas, pretiosissima quaeque cimeliorum suorum sub terram abdidisse, ut superstiti filio suo integra servarentur; non intellegitur, quomodo Hecuba, cum fabulae scaena non Trojae, sed in Chersoneso esse fingatur, latebras Polymestori monstrare potuerit. Sin autem verbis tantum situm earum descriptura erat, quid opus erat a scaena abducto? Quin revera coram spectatoribus ei rem describit (1008. 10), ut plane inutilis appareat ad insidiarum rationem tota haec thesauri fictio.

De posteriore vero loco plane contrarium valet: ad *οικονομίαν* efficacissimus est — ornamentorum enim tradendorum



causâ secum abducit Polymestorem regina — ad *πιδανό-  
τητα* autem admodum improbabilis; quae enim apud capti-  
vas ab altaribus deorum abreptas (289 sqq.) extare poterant  
pretiosa ornamenta, victoris scilicet benignitate eis relicta?  
Ipse poeta sensisse videtur labare hac parte hypothesim  
suam, quare 615 sqq. ei *προοικονομείν* temptavit, callidius  
tamen quam probabilius.

Concludamus necesse est hunc efficacem, qui est de  
ornamentis tradendis, locum Euripidi deberi, illum rudi-  
mentalem ex antiquiore fabula haustum esse. Quo quid  
lucremur, partim subito apparebit, partim infra fusius de-  
monstrandum erit.

Liberis enim Polymestoris ad solum thesaurum indi-  
candum Hecubae opus fuisse ipse poeta testatur 1005 sq.;  
quem locum cum rudimentalem fuisse cognoverimus, unâ  
cum eo etiam ipsi liberi fabulae antiquiori assignandi  
erunt. Atqui supra vidimus (§ 22) liberorum occisorum  
poenam, ipsam quoque prae occaecatione ad rudimenti va-  
nitatem ab Euripide redactam, in fabula antecedente unice  
efficacem fuisse; hae duae conclusiones igitur, cum seorsum  
utraque effecta tam bene concinant, mirifice sese invicem  
confirmant.

Quid quod sui ipsius inventi, postquam debitam ei  
operam praestitit, immemorem videmus factum Euripidem?  
Nam 1145 sqq., ubi Polymestorem apud Agamemnonem  
de injuria sibi illata conquerentem facit, ab re gesta mani-  
festo aberrans ideo se ab Hecuba abductum esse dicit,  
ut sibi abdita Priamidarum gaza indicaretur, — quasi vero  
hoc non in scaena factum sit — de ornamentis tradendis  
omnino tacet.

Sed haec minoris momenti sunt prae eis, quae deinceps  
legentibus propositurus sum.

25. Subitaneo enim velut fulgore illustratur illa quam  
praesumimus fabula hac conclusione, quam credo jam-  
dudum lectori in mentem venisse: scilicet non Cherso-

nesi, sed Trojae ejus argumentum versatum esse. Necessario hoc sequitur ex eis, quae modo de thesauro Polycestori indicando disseruimus. Suo enim jure ille Hecubam interrogat 1005, quid sibi ad hanc rem liberis opus sit:

*τί δῆτα τέκνων τῶνδε δεῖ παρουσίας;*

cui si respondet Hecuba:

*ἄμεινον, ἢν σὺ κατ'Ἰάνης, τούτῳ εἰδέναί.*

stolidissimo fuerit oportet et ne in barbaro quidem ferendo ingenio, qui non ita perrexerit: »Quin tu mihi audacter rem narra; ego autem ipse, simulatque mihi commodum judicaro, eam totidem verbis filiorum majori ambobusve renarrabo«. Plane alia fiebat scaenae conditio, si non verbis descriptura, sed manu monstratura hospiti erat regina absconditi thesauri locum; hoc demum consilio sufficienter explicabatur puerorum introductio, ut quorum vivis oculis nemo vicariam operam praestare potuerit. Quod tamen ut fieri potuerit, necesse est Trojae reddamus deperditi dramatis scaenam.

Neque hoc tamen solum est hujus rei indicium.

Et illud quidem, quo alioquin solo rem totam transigere poteramus, nobis longe amovendum est, scilicet tumultum Achillis, cujus umbra fatalis Hecubae extitit, non in Chersonesiaco, sed in Trojano litore situm fuisse nec nisi vi geographiae adhibita ab Euripide Chersonesum translatum esse. Verissimum hoc quidem est, attamen cum Polyxenae, non cum Polydori fabula conjunctum. Has enim Euripides primus non infeliciter conjunxit; antiquitus eas disjunctas fuisse, ut de aliis taceam, ex scholiastae ad v. 1 testimonio sequitur, qui cum »ea quae Polyxenam attingant« apud Sophoclem inveniri dicit, Polydori fabulam manifesto distinguit. Et Sophoclem quidem Polyxenae mortem cum Astyanactis supplicio conjunxisse et Accius imitator in Astyanacte demonstrat et cyclographorum (Apollod. ep. 5, 23) fama approbat.

Missum igitur facimus hoc indicium, nec sane inviti, cum longe certiora supersint.

Vide enim, quae sint occisi Polydori apud Euripidem fata. Polymestor corpus ejus in mare projicit, reciprocans autem aestus retro id ad idem Thraciae litus refert. Hoc retro merito nostram suspicionem movet, eoque magis quod plane nescitur, quid tandem Achivis negotii fuerit in Chersonesiaco litore. Contra finge in Trojano rem geri; subito totius inventi opportunitas apparebit. Ut enim Hecubae in conspectum prodiret filii corpus, necesse erat in mare ab occisore proici; scilicet ut fluctuum per Hellespontum meatu ad Trojanum litus appelleretur.

Eodem devenimus, si Hecubae, qualis a Polymestore in fine tragoediae praedicitur, metamorphosin consideramus; quae sane habet quod miremur. Primum enim de summo navigii malo in mare desultura esse dicitur (1261 sqq.); ad quae Hecuba, vix baculo (65) aniles passus regens, cum admirabunda quaerit, num eo alis evolutura sit, »immo« audit, »ardentibus oculis canis fies«. Canis igitur facta in malum escensura est; quo loco ne nos interpellent curiosi, num canibus haec ars a natura tributa sit, portentosam fingi canem reminiscantur oportet. Sed quid sibi volunt sequentia reginae verba, utrum mortua an viva vitam expletura sit, atque adeo Polymestoris responsum: »mortua, et tumulo tuo nomen tuum dabitur«?

Juvabit post Euripidem Ovidium inspicere, qui in Metamorphosis suis (XIII 554 sqq.) ne Hecubae quidem fata praeteriit; nam ab Euripide eum pendere, omissis minutis vel eo demonstratur, quod ipse quoque Polyxena fata cum Polydoro invento conjungit, utriusque facti scaenam in Thracicum litus relegans. Is post ipsam avidi tyranni postulationem Hecubam a ceteris captivis adjutam oculos ei eripientem facit; post hoc Thraces Polymestorem comitati telis et lapidibus furentem petunt, illa autem extemplo in canem vertitur, cujus nomen (sc. *Κυνοςθήμα*) etiamnunc tumulus servat.

Brevius extrema, ut assolet, humanus poeta; sed recte et ordine omnia procedere vides. Et quod gravissimum est — nullus hic mirifico illi de malo in mare saltui locus est. Quo cui opus fuerit si quaerimus, pronum est respondere: eidem, cui etiam Polydori corpus in mare proijci expedit; ei scilicet, apud quem scaena non Chersonesi, sed Trojae fingebatur. Si enim Polymestoris poena et Hecubae metamorphosis Trojae locum habebant, Cynos' autem *sēma* in Chersonesiaco litore situm erat, necesse est nans in canem conversa futurum suum sepulcrum attigerit. Ejusdem igitur consilii sunt projecti in mare et filius et mater, nisi quod hic mortuus secundis, haec viva adversis fluctibus suum iter fecerunt — quod et ipsum diligenter observatum vides.

Unum etiam testimonium afferam, quo et tota Euripidea de mutata Hecubae forma narratio, et maxime una ejus particula explicatur. Legimus enim apud Philostratum permiram fabulam, quomodo Apollonius Tyaneus (IV 10) Ephesios pestilentia liberaverit. Civibus in theatrum convocatis cum caecutientem senem mendicum vidisset, lapides eos in eum conjicere jussit. Non sane libenter paruerunt; ut autem primus lapis mendicum attigit, ex apertis ejus oculis flammae emicuerunt, ut manifesto Ephesii cum malefico daemone sibi rem esse intellegerent. Increbescere deinde ictus, ut brevi super senem altus sane tumulus oreretur. Aliquot diebus interjectis dirui jussit Apollonius tumulum; repertusque est pro sene »canis ex genere Molossicorum, magnitudine vero ingentis leonis instar, lapidibus male contusus et spumante rictu tamquam furens«.

Credo hoc Ephesium Cynossema nobis ad illud Hellesponticum explicandum aliquid conferre. Remiscamur enim v. 1265, quo Hecuba canis futura dicitur *πίρσ' ἔχουσα δέργματα*; nunc videmus non hoc epitheton ornans esse, immo portentosae canis speciem anui portendi,

haud secus ac Ephesio seni. Totam autem scaenam ita nobis reconstruere licet.

Cum se ei Trojanae gazae arcanum receptaculum monstraturam esse polliceretur, Hecuba Polymestorem cum liberis a satellitibus segregatum domum suam abduxit. Paulo post regis vociferatio auditur, Hecubâ cum captivis Trojanis matronis liberos ejus occidente. Satellites eam lapidibus insectantur; ictibus eorum perculsa cadit, sed ilico ex ea nascitur portentosa ardentibus oculis canis. Fugiens ad mare currit, inde in navem; omnibus vero latebris praeclusis in malum escendit — non enim domesticae habet canis naturam — indeque in mare sese praecipitat. Tum nans Chersonesiacum litus petit atque ibi undique circumventa sub aggere lapidum sepelitur. Atque haec fuit Cynossematis origo.

In ipso dramate haec partim a nuntio narrata, partim a Cassandra praedicta esse vix est quod moneam. Totum autem cum sola Polydori fata continere debuerit, hisce fere scaenis constititerit necesse ut. Prologus Polydori umbram ostendebat dormienti Hecubae imminentem; sequebatur, opinor, piscatorum chori parodus pueri corpus ferentium (nam ancillam Euripideam cum Polyxenae traegodia conjunctam fuisse vidimus). Inde Hecubae threnus; tum nuntius trans fretum ad Polymestorem missus; Polymestoris et Hecubae colloquium; tum ultio intus patrata exodusque, quam supra adumbravi.

Sed quamnam hanc fabulam fuisse dicemus? Lubrica est talia sciscitandi via, nec nos ultra probabilia progrediemur. Cynossema enim familiare Atheniensibus extitit Philaidarum regno Chersonesi constituto (a. 561), cujus ultimus possessor, magnus ille Miltiades, a. 493 Persis cedere debuit. Recuperandi initium filius ejus fecit Sesto a. 476 expugnata; nec tamen ante a. 459 tota Chersonesus in Atheniensium potestatem venit. Huic igitur tempori, circiter 476—459, haud improbabiler tragoediam nostram assignabimus. Poetam Cimonis partibus addictum fuisse

facile credemus; Sophocles tamen excipiendus est, cum scholion supra allatum solam Polyxenae tragoediam ei deberi testetur. Relinquitur, si probabilia sectamur, Aeschylus, quem et phantasma coram spectatoribus dormienti apparens, Clytaemnestrae in 'Eumenidibus' simile, indicare videtur, et actionis simplicitas, et parvus personarum numerus: quattuor enim vel quinque — Hecuba, Polymestore, Polydori umbra, nuntio et fortasse Cassandra tota actio transigitur. De nomine nihil dico; possis de Δικτυοῦλκοῖς vel Προπόμποις cogitare; nec tamen oblivisci debemus decem fere fabularum indices penitus interiisse.

Juvat sane lucis obortae radios usque ad ultimos quamvis incertos pallores persequi; sed fortasse tutius est citra se veniam tenere et eruta fabula Polydorea contentos esse.

26. De 'Ione' jam superiore capite (§ 13) egimus, nec tamen ad finem disquisitionem de antiquiore fabula perduximus. Quod ne nunc quidem fieri potest; conduplicationem autem, quae hujus est loci, notare debemus.

Praemonito igitur lectore, ut sibi supra exposita repraesentare ne gravetur, ad γνώρισμα accedimus, quae 1395—1436 perlustrantur. Quattuor enim sunt... quam ne quis 'conquadruplicationem' dicere malit ideoque tres antecedentes fabulas conjiciendas esse putet, ad duo paria nobis redituram esse quaestionem jam nunc moneo.

Ac primum quidem γνώρισμα ipsa cistula est, primum Creusae de filio obortum indicium; commemoratur etiam in prologo, et in Pythiae cum Ione scaena ab ipsa allata apparet. Jam supra monui necessariam matri fuisse ad puerum ex regia in antrum perferendum, ei vero, quae puerum in ipso antro partum ibidem relictura erat, non modo non necessariam, sed etiam plane ineptam. Hanc igitur versionem si litterâ A illam litterâ B notamus, cistulam haud dubie versioni B (partui in regia) assignabimus.

Secundo loco fasciae afferuntur (ἔδντα 1913) quibus involutus erat infans, eaeque Gorgonem anguibus aegidis

instar circumdatam exhibentes. Non credo Graecas matres artificiosa ornamenta fasciis infantilibus intexuisse, scilicet ut et pessumdaretur opera sua variis injuriis exposita et tenerae puelli cuti molesta existeret; et si domi peperisset Creusa, non video cur non potius ex regiis copiis suis aliquam laciniam — nam vetustissimas quasque ad eam rem aptissimas esse norunt periti — arreptura fuerit. Sed enim ipsa sese prodit, cum v. 1421 fascias illas *πέπλους* dicit. In antro igitur res gesta est; in summa rerum inopia suam ipsius pallam laceravit infelix puella, ut infantem involveret. Quae cum ita sint, hoc fasciarum indicium, cistulae *ἀντίστροφον*, versioni A (partui in antro) attribuemus<sup>1</sup>.

Tertium ordine, primum gravitate locum obtinet aureum monile (1427—31) ex duobus anguibus effectum, quod etiam in prologo (20 sqq.) commemoratur. Ex hac autem commemoratione sequitur Creusam suum ipsius monile, utpote quod unum ei praesto esset, puero dedisse (*ἀλλ' ἦν εἶχε παρθένος χλιδὴν τέκνῳ προςάψασα*). Iam cum domi abundaverit necesse sit aureis ornamentis regis filia, in antrum deferimur hoc indicio, versioni A ipso quoque assignando.

Restat quartum, mirabilis olivae ramulus in sola *ἀναγνωρισμοῦ* scaena commemoratus (1433 sqq.). Olivae in antro non crescunt; ne igitur ad putidam puerperae ultro citroque ambulationem recurramus, putanda erit in via, domo cum puello profugiens, eum decerpisse. Quod eo certius est, quod de arbore ab ipsa Pallade edita decerptus esse dicitur; ea enim prope ipsam Erechthei domum crecebat. Habemus igitur, quod etiam symmetria postulat, versionem B.

---

<sup>1</sup> Ubi ne quis mihi objiciat, quoquo loco puer in lucem editus sit, fasciarum tamen compendium fieri non potuisse, recte id quidem animadversum esset, sed nihil ad rem. Nam si post editum partum ad suum arbitrium fascias eligere potuisset, simplices haud dubie sumpsisset nullā notā insignitas. Tales igitur in versione B praesuebantur, nec tamen inter *γνωρίσματα* censei poterant.

Revera igitur ad duo paria nobis rediit quaternio: cistulam cum ramulo, fascias cum monili. Ne cui autem utrumque par conduplicationem prodere videatur, non ejusdem ordinis sunt bina utriusque membra: cistula enim et fasciae utilitati, monile et ramulus religioni inserviunt.

Sed nos supra etiam aliam contradictionem ex hac tragoedia enotavimus: mox enim ad mortem, mox ad salutem a deo patre impetrandam expositus esse dicitur infans. Hae duae expectationes quomodo cum duabus, quas modo eruimus, versionibus combinandae sint quaeritur.

Quam quaestionem nolim statim ab initio praecidi collato v. 26 *ἀλλ' ἦν εἶχε παρθένος χλιδὴν τέκνω προσάψασ' ἔλιπεν ὡς θανουμένῳ*, in quo aperte mortis expectatio cum monili, hoc est cum versione A conjungitur; non enim quid conjunxerit Euripides quaeritur — habuit ille perinde et suos et alienos locos in mente, ut ad arbitrium suum eis uti posset — sed quid in fonte suo conjunctum invenerit. Si quis tamen objicere velit non potuisse Creusam monili infantem ornare, nisi futurum *ἀναγνωρισμὸν* mente prospexisset, is non cum solo Euripide rem sibi habendam sciat; iterumque moneo non esse talia ad nostram jejunitatem redigenda. Immo fuit hoc pietatis in propriam progeniem signum, vel si hoc mavis, impiae mortis quodammodo compensatio. Certissime hoc evincitur Terentii, hoc est Menandri collato loco (HT 650), ubi haec mater:

de digito anulum

detraho et eum dico ut una cum puella exponeret,  
si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis;  
quocum Euripideum comparare libet Herc. 331.

Optime igitur conjungitur monile datum etiam cum mortis expectatione; contra excluditur ea ramulo olivae. Vide enim quomodo ab Euripide describatur (1435):

*ὄς, εἶπερ ἔστιν, οὐπότ' ἐκλείπει χλόην* —

manifestum vitae perennis symbolum, quod quae puero



exposito dedit, vitam ei, non mortem optabat. Recte igitur vitae augurium cum versione B, mortis expectationem cum versione A jungemus.

Restat ut utra versio Euripidi, utra fonti ejus assignanda sit quaeramus; quam quaestionem etsi jamnunc breviter transigere possumus, cum cistulae locum apud Euripidem efficacissimum esse constet, tamen, quoniam etiam alia rudimenta in hac tragoedia apparent inter 'irrita consilia' cap. IV tractanda, integram illi capiti reservare placet.

27. Huic uberi de 'Ione' disputationi adjungere placet exilem sane nec tamen, ut opinor, infructuosam de 'Medea' quaestiuunculam. Nam ibi quoque mire conduplicata videmus mortifera dona, quae derelicta mulier novae mariti sui conjugii mittit: scilicet tenuem pallam et aureum capitis ornamentum, quae ipsa quoque a Sole avo suo accepisse se praedicat. Vide enim 949

*λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον,*

quae duplicitas confirmatur et Iasonis (960 sq.), et chori (978-84) et nuntii (1159 sqq.) verbis.

Efficacem eam esse nemo contendet; cum enim ambo dona medicata essent, alterutrum satis erat ad occidentam rivalem. Utrum autem apud Euripidem efficax sit, dubium non est: nam cum utrumque a privignis accepisset nova nupta, tamen solâ pallae peste corripitur 1107 sqq. ejusque caeco consumitur igne, ut plane non expectantibus nobis 1181 sqq. ex aureo apice visibilis erumpat flamma jacentemque semimortuam expergeficiat; cujus additi cruciatus quae *οικονομία* sit, nemo explicare poterit, nam etiam patri mortiferum contagium 1204 sqq. ex palla non ex apice oritur.

Sequitur secundum methodum nostram pallam ab Euripide ex suis copiis additam esse, apicem ex tragoedia antiquiore ascitum. Nec tamen a lectore postulo, ut mihi affirmanti continuo fidem habeat; gravissimum enim anti-

quioris tragoediae rudimentum inter irrita consilia referendum est.

28. Magis est ardua res in Euripidis *Hippolyto*; nec mirum, qui non ab una, sed a duabus antiquioribus tragoediis pendeat. Sed nolo ea, quae demonstranda sunt, praeripere.

Hic enim invito jure conduplicatam habemus poenam Hippolyto a patre inflictam; ob unam enim noxam et inferis caput ejus devovetur (887—90), et ipse exilio solum vertere jubetur. Miramur sane hanc exilii poenam morti additam; quod cum praesentiret poeta, explicationem quandam addidit (894), qua tamen vereor ut diligentioribus satisfecerit. Mortem enim ei efflagitaverat a Neptuno patre trium votorum, quae ei ille concesserat, potestate — ultimi videlicet; num igitur et patri et deo diffidebat? Ita sane videtur:

*ἢ γὰρ Ποσειδῶν αὐτὸν εἰς Ἄϊδου δόμους  
θανόντα πέμψει τὰς ἐμὰς ἀρὰς σέβων,  
ἢ τῆςδε χώρας ἐκπεσὼν ἀλώμενος κτέ.*

Verum haec diffidentia, ut in primo voto propter rei novitatem aliquem locum habere poterat, ita post impetrata duo ferenda non est.

Quid quod ne constitit quidem sibi poeta in hac conduplicacione? In patris enim et filii agone (973 sqq.) solum exilium commemoratur, devotio non solum silentio premitur, sed prorsus excluditur 1044 sqq., ubi Theseus affirmanti filio, talem noxam ultimo supplicio, non exilio puniendam fuisse, »immò« inquit, »nimis levis poena est mors ad tantum scelus vindicandum«. In exodo contra, ubi cum Diana colloquitur Theseus, sola commemoratur devotio (1315 sqq.), de exilio utrimque tacetur; idemque in Veneris prologo 73 sqq. factum videmus.

Num igitur solitâ ratiocinandi viâ, locis efficaci et rudimentali distinctis, utrum traduxerit poeta, utrum de suo

addiderit, enucleare studebimus? Modo haec distinctio aliquo jure adhiberi possit! Sed enim in exilii descriptione ambo loci efficaces esse videntur: exul enim Hippolytus Saronico litore Epidaurum versus proficiscitur, ibique eum Neptunus terrore equis injecto morti dat. Vides igitur alio nobis modo procedendum esse.

Fingamus enim sola devotione contentum fuisse poetam. Haud dubie morem ei gesturus est Neptunus pater, dum modo devotum nepotem in mari aut prope mare occupet<sup>1</sup>; sed id ipsum quomodo fiet? Troezena si res geritur, nullo negotio, quippe quae et ipsa ad mare sita sit; Athenis difficile est Atqui prioris Hippolyti' scaenam Athenis fuisse scimus. In priore igitur necessarius est de exilio locus; hic non item.

Et videtur sane poeta ita in nostra fabula rem *προοικονομησαι*, ut exilio carere possit. Non enim frustra Diana Troezenia Limnae dicitur domina juxta mare sitae (148 cum Wilamowitzii commentario et 228); gymnasium ibi fuit, in quo Hippolytus curru exerceri solebat (228, 1133). Ita et illo fatali die integra etiamtum re valere jubens sodales, qui ei in venando operam dederant, equos praeparandos dicit, ut post prandium curru junctos exercere possit (*γυμνάσω* 112): quo fit ut etiam 1173 hi sodales, jussum ejus exequentes, equis attenti in litore eum expectent (*ἀκτῆς κυμοδέγμονος πέλας* 1173). Quo quid commodius excogitari potuit? Descendit igitur adulescens ad mare, ibique eum, dum in *ἄλις Λίμνη* curru vehitur, taurus ille marinus a Neptuno missus territis equis usque ad necem trahendum dedit.

---

<sup>1</sup> Non semper huic rei attendisse poetas duo priora Thesei vota demonstrant; etsi enim concedimus Cnossum, utpote juxta mare sitam, Neptuni leges pati potuisse (quamquam liberationis ratio nihil cum Neptuni imperio commune habet), tamen secundum votum, ex inferis fuga, minime ad maris regem pertinebat. Sed hic saltem ita rem instituit poeta, ut maritimae Neptuni naturae ratio habita esse videatur.

En irritum consilium' — quod tamen ipsum quae hic absolvere praestat, ne nimis discerpatur disputatio nostra. Si quis enim quaesiverit, cur proposito destiterit poeta, perlecto eo qui sequitur inter patrem filiumque agone facile causam cognoscet. Non potuit Hippolytus post hoc fatale discidium tamquam salvis rebus suis ad solitas occupationes reverti; missum igitur fecit poeta vetus propositum et, ut novam causam inveniret ad litus mandandi adolescentis, exulare eum patris ore jussit. Non sine ratione igitur, id quod supra monui, exilii poena sola in hoc agone commemoratur: quae ne nimis inexpectata spectatoribus oreretur, προκονόμεσεν ei poeta hac eadem poena 893 sqq. pronuntiata ubi terribili devotioni 887—90 addita mirifice friget.

Quid tamen inde lucrati sumus ad antiquiorem tragœdiam illustrandum? Duo, ni fallor. Fuit ea uno devotionis loco contenta; propositum autem, quod apud Euripidem irritum cecidit, ibi ad justum finem perductum erat. Nullus erat inter Theseum Hippolytumque agon; post novercae amorem quoquomodo cognitum abierat juvenis in gymnasium maritimum, ut ibi curru exercitaretur; absente eo supervenit Theseus et Phaedrae seu vivae seu mortuae calumniis fidem habens eum devovet; nec mora, Neptuno morem filio gerente, ab equis furentibus distrahitur.

Et revera fuisse mythopœiam eamque tragicam, in qua omissâ exilii notione Hippolytus inter exercitationem equestrem perierit, duo testimonia extrinsecus allata demonstrant.

Prius nobis Troezenia fama suppeditat (Paus. II 32, 10) In portu enim non longe a Dianae Saroniae templo oleastrum monstrabant, cui nomen erat στρεπτός propterea inditum, »quod in eo implicita essent lora, quo facto eversus esset Hippolyti currus«. Atqui sciendum est hunc portum una cum Dianae sanctuario ad orientem situm fuisse ab urbe venientibus, cum ille locus, quo Euripides periisse dicit juvenem, ad occidentem situs fuerit in via,

quae Troezenae ad Isthmum ducebat. Famam igitur habemus non ab Euripide pendentem. Jam si meminerimus olivis saepissime hippodromos circumdari solere, unde etiam proverbium extitisse ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν in eos, qui modum excedunt (Arist. Ran. 995 c. schol.), dubitare non poterimus, quin de gymnasio agatur, quod irritum Euripidis 'consilio' admoniti antiquiori fabulae restituimus. Tales autem famas in urbibus saepissime confictas esse secundum poetarum tragicorum commenta norunt periti.

Tum autem etiam mythographicum testimonium habemus eodem spectans; Asclepiadis dico Tragilensis in scholio ad λ 321. servatum (= Müller FHG III 305). Ejus enim ἱστορία, ut saepe, ex duabus, fortasse etiam ex tribus traegoediis conglutinata est; nos ea solum, quibus a servata Euripidea fabula dissentit, enotabimus. Sunt autem haec: 1) matris Hippolyti nomen indicatur Antiope; 2) Theseus ei novercalium odiorum timore Troezenem regendam tradit; 3) ab Hippolyto repudiata Phaedra viva eum apud maritum falso insimulat, qua re commotus ille filium devovet, nec tamen in exilium mittit; 4) Hippolytus curram exercens (γυμνάζοντα τὸ ἄρμα) ab equis diripitur a tauro repente exorto exterritis; 5) Phaedra patefacta calumniam suspendio vitam finit.

Et hic interim subsistere libet.

29. Est enim in eadem fabula Hippolytea etiam alia conduplicatio notanda eaque statim a primis Veneris in prologo verbis. Duplex ibi sine idonea causa amoris a Phaedra in privignum collecti opportunitas indicatur. Primo enim diversis in urbibus habitabant, illa scilicet Athenis, hic Troezenae apud Pittheum proavum. Ecce autem tempus venit adolescentis Eleusiniis sacris initiandi; cujus rei causâ cum Athenas arcessitus esset, Phaedra eum vidit visumque perditae amare coepit (24—28). Postmodo vero ipse Theseus cum uxore Troezenem migravit, annuo exilio Pallantidarum caedem expiaturus; ibi cottidiana nutritus

consuetudine ita exarsit novercae amor, ut jam tolerari non posset (34—39).

Jam hoc quisvis primo obtutu animadvertet, illum priorem amorem ad rei processum plane supervacaneum esse; praeter dolorem enim et crebra saucii pectoris suspiria nullum effectum habuit. Neque eum commemoraturum fuisse credo Euripidem, nisi *Ἀφροδίτης ἐφ' Ἰππολύτῳ* templi homo Atheniensis mentionem facere voluisset. Finxisse eum tamen hujus solius mentionis causâ totam rem parum est probabile; nimiae enim est molis hic apparatus, Hippolytus mysteriorum causâ Athenas evocatus rursusque Troezenem remissus, Phaedrae inutilis amor, templi suspiciosa origo, ἐπὶ praepositionis insolens usus.

Quin nos familiari jam via procedentes de prioribus fabulis alteri vindicamus hunc Atheniensem Phaedrae amorem?... Dudum constantia constituere videor; nihil enim vulgatius est, quam Athenis fuisse prioris Hippolyti Euripidei scaenam Venerisque ibi templum in exodo, ut fas est, super juvenis herois sepulcro voveri, nisi forte praestat ad luendam injuriam eum in deae sibi infestae sanctuario sepeliri, ut Neoptolemum in Delphico Apollinis templo. Nihil igitur novi nos haec conduplicatio docuit; nec tamen eam enotasse pigebit, quippe cujus operâ novum lucrati simus methodi nostrae certitudinis argumentum.

30. Pergimus ad Bacchas, quae nobis quadruplicacionem suppeditabunt Ioneae illius (§ 26) plane similem, praesertim cum et ipsa potius duo parium juxtapositio dicenda sit. Celebrem dico miraculorum Bacchicorum scaenam et spectatorum oculis 576—603 propositam et Bacchi praesente facundia 616—41 narratam.

Ab hac si incipimus quattuor habemus miracula hoc ordine relata: 1) Pentheus in stabulo pro personato propheta, quem petebat, tauro vincula injicere temptat ipso propheta (i. e. Baccho) praesente; 2) concussa divinitus ejus regia flammâ ex Semeles diruto thalamo ortâ ardere

videtur, quod phantasmaticum ille incendium dum pro vero reputans adjuvante familia extinguere conatur, propheta e stabulo profugit; 3) quem dum persequi vult rex, in phasma incidit a Baccho in aula formatum vanisque ictibus occidere temptat; 4) regia a Baccho tota diruitur, ut ne unus quidem postis intactus remaneat.

Quam narratam scaenam si cum acta comparamus, ea quae intus geruntur, NN igitur 1 et 3, in ea non commemorari non mirabimur; admodum autem mirum est quartum miraculum, regiae destructionem, non solum non commemorari, sed plane excludi. V. enim 585 personatus Terraemotus ("Ενοσίς) Penthei tecta concutere iubetur — concutere, nihil amplius: nam ruina eorum 587 expectatur (*διατινάξεται*) solum, 591 sq. epistylia tremere nec tamen corruere videntur; tum jussu Bacchi (594 sq.) flamma ex sacro Semeles sepulcro exardescit, qua conspecta Bacchae venerabundae in terram sese projiciunt, quo facto continuo Bacchus sub solita prophetae specie ad eas exit.

Quid quod ne in eis quidem quae sequuntur ullus est miraculis tertio quartove locus? Bacchus enim ubi consolans ad cultrices suas convertitur, sensisse eas suspicatur concussas (606 *διατινάξαντος*), non tamen dirutas aedes, omninoque, id quod jamdudum admirabundi animadverterunt interpretes, stant firmissimae per totam posteriorem fabulae partem et intransitibus et exeuntibus perviae.

Nec minus diserte tertium redarguitur miraculum; Pentheus enim cum 642 exit, mirari se dicit fugisse peregrinum, qui modo vinculis coercitus sit, praepostera sane admiratione, si jam post fugam pugnam cum eo in aula conseruisset; multoque ineptius 645, cum eum aspexit, ex eo quaerit

πῶς προνώπιος  
φαίνη πρὸς οἴκοις τοῖς ἐμοῖς, ἔξω βεβῶς;

illud, opinor, quaerere debebat: »qui fit ut mihi vivus

obviam venias, quem crebris gladii ictibus in aula con-  
ciderim?».

Sed attentius narrata miracula perpendentibus revera, ut jam praemonui, ad duo paria redigi videntur. Tertium enim primi gemellum est: utrobique ipsum Bacchum coercere temptat Pentheus, illic vinculis, hic gladio; utrobique illusionis vi caligo ejus oculis offunditur. Eodem modo quarto miraculo secundum modo non repetitur, cum in Penthei aedibus utrumque patretur, hic concussis, illic dirutis. Aut igitur ad secundi paris similitudinem primum compositum est, aut ad primi secundum. Sed primum solum apud Euripidem efficax esse vidimus; necesse est igitur secundum, utpote rudimentale, ex fonte suo mutuatus sit ad ejusque exemplar primum ipse conformaverit.

Fuit tempus, cum ego propter illas, quas supra attuli, repugnantias 627—636<sup>a</sup> pro spuriiis haberem, meliorem utique viam ingressus quam ei, qui taciti poetam sibi contraria referre patiebantur; sed nondum tunc rudimentalium locorum naturam perspectam habebam. Nunc contra ex his versibus pretiosam de fabula exemplari conjecturam capere licet; quae qualis fuerit, ex eis quae mox dicturus sum elucebit.

31. *Technice* enim *Bacchae* etiam hoc memorabiles sunt, quod nobis haud scio an unicum praebent contri-  
plicationis exemplum idque verae, non in sesquipar resol-  
vendae; quam in ipsis Bacchabus animadvertere possumus. Tria enim agmina discernimus: 1) Primum Asiaticae effi-  
ciunt, chorus ipse tragoediae; quarum ante Penthei regiam praesentia ut ad *οικονομίαν* necessaria, ita ad *πιδανότητα* minime est probabilis, unicusque locus, quo rex earum rationem habet, 510 sqq. (nisi etiam 778 sqq. addis, de quibus mihi sententia non constat) ex eis est, quibus poeta dum mitigare conatur repugnantiam, gravio-  
rem eam red-  
dit. — 2) Secundum Thebanis constat, eis nempe, quae cum (226 sqq.) a Pentheo captae publicâ custodiâ asser-



ventur, Bacchi tamen miraculo (443 sqq.) liberatae fugâ Cithaeronem repetunt. Hic vero locus plane inefficax est, cum earum neque captivitas neque liberatio ullum evolvendae actionis momentum afferat, quin adeo incertum sit, num Pentheus, totus in contemplando propheta occupatus, satis vigilantibus auribus liberatarum nuntium percipiat. 3) Tertium idemque numerosissimum, Thebanae ipsum quoque originis, sub finem demum tragoediae Agava duce comaret; hae sunt verae terribilis dramatis heroinae, quippe quibus utrumque patratum sit sanguinosum facinus, et armentorum discerptio (677 sqq.) et Penthei caedes (1043 sqq.).

Antecessorem si quaerimus, duae tetralogiae Bacchicae ab Aeschulo scriptae sunt. Alterius, *Lycurgeae* dico, singula nota sunt dramata, *Edoni*, *Bassarae*, *Juvenes*, *Lycurgus* satyricus; alteri, *Pentheidi*, qui remanent tituli assignandi erunt, *Pentheus*, *Xantriae*, *Bacchae*, *Bacchi nutrices* satyricum. Antiquiorem fuisse *Pentheidem* propter mirum in altera tetralogia *Bassararum* nomen probabile est, quo vix usus esset poeta, nisi vulgato *Baccharum* titulo jam antea expenso.

Ex ambabus Euripidi quae placerent haurire licuit. Et captivas quidem Bacchas, quem rudimentalem fuisse videmus in tragoedia locum, *Edonis* deberi Apollodori docet breve testimonium III 34: *βάκχαι δὲ ἐγένοντο αἰχμάλωτοι καὶ τὸ συνεπόμενον Σατύρων πλῆθος αὐτῷ αὐδῆς δὲ αἱ βάκχαι ἐλύθησαν ἐξαίφνης*<sup>1</sup>. Nullam hic fuisse conduplicacionem ex tragoediae titulo sequitur, quo solemnem ejus chorum ex Lycurgi subditis, ut par erat, constituisse docemur; nec nisi sub finem, ut saepius apud poetam, alter chorus apparet, qui in insequente fabula, *Βασσάραις* dico, justi chori munere functurus est. Peregrinas autem esse

<sup>1</sup> Quamvis enim recte moneat G. Hermannus (Opusc. V 21) Apollodorum hoc loco Aeschylea cum alienis miscere, tamen in exscriptis verbis nos mera habere Aeschylea ipse cum Euripide consensus demonstrat; invicem se enim haec indicia fulciunt.

has Bacchas ex fr. 59 ὄστις χιτώνας βασσάρας τε Λυδίας  
ἔχει ποδίηρεις colligimus.

Hujus secundae tragoediae scaena in Pangaei montis  
orgade fingebatur; Bacchae ejus igitur eis respondebant,  
quae apud Euripidem in Cithaerone monte operabantur —  
hoc est, tertio, quem supra distinximus, choro.

De 'Pentheide' fusius alio loco (§ 32) acturus sum; nunc  
id monuisse satis erit, in 'Pentheo' culpam, in 'Xantriis'  
poenam herois repraesentatam esse. 'Xantriarum' cho-  
rum ex Bacchabus constitisse necesse est et eis quidem  
Thebanis, si quidem ipsae de Pentheo supplicium sump-  
serunt; 'Pentheï' fabulae chorum Thebanos cives effecisse  
et 'Edonorum' analogia et sana ratio indicat<sup>1</sup>. Sequitur  
in hac trilogia Lydiis Bacchabus nullum locum fuisse, tota  
res per Thebanas transigebatur.

Quae cum ita sint, facile Euripidis artem intellegimus:  
Cum enim totum argumentum in unam tragoediam coar-  
tare debuerit, unitate loci impeditus Thebanam arcem uni-  
cam scaenam spectatoribus proponere coactus est. Quare  
de duobus alterutrum ei eligendum fuit: aut simul cum  
Cithaerone etiam Baccharum chorum removeere totamque  
Dionysiacam auram tollere, quae nunc tragoediam ejus  
permeat, aut chorum conduplicare. Nec mirum est hoc  
eum, non illud elegisse. Lydias igitur Bacchas ex 'Lycur-  
gea' sumpsit — Lydiis opus erat, nam Thebanas neque  
Pentheus liberae circa regiam suam passurus erat, neque  
Bacchus, quippe qui omne feminarum genus insaniae  
oestro domibus in orgades expulisset; Thebanas in Cithae-  
rone operatas ex 'Pentheide' traduxit. Et poterat sane hac  
conduplicacione contentus esse; captivis enim liberatisque,  
secus atque in 'Edonis', nullo negotio carere licebat. Vide-  
tur autem per se ei placuisse hic locus; recepit eum igitur  
in tragoediam ideoque, qua erat in talibus rebus facilitate,

<sup>1</sup> Neque enim recte 'Pentheus' et 'Bacchas' unam fuisse tragoe-  
diam opinatur Welckerus (*Aesch. Tril.* 330); in Mediceo quidem ca-  
talogo seorsum afferuntur.

Thebani agminibus Cithaeronem obsidentis partem divellit, haud sane aegre ferens regem domum revertentem per angustum saltum virgultis saxisque impeditum ter facere.

Et de conduplicatione quidem satis.

## CAPUT IV.

### De irrito consilio.

32. Procedente opera nostra deducti sumus ad irriti consilii genus, quod quam varium multiplexque esset, jam supra, cum genera discernaeremus, breviter indicavimus. Ceterum hoc quoque loco monendum est, non omnia irrita consilia rei nostrae inservire. Est enim apud Euripidem praecipue usus hominem, antequam firmum consilium capiat, paulisper titubantem inducere. Velut Ion, cum a Pythia cistulam cum *γνωρίσμασιν* accipit, dubius haeret, utaturne eis necne, et jam in eo est, ut futuri timens inexplorata ea deo dedicet (1380 sqq.), quo facto haud dubie *ἠφανίσθη ἂν τὰ τῆς ὑποθέσεως*. Ineptus igitur esset, qui hinc colligere vellet, fuisse illum locum in priore tragoedia efficacem; immo distinguendum est inter vere irritum et titubans consilium.

Incipere autem libet ab exemplo et luculento et jam ab aliis animadverso; quod nisi intercessisset illa, quacum saepe pugnare debui, philologorum *νομοφοβία*, jamdudum investigata esset haec, de qua agitur, rudimentalium locorum ratio.

In Euripidis enim Bacchabus ipse deus, cum quid sibi agendum sit diligenter deliberat, fieri posse suspicatur, ut Thebani infestis armis Cithaeronem invadant, ut Bacchas domum retrahant; quod si factum sit, ipse quoque se eas in pugnam deducturum esse profitetur (50)

*ἦν δὲ Θεβαίων πόλις  
ὄργῃ σὺν ὄπλοις ἐξ ὄρουσ Βάκχας ἄγειν  
ζητῆ, συνάψω, Μαινάσιν στρατηλατῶν.*

Ex altera parte etiam Pentheus, miraculis et personati prophetae et Baccharum Cithaeronem tenentium exasperatus, de bello eis inferendo cogitat, quam rem male ei eventuram esse divinus ejus interlocutor vaticinatur (784 sq.; 790 sqq.; 798 sq.):

ΠΕΝ. ... ὡς ἐπιστρατεύσομεν

Βάκχαισιν...

ΔΙΟ. ... Βρόμιος οὐκ ἀνέξεται

κινῶντα Βάκχας σ' εὐίων ὀρῶν ἄπο...

φένξεσθε πάντες· καὶ τὸδ' αἰσχρὸν, ἀσπίδας

δύρσοισι Βακχῶν ἐκτρέπειν χαλκηλάτους.

Neutrum tamen consilium ad effectum pervenit; nam Pentheus dolosis Bacchi illecebris captus muliebri vestitu inermis Cithaeronem ascendit ibique furentium Maenadum manibus discerpitur.

Concludendum igitur est secundum methodum nostram, in tragoedia Bacchabus priore revera locum habuisse pugnam inter Maenades Cithaeronias Thebanosque Baccho et Pentheo ducibus consortam, in qua pugna Pentheus victus sit. Atque id, quod ipsi conclusuri eramus, diserte nobis testatur ipse quaesitae tragoediae auctor. Hanc enim Aeschyli Pentheum' (rectius Pentheida') fuisse Aristophanae hypotheseos frustulum conservatum testatur; ubi qui fuerit infelicis regis exitus, ipse poeta nos docet in Eumenidum' prologo antiquiorem suam fabulam respiciens (24 sqq.; precatur Pythia Parnassum conversa):<sup>1</sup>

Βρόμιος ἔχει τὸν χώρον — οὐκ ἀμνημονῶ —

ἐξ οὔτε Βάκχαις ἐστρατήγησεν θεός,

λαγῶ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον.

<sup>1</sup> Notavit hanc coincidentiam E. Bruhn in editione sua (p. 25 sq.; cf. Nihard, *le problème des Bacchantes d'Euripide* p. 82 sq.); cum autem inde concludit poetam, cum prologum scriberet, Aeschyleum fabulae exitum in mente habuisse et procedente demum opera propositum immutasse, quam lubrica sit haec a singulis procedendi methodus luculento exemplo ostendit.

Haec igitur fuit *Xantriarum*' mythopoeia (v. supra § 31) — in universum dico; nam de singulis quaerere lubricum est. Vereor ut quisquam aenigmata solvere possit, quae et titulus tragoediae nobis obtendit, et fr. 168 N., et chorus spectatorum oculis propositus, coram quibus tamen nex ab eo patrata consummari non potuit; sed ea difficultas, quam sibi scholiasta ad *Eumenidum*' locum exscriptum invenit, ea mihi quidem nulla esse videtur. Ita enim ille: *νῦν φησὶν ἐν Παρνασσῷ εἶναι τὰ κατὰ Πενθέα, ἐν δὲ ταῖς Ξαντρίαις ἐν Κιθαιρῶνι*. Sed ipse Aeschylus hoc solum dicit, Bacchi sacra in Parnasso instituta esse, ex quo ille Penthei impietatem ultus divinitatem suam ostenderit. Id quod duobus Euripidis locis compositis verum esse demonstratur. Tiresiae vaticinio 306:

ἔτ' αὐτὸν ὄψει κάπῃ Δελφίσιον πέτραις  
πηδῶντα σὺν πεύκαισι κτέ

et ipsius Liberi verbis 1341:

εἰ δὲ σωφρονεῖν  
ἔγνωθ', ὅτ' οὐκ ἠθέλετε, τὸν Διὸς γόνον  
εὐδαιμονεῖτ' ἂν σύμμαχον κекτημένοι.

Quibus ad tertium trilogiae drama, *Bacchas*' nimirum, alludi videtur. Ibi enim Aeschyleo more nova Bacchi sacra solemniter institui debebant, nec tamen Thebis, quippe quae oblatum sibi divini amoris pignus respuissent, sed in Parnasso, fortasse ipso Apolline fratrem minorem invitante.

33. Majoris tamen imminio maximi momenti ad aestimandam totius mythi evolutionem est irritum *Medeae* Euripideae consilium injuriae sibi illatae ulciscendae. De qua ubi est edocta, certum est ei et maritum, et novam nuptam aedium incendio conflagrantes videre (163):

πόσιν, ὃν ποτ' ἐγὼ νύμφαν τ' ἐξίδοιμ'  
αὐτοῖς μελάθροισι διακναιομένους.

Neque alia est mens ejus post colloquium cum Creonte habitum, nisi quod illis duabus victimis ipsum adjungit, a cujus benignitate unius diei usuram impetravit (374):

ἐν ἧ τρεῖς τῶν ἐμῶν ἐχθρῶν νεκροῦς  
 Δῆσω, πατέρα τε καὶ κόρην πόσιν τ' ἐμόν.

Convertitur tamen voluntas ejus post animi sincere Graeci revelationem, quam Aegei auctoritati debet, et misso priore consilio alterum concipit, quo liberis mortem properat, marito invisam vitam relinquit.

Licetne hinc colligere fuisse apud poetam Euripide antiquiorem talem mythopoeiam, ut Medea prius suum consilium exequeretur? Vide quam firmo fundamento stet methodus nostra; namque id, quod secundum rudimentalium locorum, rationem ex ipso Euripidis textu collecturi eramus, diserto testimonio confirmatur scriptoris, quem sua tragicis pleraque debere notissimum est, Hygini dico; apud quem haec legimus (fab. 25): *Medea ab Iasone derelicta coronam ex venenis fecit auream eamque muneri filios suos jussit novercae dare; Creusa munere accepto cum Iasone et Creonte conflagravit.* Sed haec coincidentia etiam aliis fulcitur subsidiis talibus atque tantis, ut vel incredulissimo prorsus nullum relinquatur subterfugium.

Et primum quidem revocare nobis licet donorum illam fatalium conduplicationem, ex qua supra (§ 27) cognovimus, Euripidem pallae locum efficacem de suo addidisse, capillorum ornamentum rudimentalem ab antecessore acceptum traduxisse; cujus rationem ab Euripide obscuratam nunc demum perspicere possumus. Ea est enim ornamentum illius vis, ut ex eo ignis erumpat (1186 sqq.). Qui quidem ignis in nostra tragoedia nulli veneficae usui est, nisi quod inutiles rivali cruciatûs addit jam ex ipso pallae contagio pereunt; etenim et regia intacta remanet, et Creon, dum sero superveniens mortuam filiam amplectitur, ex eodem contagio, non ignis vi jamdudum extincti vitam amittit. Verum id, quod in posteriore fabula supervacaneum est,

in priore nervum ipsum actionis efficiebat; diserte enim Hyginus testatur coronae venenosae munere accepto Creusam cum Iasone et patre conflagrasse — igne nimirum, qui ex corona ortus totam regiam cum regibus absumpsit; idemque ex Medae consilio priore (163) sequitur.

Quam tamen hanc fabulam Euripide priorem fuisse dicemus? Nisi omnia me fallunt, eadem illa fuit atque Sophoclis *Rhizotomi*<sup>1</sup>. Scio equidem secundum vulgatam opinionem aliud ei argumentum dari, nimirum Peliam senem Medae fraude a filiabus occisum; verum haec ipsa vulgata opinio testatur, parum attentis oculis interpretes satis copiosa quae e *Rhizotomis* servata sunt fragmenta 491 sq. N legisse. Ibi enim Sophocles, ut rectissime adnotat Macrobius prioris citationis autor, *Medeam describit maleficas herbas secantem*; maleficarum autem in Peliadum fabula nullus erat usus, cum ad arietem recoquendum salubribus, ad Peliae membra sine effectu versanda communibus (cf. Ov. Met. VII 327 *sine viribus herbas*) opus fuerit. Omnino in tota vita semel tantum Medae ad nocentes magiae artes recurrendum fuit — nam Thesei veneficii ab ea temptati longe simplicior fuit apparatus — tum nimirum, cum Corinthiorum regibus insidiae strueret.

Vide praeterea quas illa vires venenis suis includere velit (fr. 492):

Ἦλιε δέσποτα καὶ πῦρ ἱερόν,  
τῆς εἰνοδίας Ἐκάτης ἔγχος...

Igniferos deo advocat, quippe quae ipsa quoque ignem coronae, quam comparat, inclusura sit. Et inde fortasse profectus sua finxit Euripides, a Sole donatam esse Me-

<sup>1</sup> Qua in re nolim mihi opponi Aristophanis in secunda hypotesi testimonium *παρ' οὐδέτερω κείται ἡ μυθοποιία*; pertinent haec ad Medae infanticidium et Aegei patrocinium. Omnino ratio habenda est solitae si non grammaticorum ipsorum, et eorum, qui eorum verba excerpterunt, breviloquentiae.

deae coronam una cum palla, cum Sophoclea Medea ignem tantum ab eo efflagitat coronae ab ipsa, ut Macrobius testatur, magica arte factae includendum. Vides quam bene haec omnia ad Corinthiacum scelus quadrent, quamque male cum Iolico se consociari patiantur.

34. Duo quae *Choe phor a e'* suppeditant exempla cum notissima sint, nec tamen in hac serie omitti debeant, paucis absolvere licebit.

Orestes enim cum ultionis suae modum rationemque sibi repraesentat, si aedium limen transgressus Aegisthum in patris solio invenerit, nulla mora interposita vitam se ei erepturum esse profitetur (571):

*εἰ δ' οὖν ἀμείψω βαλὸν ἐρκείων πυλῶν  
κάκεινον ἐν Δρόνοισιν εὐρήσω πατρός...  
νεκρὸν Δῆσω*

Nec tamen hoc propositum exequi potest; nam cum Atridarum tecta subit, Aegisthum intus non repperit; cum vero accessit tyrannus eodem venit, non in regio solio, sed in hospitali cenaculo Orestem incognitum de ficta ejus morte interrogans ab eo occiditur.

Quod autem suspicari cogimur secundum legem nostram, apud antecessorem poetae, Stesichorum igitur in *Orestea*, efficacem fuisse illum locum, quem Aeschylus ad rudimentum redegit, id nobis confirmant pendentes a lyrico picturae vasculares, de quibus nobilis etiam nunc est C. Roberti vetus disputatio (*Bild und Lied* 179 n. 28).

Alterum exemplum nobis post patratam Aegisthi mortem occurrit. Dum enim Orestes relicto ejus cadavere matrem eidem poenae destinat, servus eam de re et confecta et conficienda admonet. Illa fatum suum praesentiens securim sibi afferri jubet, eandem illam, qua virum suum quondam interfecerat (889): *δοίη τις ἀνδροκμήτα πέλεκυν ὡς τάχος*. Pugnam parari videmus abominandam inter matrem filiumque; frustra tamen. Nam priusquam securis



afferatur. Orestes expectanti supervenit, ut inermis victima ejus manu trucidetur. Ita etiam hoc Clytaemnestrae resistendi pugnandique consilium irritum cadit, re autem vera plane aliter res procedunt.

Sed etiam hic rudimentalem Aeschyli locum apud antecessorem ejus efficacem fuisse et ratio ostendit et picturae vasculares confirmant; ibi enim revera Clytaemnestra securi Orestae minatur, quam tamen Talthybius manibus ejus eripit, ut idem Robertus ibidem (p. 160) ostendit.

35. Atque haec quidem et perspicua sunt et bene nota et methodi potius quam rei causam memorabilia; nunc vero ad exemplum deducimur admodum grave, quo tractato totam simul de Ionis praecursore quaestionem, quam supra interruptam reliquimus (§ 13; 27), ad finem tandem perducere licebit.

In prologo enim, quam plus semel rudimentalium locorum sedem fieri cognovimus, Mercurius ita futuras res vaticinatur: cum Xuthus oraculum consuluerit, Apollinem ei suum filium (Ionem) ut ab ipso procreatum daturum esse, idque eo consilio, ut matris Creusae domum introductus ab ipsa cognoscatur, quo facto et dei conjugium occultum remaneat, et juvenis tamen se dignum cultum obtineat (69):

μητρὸς ὡς ἑλθὼν δόμους  
γνωσθῆ Κρεούση.....

Matris domus' cum haud dubie Erechthei regia Atheniensis intellegenda sit, sequitur Apollinis consilium esse, ut etiam ipse anagnorismus Athenas referatur. Quod cum nostrae fabulae proposito minime conducatur, quippe quae hunc anagnorismum ipsis Delphis collocet (135 sqq.), suspicatus est Vitellius archetypi librarium prono errore ἑλθὼν γνωσθῆ scripsisse pro ἑλθῆ γνωσθεῖς. Quam suspicionem recte redarguit Wecklinus 1566 sqq. collatis (loquitur Minerva ex machina):

ἔμελλε δ' αὐτὰ διασωπῆσας ἄναξ  
 ἐν ταῖς Ἀθήναις γνωριεῖν ταύτην τε σὴν,  
 σέ δ' ὡς πέφυκας τῆσδε καὶ Φοῖβον πατρός

Ipsæ tamen, qua re Apollinem falsa vaticinantem induxisset Euripides, causam nullam attulit.

Explicavit rem idque ut mihi quidem videtur paene recte Dalmeyda<sup>1</sup> simili Baccharum loco vv. 50 sqq. (vide supra § 32) collato. Utrobique enim censet poetam aliquatenus antecessoris mythopoeiam sequi, quam procedente actione dereliquerit. Cujus suspicionis confirmandae causâ ad 1020 sqq. nos provocat, Creusæ cum sene famulo colloquium. Ibi patefactis Xuthi quæ videbantur arcanis insidiis, regina, spurium mariti filium sibi obtrudi indignata, famulo assentitur veneno tolli juvenem jubenti; quaeritur tamen, ubi id tutissimo fieri possit. Creusæ prompta est ratio — sed vide cetera apud ipsum:

ΚΡΕ. ἐν ταῖς Ἀθήναις, δῶμ' ὅταν τοῦμόν μὲν.  
 ΠΡΕ. οὐκ εὖ τόδ' εἶπας· καὶ σὺ γὰρ τοῦμόν ψεύγεις.  
 ΚΡΕ. πῶς; ἄρ' ὑπέιδου τοῦδ', ὃ καμ' εἰσέρχεται;  
 ΠΡΕ. σὺ παῖδα δόξεις διολέσαι, κεί μὴ κτενεῖς.  
 ΚΡΕ. ὀρθῶς· φθονεῖν γὰρ φασὶ μητριᾶς τέκνοισ.  
 ΠΡΕ. αὐτοῦ νῦν αὐτὸν κτείν', ἵν' ἀρήσῃ φόνοισ.

Eaque in re assentientem habet dominam.

Habemus luculentum exemplum ejus generis, quod supra dissimulatae invectivæ indice distinximus: poeta antecessoris conceptum castigat, ut suum ipsius defendat. Cum enim Creusæ insidias proxime anagnorismus sequatur, eodem loco utramque rem evenisse putandum est — Athenis igitur, siquidem eum finxit anagnorismi locum Euripidis antecessor. Eum vero fuisse So-

<sup>1</sup> *Revue des études grecques* XXVIII (1915) 43 sqq. Ejus explicationem approbavit Colardeau (ibid. XXIX 430 sqq.) collatis 1269 sqq., qui ipsi quoque anagnorismi Atheniensis relictum consilium respiciunt.

phoclem in Creusa et Dalmeyda vidit et anno ante ego in fragmentorum ejus interpretatione rossica alio loco rudimentali ductus, qui infra nobis tractandus erit.

Nil tamen impedit, quominus jam nunc disputationem, quam de hac fabula §§ 13 et 26 instituimus, ad finem perducamus.

Non igitur domi, ut apud Euripidem, peperit puerum Creusa, sed cum partum appropinquare sentiret, specu se abdidit conjugali ibique, quod a deo conceptum habebat, in lucem edidit. Quod cur ita instituerit poeta, in propatulo est; non enim sine ejulatione talia feminis usu venire solent, eratque periculum, ne dolore coacta infelix virginitatis suae labem parentibus proderet. Neque hoc neglexit minor poeta; ut enim probabilem redderet spectatoribus fefellisse patrem matremque filiae puerperium, itidem ut e. g. in Philocteta suo ad miraculum confugit divina ope patratum, de quo Creusam admonet Minerva ex machina (1595):

καλῶς δ' Ἀπόλλων πάντ' ἔπραξε· πρῶτα μὲν  
ἄνοσον λοχεύει σ', ὥστε μὴ γνῶναι φίλους<sup>1</sup>.

Infantem editum ut moriturum in specu reliquit feris et volucribus rapacibus pervio, pallae quam habebat laciniâ pro fasciis involutum Medusae capite ornata; ut autem maternarum opum aliqua saltem particula ad eum perveniret (v. supra § 26), monile anguinum, quod collo gerebat, ei dedit.

Subsistamus hic paulisper; duo enim sunt, quae in posteriore tragoedia obscurata in priore efficacia fuisse videntur. Primum enim *γνωρίσματα* talia sunt a poeta electa, ut simulatque in manus juvenis venissent, persua-

<sup>1</sup> Quem locum eorum attentioni commendatum velim, qui sibi poetas tragicos talia omnino non curare persuaserunt. Similis tamen erat Aeoli conditio, in qua fabula Canace furtivum partum clam patre domi editura erat; cujus rei poetam rationem habuisse Ovidii imitatio demonstrat Her. XI 47.

dere ei deberent matrem ejus Atheniensem esse. Minus id valet in Gorgone, Palladis tamen et ipsâ symbolo, magis in monili, quod Atheniensium proprium esse tam pertinaciter a poeta confirmatur (20 sqq.; 1427 sq.), ut magni ea res momenti ab eo habita esse videatur, quod tamen ipso successu minime comprobatur. Attamen rudimentum ejus persuasionis etiam Euripides retinuit, cum Ionem suum vota facientem inducit (670):

*εἰ δ' ἐπέυξασθαι χρεών,  
ἐκ τῶν Ἀθηνῶν μ' ἢ τεκοῦσ' εἶη γυνή —*

spe quidem nulla, cum ex Delphide se natum esse a patre jam comperisset (551 sqq.). — Tum autem distinguendum est, utrum poeta *γνωρισμάτων* ope filium a matre, an matrem a filio agnosci voluerit, an utrumque finem simul sectatus sit. Et Euripidea quidem ratio ea est, ut *γνωρίσματα* ejus quamvis cumulata ipsa per se filium tantum matri cognitum faciant, filio de matre nihil aperiant, nisi in cistula inclusa ab ea divinante edantur. Hanc tamen divinandi scaenam cum vix probabile sit Euripidem a Sophocle mutuatum esse, putandum est ipsa *γνωρίσματα* apud antiquiorem poetam fuisse talia, ut utriusque rei fides fieret. Et revera tale fuit pallae indicium, cujus laceratae particula apud filium, major quidem pars apud matrem remanserat. Satis enim erat — conferat si cui opus est V. Hugonis in ultima 'Miserabilium' parte anagnorismum — matri, Medusae signo agnito, suam pallae partem producere, ut et ipsa a filio agnosceretur. Quem exitum cur abjecerit Euripides in propatulo est: nemini enim probasset reginam veteres vestimentorum lacinias secum Delphos vexisse. Athenis igitur rem gestam oportuit — quae et ipsa Sophoclea fuit conceptio.

Non male igitur concinunt inter se, quae hucusque enucleavimus; videndum, tamen est, an etiam altius in fabulae Sophocleae ideam ab Euripide obscuratam penetrare liceat.

Id enim tenendum est fabulam Ioneam a Sophocle totam creatam esse; ante eum mera genealogia erat, Ion et Achaeus Xuthi filii Hellenisque nepotes, ab Atheniensium superbia turbata, qui stirpis suae ionicae memores Xuthum Thessalum Ionis patrem aspernabantur. Apollo inde regiae virginis furtivus maritus, dramatis incrementum necdum drama. Supervenit autem Sophocles, ut ex genealogia drama procrearet (quod idem Euripides quoque in Melanippa Sapienti fecit; v. infra § 72). Nec tamen omnia de suo hausit; immo et ipse ad antiquiorem se fabulam applicavit, de alia tamen virgine, non de Creusa narratam. Cujus nomen continuo nobis in mentem veniet, modo motivi cujusdam reminiscamur, a poeta imitatore obscurati; Apollo enim celari jussit a Creusa patrem de furtivo conjugio (14 ἀγνώως δὲ πατρί, τῷ θεῷ γὰρ ἦν φίλον), cujus rei ratio apud Euripidem cum non perspiciatur, Sophocli et ipsa vindicanda erit. Hoc vero idem etiam Homerus de Tyro narrat λ 248 sqq.; quam cum compressisset Neptunus, hisce eam verbis valere jubet:

Καίρε, γύναι, φιλότητι περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ  
τέξεται ἀγλαὰ τέκνα...

... σὺ δὲ τοὺς κομέειν ἀπιταλλόμεναί τε  
ἄνδ' ἔρχου πρὸς δῶμα, καὶ ἴσχεο μὴ δ' ὄνομήνης.  
αὐτὰρ ἐγὼ τοί εἰμι Ποσειδάων ἐνοσίχθων.

Quae coincidentia eo majoris est momenti, quod etiam Tyrus fabulae optimae et nobilissimae Sophocles fuit auctor; cujus argumentum cum ei a traditione datum sit, licet colligere eum Creusam quoque, merum nomen prioribus, ad ejus exemplum illustrasse.

Quod si nobis constiterit, nonne verisimile est etiam priorem divini jussus partem, verba nimirum σὺ δὲ τοὺς κομέειν ἀπιταλλόμεναί τε, ex antiquiore fabula in recentiorem transiisse? Facile quidem leguntur haec verba, sed operae pretium est vim gravitatemque eorum penitus percipere.

Hoc enim deus amator electae a se puellae imperat: »Filiū cum inupta pepereris, non tibi tamen licebit, exposito partu, tenebras amissae virginitati offundere; immo ipsa consiliis cunctis et nutrire infantem et educare debes. Sed ne hoc quidem tibi liberum erit, divino conjugē indicato saltem apud eos, qui tibi credituri sunt, propinquos tuos, pudoris maculam abstergere; immo totum ignominiae onus innocenti tibi perferendum est, hac conscientia fretae, divini te sanguinis puerum concepisse, qui simulatque adoleverit, patronus tuus et vindex est futurus«. Quid ergo? Non potuit Tyro pro virium suarum imbecillitate severo jussui satisfacere; segregavit a se divini sanguinis pueros, quo facto et eorum futurum auxilium et patris eorum divinum patrocinium amisit. Et longā demum calamitatum serie debilitatis suae culpā expiata, tandem assecuta est, ut sibi et dei irati propitia voluntas, et filii, quos mortuos crediderat, restituerentur.

Praeclarae habes tragoediae argumentum, quam quidem ego tragoediam maternitatis dixerim; nec sine causa celebris erat apud antiquos Tyrus' fabula. Quo minus mirabimur in Creusa Sophoclem argumentum ejus repetisse. Haec igitur fuit tragica Creusae culpa, quod impatiens ignominiae, invito divino conjugē, Apollinei sanguinis filium a se separatum in specu moriturum reliquit; quam et ipsa longā miseriam expiare debuit, donec sibi cum dei amore etiam proditus filius restitueretur.

Non aspiravit eo Euripides; immo ut saepe, missa et tragica exemplaris sui culpa et morali ejus idea, Fortunae lusum illustrare maluit, quae cum ad ipsam perniciem et matrem et filium adduxisset, deo tamen favente utrumque liberavit. Quo minus mirandum est, licet non ab Euripide, sed a Sophocle inventus sit dramaticus *φθορᾶς καὶ ἀναγνωρισμοῦ* locus; ab illo tamen, non ab hoc pendere dici novam Atticorum comoediam.

36. In Euripidis *Iphigenia Taurica* Orestes mortem perpeti paratus Pyladae amico mandat, ut cum in

Graeciam reverterit, tumulum sibi erigat seque ab Argiva muliere victimae loco ad aram mactatum esse nuntiet (704 sq.):

ἄγγελλε δ' ὡς ὄλωλ' ὑπ' Ἀργείας τινὸς  
γυναικός, ἀμφὶ βωμῶν ἀγνισθεῖς φόνῳ.

Quod consilium tamen irritum remanet, quoniam non solum servatur Pylades, sed unâ cum amico, idque ejusdem illius Argivae mulieris ope, Iphigeniae scilicet amici sororis.

Licetne hinc colligere talem nuntium revera, falsum haud dubie, Graecorum animos intentos retinuisse? Licet; Hygini enim beneficio (fab. 122) cognitum habemus argumentum tragoediae de Alete, quam Sophocles scripsit. En prima ejus verba: *Ad Electram... sororem Orestis nuntius falsus venit fratrem cum Pylade in Tauricis Dianae esse immolatum* etc. cujus facinoris illa cum fortuito eodem advectam Iphigeniam ream faciat, mortis ei periculum intendit. Quod plane idem esse videbitur altius penetrantibus; nam et apud Euripidem nuntius de Oreste mactato ad neminem magis pertinere poterat, quam ad Electram sororem, neque ullius potius rei causâ referri poterat, quam ut ultio mactato pararetur. Una intercedit differentia: apud Euripidem enim Pylades nuntium perferre jubetur, apud Sophoclem ipse inter mactatos est.

Ante Iphigeniam' vero, quam a. 411 assignare velim, actam esse Aletem' et per se probabile est, et Tragodumenon meorum libro tertio etiam probabilius me redditurum esse spero.

Ex eadem tragoedia etiam alium locum enotare libet, cujus etsi ex parte peculiaris est conditio, usum tamen eundem nobis praebet. Thoas enim de irrita Graecorum fuga certior factus eos a subditis suis capiendos curat (1429 sqq.):

ὡς..... ἢ κατὰ στυφλοῦ πέτρας  
ρίψωμεν, ἢ σκόλοψι πήξωμεν δέμας

quod crudele consilium irritum reddit Minervae ex machina interventio.

Peculiarem cum dicerem ejus loci conditionem id mente tenebam, rudimentalem quidem eum recte dici posse, sed ita ut ei, stricte si agimus, nullus usquam efficax locus respondere possit: neque enim fingere nobis possumus tragoediam, in qua Orestes Pyladesque cum Iphigenia revera a Thoante impalati aut praecipites dati sint. Mira tamen est poetae cum Herodoto concordia, qui Tauros erga peregrinos eadem humanitate uti refert (IV 103): in deae enim honorem clava tantum interficiuntur, ceterum τὸ σῶμα ἀπὸ τοῦ κρημνοῦ ὠθέουσι κάτω... τὴν δὲ κεφαλὴν ἀνασταυροῦσι.

Herodoto igitur sua debere dicemus Euripidem? Minime id probabile esse et Wilamowitzius animadvertit in commentatione, quam de poetae vita compositam priori 'Herculis' sui volumini inseruit, et ego mihi persusasi; ubi igitur certa inter eos affinitas observatur, Sophocli eam deberi illius amico et imitatori, hujus autem auctori, perquam est verisimile. Quod ipsum quoque non saepe, ter nimirum vel quater, inveni. Quis vetat ergo Tauricam hospitem mactationem primum ex Herodoto in Sophoclis aliquam tragoediam atque inde demum in Euripidis 'Iphigeniam' pervenisse? Ea vero 'Chryses' fuerit necesse est, in qua Thoas Orestem cum Iphigenia ceterisque ad necem postulans inductus erat (cf. infra lib. III § 44 sq.).

37. In ea quae servata est 'Hippolyti' fabula nutrix, priusquam dominæ arcanum amorem juveni patifaciat, jurejurando eum obligat, nemini se quod acceperit relaturum esse; cum vero post nefarium nuntium jurisjurandi eum admonet, nobile ab eo responsum audit (612) ἡ γλῶσσ' ὁμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. Cujus responsi nullus alius esse potest sensus nisi hic, eum jurejurando spreto patri indicaturum novercae scelus. Nihilominus sub colloqui finem tutam hactenus reddit anum, cum ei dicit (657):

εἰ μὴ γὰρ ὄρκους θεῶν ἄφραστος ἠρέθην,  
οὐκ ἂν ποτ' ἔσχον μὴ οὐ τὰδ' ἐξείπειν πατρί.



Quam inconstantiam nemo poetae vitio vertet, nisi qui de psychologica personarum conformatione desperavit; indulset nimirum justae indignationi pius juvenis, postmodo vero superante ratione standum esse vidit iurijurando quamvis ab imprudenti dato

Nec tamen eo minus irritum habemus Hippolyti consilium, quod sine ullo actionis damno cum omitti potuerit, inter rudimentalia recipiendum est; videamus igitur an solita ratione tractari possit. Quid si in una de praecedentibus fabulis revera juvenis totam rem patri aperuit? Ea fuit haud dubie ejusdem poetae Hippolytus prior, utpote quae omnium maxime sublata iurijurandi sanctitate animos Atheniensium offenderit. Atqui non dubium est ruitura fuisse τὰ τῆς ὑποθέσεως, si Theseus filii simplicitati prae uxoris mendaciis <sup>1)</sup> fidem habuisset; de quo alium habemus in fabula nostra locum rudimentalem (1060 sqq.):

ὦ θεοί, τί δῆτα τοῦμὸν οὐ λῶ στόμα,  
ὅστις γ' ὑφ' ἡμῶν, οὐς σέβω, διόλλυμαι;  
οὐ δῆτα πάντως οὐ πίθοιμι ἂν οὐς με δεῖ,  
μάτην δ' ἂν ὄρκους συγχέαιμι, οὐς ὤμοσα,

irriti consilii et ipsum propinquum. Eodem tendit contradictio ab imprudenti poeta in prologo admissa — Veneris dico verba 42 δειξὼ δὲ Θησεί πρᾶγμα — hac potius ratione explicanda quam conjecturâ temptanda.

Quibus constitutis absolvere placet totam de Hippolyti fabulis quaestionem, quam supra § 28 sq. ad certum terminum perduximus. Hippolytum enim Coronatum e duabus pendere prioribus fabulis, ipsius scilicet Euripidis

<sup>1</sup> Nam quod secundum Plutarchi locum (*de aud. poet.* c. 8) a Nauckio allatum non infitiantem sed defendentem induxit Phaedram illicitum privigni amorem — trita nimirum via ut *Θηλαρον*, cujus rationis duo alia exempla habemus in *Troadibus* 924 sqq. et adeo luculentius in novis *Cretensium* fragmentis — ad posteriorem haec referuntur scaenam, ubi, jam mortuo ex calumnia sua Hippolyto, Theseo caecitatem ejus exprobrans suspensio vitam finitura est.

Hippolyto Velato' et Sophoclis Phaedra', notum est. Philologi in illum multa, in hanc pauca contulerunt; quam lacunam vide an aliquatenus explere possimus.

1) In H. Velato' scaenam Athenis fuisse constat, in Coronato' Troezenem; quid autem de Phaedra' statuendum est? Cum supra viderimus extitisse fabulam, in qua Hippolytus patris voto obligatus nec tamen exilio multatus Troezenem in hippodromo periret, Phaedram' eam fabulam fuisse necesse est. Cum porro Euripidi in Coronato', — in quo et ipse majoris poetae exemplum secutus, Troezenem scaenam transtulit, — ne in exitu quoque eligendo ejusdem exemplum sequeretur id potissimum causae fuisse evicerimus, quod patris irâ in agone exasperatus juvenis ad laeta studia jam reverti non potuisset, hunc agonem a Sophoclis fabula afuisse consentaneum est — nec mirum, qui tales orationum conflictus nequaquam eodem atque Euripides ardore sectatus sit. Quo remoto tamen admodum exiles fiunt Hippolyti partes, praesertim cum ne hoc quidem certum aut probabile sit, moribundum eum in patris conspectum datum esse; idque causae fuisse videtur Sophocli, cur non Hippolytum' sed Phaedram' fabulae suae indicem daret. At Theseus itidem ut in Velato' ex inferis domum redit; qui igitur factum est, ut non Athenas, sicut in Velato', sed Troezenem veniret? Hoc vero expeditissimum est; cum enim ab Hercule liberatus sit, necesse est ipse quoque Hermione lucem aspexerit, unde cum domum tendens Troezenem venisset, familiam suam a Dioscuris Menestheoque propter ipsius scelera exulare jussam offendit.

2) Non video a quoquam animadversum esse, apud Euripidem, quo erat sexus odio, feminas litteras nescire. Certe cum Iphigenia ejus apud Tauros degens ad fratrem litteras dataura est, non ipsa eas scribit, sed a captivo quodam scribendas curat (584 sqq); maluit igitur poeta ad inverisimilia confugere, quam summi imperatoris filiae litteras notas fuisse concedere. Jam quod majori sorori negaverat, minori largiri non potuit; ideo ne Electram quidem, quod

ei Sophocles solamen reliquerat, litterarum cum fratre commercio animum oblectare passus est. Idem est patruellis consobrinaeque earum analphabetismus, Hermiones dico (Andr. 964), de quo nobis infra (§ 63) agendum erit. Quod idem in Phaedram valet; ubi igitur plane suus est, in ‚Velato‘ nimirum, scribendi artis scientiam heroinae remittit, quippe quae et cum juvene coram de amore suo agat, et patrem ejus coram calumniis exagitet. Alam fuisse Sophoclis opinionem Electra, Deianira, Hermione ostendunt; nihil igitur mirum est etiam Phaedram ejus pudentiozem illa litteras privigno per nutricem misisse, quas et sarcophagi nobis ostendunt<sup>1</sup> et Ovidius expressit. Cui cum Euripides in ‚Coronato‘ responderet, litteratam Phaedram, utpote cui ante mariti adventum moriendum fuerit, — in-  
vitus, credo — reliquit.

38. Est porro peculiare irritorum consiliorum genus, quod consiliorum, ut ita dicam, conduplicatione continetur, cum scilicet cum eo, quod efficax futurum est, componitur id, quod eventorum progressu ad irritum redigetur. Ita in Euripidis ‚Alcestide‘ Hercules de heroinae morte certior factus, quomodo eam luci reddere possit, deliberat. Sperat se eam ex ipso amplexu Mortis eripere posse, si justo tempore super sepulcro offenderit; sin sero venerit, certum est ei ad inferos descendere et a Plutone Proserpinaeque mortuam efflagitare (850):

ἦν δ' οὖν ἀμάρτω τῆςδ' ἄγρας... εἴμι τῶν κάτω  
Κόρης ἀνακτός τ' εἰς ἀνηλίους δόμους  
αἰτήσομαί τε

Fit tamen id, quod priore loco conjecerat, qua re irritum

<sup>1</sup> Neque enim mihi probavit Robertus in sarcophagorum editione sua, omnia quotquot sint ejus generis monumenta, quae quidem Hippolyteam expriment fabulam, ex uno ‚Coronato‘ pendere; immo cum copias ejus admirabili labore collectas perlustrarem, duos eorum fontes repperi, alterum Sophocleum, alterum Euripideum.

redditur ad Orcum descensus consilium. Num igitur pro rudimentali habendum est proque eo, quod in priore quadam fabula efficax fuerit?

Triplicem fuisse fabulae Alcestidae exitum primus Engelmannus<sup>1</sup> ostendit. Et primum quidem eum, quem Wilamowitzius in *Isyllo* Hesiodo vindicavit; inferorum scilicet deos heroinae fide commotos luci eam reddidisse, cujus exitus locum classicum apud Platonem<sup>2</sup> invenimus. Secundum Euripideum: ab Hercule Alcestidem super sepulcro ipsius ex Mortis amplexu eripi — quem exitum nolim cum Wilamowitzio Phrynicho assignare, quoniam locorum rudimentalium tractandorum methodus plerumque efficaces locos ipsi poetae vindicat. Tertii auctorem nemodum indicavit; locus classicus extat apud Lucianum *dial. mort* 23, ubi Protesilaus a Plutone Proserpinaque petit, ut se ad superos redire patiantur, quoniam *καὶ τὴν ὁμογενῆ μου Ἀλκηστίην παρεπέμψατε Ἡρακλεῖ χαρίζομενοι*. Etiam luculentius eundem exitum repraesentat sarcophagus Vaticanus (Robert III 7, 26). Media pars Alcestidis mortem exhibet solito fere modo, sed dextra ejus reditum hoc figurarum ordine: primus Admetus adveniēti Herculi manum porrigit, a dextra (vel ante se) tricripitem Cerberum habenti, a sinistra vero (vel post se) velatam mulierem; sequuntur tres feminae, Parcae, ut putant; claudunt vero seriem in solii Pluto et Proserpina sedentes, haec potentis, ille assentientis habitu.

Jam nemini dubium erit, quin hic tertius exitus idem sit, quem etiam in Euripideae fabulae exemplari supponendum esse vidimus; quaeritur tamen, cui illud exemplar attribuendum sit. A Sophocle scriptam fuisse Alcesti-

<sup>1</sup> In Roscheri lexico s. v.; quam distinctionem immerito neglexit Wentzel (apud Pauly-Wissowam s. v.) qui duplicem tantum exitum agnoscit.

<sup>2</sup> Symp. 179 C. Commemoratur etiam Apollod. I 106 et schol. Arist. Vesp. 1239, quamquam haec duo testimonia etiam cum tertio exitu conciliari possunt.

dem' et Welckerus gravibus causis commotus coniecit et ego in fragmentorum interpretatione rossica (Soph. III 219). Obstat sane et hic secundae hypothesis testimonium *παρ' οὐδετέρῳ κείται ἡ μυσδοποιία*; quod quomodo cum illis quae indicavi argumentis conciliari posset, sciremus, si nobis ipsum drama servatum esset. Nunc suspicandum est — ut supra in *Ῥιζοτόμοις* — aut peculiari tragoediae titulo in errorem inductum esse grammaticum, aut ad Herculis cum Morte conflictum solum testimonium ejus pertinere.

Unum est, quod addere volo. Apud Sophoclem — liceat enim nomine ejus uti — cum Cerbero ab Hercule abducto consociatur Alcestidis liberatio, apud Euripidem cum Thracica ejus ad Diomedem expeditione. Credo nos facile hujus innovationis causam assequi posse. Cum enim Hercules omnium consensu per Taenari specum ad inferos descendisset, revertisset autem ad superos aut eadem via, aut per Hermionis antrum, parum probabile visum est Euripidi eum hac vel illa via Pheras Thessalorum attigisse, multo probabilius in Thraciam proficiscentem apud hospitem suum Pheraeum devertisse. Qua immutatione recepta tota *κατάβασις* repudianda erat.

39. Ejusdem generis conduplicatum consilium habemus etiam in Euripidis *Supplicibus*. Ibi enim Theseus cum matris precibus cedens Septem ducum corpora se Thebis allaturum esse profitetur, effecturum se id dicit (348):

*λόγοισι πειθῶν εἰ δὲ μή, βία δорός.*

Idem *διλήμματον* etiam in propositione locum habet, quam Creonti perferendam praeconi mandat (385 sqq.). Priusquam tamen hic Thebas abire possit, supervenit Thebanus praeco cum superbo mandato, quo omnis pacificae solutionis via praecluditur et ad arma res redit.

Irritum ergo cadit Thesei consilium, persuadendo' ducum funus efflagitandi; prona est inde suspicio in tragoe-

dia exemplari hunc ipsum locum efficacem fuisse. Approbatur ea Plutarchi in Thesei vita testimonio luculento sane et diserto (c. 29): *συνέπραξε δὲ καὶ Ἀδράστῳ τὴν ἀναίρεσιν τῶν ὑπὸ τῇ Καδμείᾳ πεσόντων, οὐχ, ὡς Εὐριπίδης ἐποίησεν ἐν τραγῳδίᾳ, μάχη τῶν Θηβαίων κρατήσας, ἀλλὰ πείσας καὶ σπείσάμενος...* Καταμαρτυροῦσι δὲ τῶν Εὐριπίδου Ἰκετίδων οἱ Αἰσχύλου Ἐλευσίνιοι. Singula enucleare conatus sum in commentatione, quam de Sophoclis Antígona scriptam rossicae hujus poetae versioni inserui (II 31. sqq.) quamque mox me etiam ampliori foro propositurum esse spero.

Quamquam igitur de re ipsa nihil nos novi locuit hic rudimentalis Euripidis locus, tamen methodum nostram egregie confirmatam esse non invitus accipiet lector.

40. Satis prope irritorum consiliorum genus loci aliquot attingunt, quos mantissae loco addere constitui.

In Hercule enim Euripidea Lycus tyrannus, Euboeae, non Cadmeae originis (32) herois liberis mortem parat, nec tamen consilium suum exequi potest, quoniam eum occupat ex improvise rediens Hercules ipsumque morti dat. Proprie rudimentalem hunc locum non dixerim: eodem enim modo Hermione Andromachae, Dirce Antiopae minatur, nec tamen ulla tragoedia extitit, in qua hae minae effectum habuerint. Nec tamen omnino cum his exemplis illud comparandum est; Andromacha enim et Antiopa salvae evadunt, cum Herculis liberi, etsi non Lyci manu, tamen perituri sint.

Quae cum ita sint, admonere licebit lectorem extitisse famam, secundum quam Heraclidae Thebani externam, non paternam manu perierint. Eam breviter commemorat Pindarus Isthm. III 105 sqq., ubi Thebanos holocaustis octo Herculis filiis aeneis armis insignibus (*χαλκοαράν*) parentare dicit, quos ei Megara Creontis filia pepererit. Octo armigeros filios a patre occisos esse per se parum est probabile; praeterea autem etiam scholiasta ad h. l. Lysima-

chi — cyclographi videlicet — testimonio collato filios Herculis dicit secundum quosdam non a patre, sed dolo (quippe adultos) a peregrinis quibusdam occisos esse; tum ita pergit: alii autem tradunt a Lyco rege eos necatos esse. Nolo quidquam huic de Lyco commento, quod jam Lysimachi testimonium excedit, tribuere; potuit enim *αὐτοσχεδίασμα* esse ex Euripidis fabula ductum. Nec tamen ideo illi de Heraclidis peregrina manu occisis faemae fides tollitur, quae apud Euripidem in Lyci peregrini conamine reviviscere videtur.

41. In Euripidis *Oresta* insaniâ cruciatus juvenis a sorore petit, ut sibi ad Furias arcendas arcum tradat ab Apolline donatum (vv. 268 sqq.).

δὸς τόξα μοι κερουλκά, δῶρα Λοξίου,  
οἷς μ' εἶπ' Ἀπόλλων ἐξαμύνασθαι θεάς,  
εἴ μ' ἐκφοβοῖεν μανιάσιν λυσσήμασιν.

Aegri haec sunt somnia; necdum enim Delphis fuit Orestes post patratum matricidium neque ullum ab Apolline arcum accipere potuit. Attamen his somniis rudimentalem locum inclusum esse a scholiasta ad h. l. discimus, qui apud Stesichorum (in *Orestea*) revera Apollinem Delphicum Orestae arcum suum ad hunc finem commodasse dicit.

42. Nequis tamen *Rhesi* fabulam utpote spuriam communi lege exceptam esse putet, Thracum ibi rex Hectori sese opponens eum jam decimum annum frustra cum Achivis pugnare arguit (447):

ἐμοὶ δὲ φῶς ἐν ἡλίου καταρκέσει  
πέρσαντι πύργους ναυστάθμοις ἐπεισπεσεῖν  
κτεῖναι τ' Ἀχαιοῖς.

Quae minae tamen irritae ei cadunt, nam antequam haec lux oriatur, Ulixis dolo occidit.

Attamen recte observavit Jessen (apud Roscherum IV

102) id, quod tragoediae auctor in consilio posuit, revera, etsi non lotum, effectum fuisse apud ejus antecessorē Pindarum (fr. 262 B). Hic Rhesum ut socium Trojanorum pugnae participem induxit; qua pugna cum per unum diem multos Achivos trucidasset, exterrita Juno Minervam mittit, ut exitium fortissimo regi paretur. Minervae autem numine fit, ut Ulixes cum Diomede speculatores in Trojanorum castra mittantur; cetera ab Homero nostrave tragoedia non discrepant.

43. His absolutis ad novum venimus satis amplum et ipsum irritorum consiliorum genus. In eis enim quae adhuc tractavimus exemplis consilium, quod rudimentalem locum efficit, aut ab ipso auctore relinquebatur aut eventis praeoccupabatur. Saepe autem fit, ut deliberantibus duobus propositio ab altero facta ab altero causâ additâ repudietur; in hac ergo repudiata propositione itidem rudimentalis locus latere potest antiquioris conceptûs proditor.

Potest sane, nec tamen utique debet; nam' et hic valet, quod initio hujus capituli in universum de irrito consilio dixi; quod quale sit ut lucidum fiat, exempla afferam. In *Ione* patefactâ Apollinis Xuthique quae videbatur injuriâ Creusa cum sene famulo de ultione deliberat. Prior ulciscendi vias indicat famulus (974 sqq.): *Combure Apollinis templum* — *Timeo*. — *Occide ergo conjugem*. — *Miseret me ejus*. — *At tu spurium ejus filium tolle*. — *Hoc vero pervelim; sed quo modo?* — *Servorum armata manu convivium instruentem*. — *Manifesta fiet caedes*. — *Tu ergo ipsa aliquid consilii cape*. Tria vides senis consilia a domina repudiari, quibus tres fabulas priores respondisse nemo sanus credet. — Vel in *Helena* Menelaus a conjugē invitatur, ut fugae communis consilium edat (1033 sqq.). *Quid si quadrigâ ab amicorum tuorum aliquo commodatâ fugiamus?* — *At viarum ignari sumus*. — *In regia igitur absconditus tyrannum occidam*. — *Non feret hoc fatidica ejus soror*. — *Aliud nihil habeo*. —



Quin tu me audi? — Vel in *Iphigenia Taurica* in simili rerum statu simile inter fratrem sororemque colloquium (1020 sqq.): An tyrannum occidamus? — Nefarium facinus. — Absconde me templo. — Sunt in eo sacri custodes. — Quid ergo faciamus? — Invenisse mihi videor viam. — Facile credo dignosci posse has mere dialecticas propositiones, illorum titubantium consiliorum, de quibus initio hujus capituli egi, non dissimiles; adhibuit eas poeta, ut sermonem magis vividum et dramaticum redderet, itemque in nostris dumtaxat exemplis, ut in insidiis struendis virorum ineptitudinem mulierum astutiâ superari doceret.

44. Alias esse vere rudimentales propositiones luculento exemplo statim cognoscetur.

In Sophoclis enim *Trachiniis* Hercules, cum mortem sibi haud dubiam instare videat, Hyllio filio mandat ut omnes suos fratres convocet unâque matrem ipsius Almenam ad ultima sua verba audienda; cui respondet Hyllus partem fratrum cum Almena Tirynthe esse, partem Thebis, Trachine vero se unum (1197 sqq.).

Sequitur, si recte ratiocinamur, fuisse tragoediam Sophocle antiquiorem, in qua cuncti Heraclidæ patri morienti astiterint. Hoc idem testatur Dio Chrysostomus (78, 44), trium tragicorum assiduus lector: »Dicitur Hercules, cum corpus suum terribili morbo afflictum sanare non posset, primos filios suos advocasse, ut claro igne illud concremarent, cunctatosque et tergiversantes increpuisse ut molles seque indignos et matris magis similes, cum teste poeta diceret (fr. adesp. 126 N.):

ποῖ μεταστρέφεις, ὦ κακοὶ  
κἀνάξιοι τῆς ἐμῆς σπορᾶς,  
Αἰτωλίδος ἀγάλματα μητρός;

Fuisse hanc fabulam Aeschyli *Heraclidas* cum nuper in *Eûs* nostrae vol. XXV fusius demonstrassem, hic unum addere placet, aliud ex eadem fabula rudimentum 54 sqq.

latere, ubi nutrix Deianirae aegritudinem consolans ei haec suadet:

πῶς παισὶ μὲν τοσοῖσδε πληθύεις, ἀτὰρ  
 ἄνδρὸς κατὰ ζήτησιν οὐ πέμπεις τινά,  
 μάλιστα δ' ὄυπερ εἰκὸς Ὑλλον...

Quam repugnantiam pronum est cum alia conjungere, quam primus qui animadvertit Dopheide (*de Soph. arte dram.* 13 sq.), fontem tamen erroris non indagavit. Prologo enim si fidem habemus (38 sqq.), Hercules Tirynthe a suis se separavit, qui jam absente eo Trachinem profugerunt; moriturae autem Deianirae habitus is est, ut cum Hercule aliquandiu Trachine vixisse videatur, quippe quae 912 sqq. tam affectuose Herculis lectum geniale valere jubeat. Nexus nimirum eventorum hic est: 1) Si Hercules ipse familiam suam Trachinem eduxit, consentaneum est omnes ab eo una cum matre eductos esse; quae Aeschylea est conceptio. 2) Sin autem absente eo domus ejus percussa est, facile credimus dispersos esse liberos, ut partim (minores natu, credo) Tirynthe apud aviam educarentur (*τρέφει*), partim Thebas ad Iolaum profugerent, Deianira autem cum maximo natu Hyllo Trachinem emigraret. Hanc Sophocles versionem adoptavit.

45. Ad eandem Aeschyli trilogiam, cujus pars prima 'Heraclidae' fuerunt, necesse est etiam ei loci rudimentales pertinuerint, quos in Euripidis 'Heraclidis' legimus. Quos cum et ipsos fusius in commentatione supra nominata tractassem, hic summa tantum attingere libet.

Post vaticinium de mactanda virgine acceptum Macariae suum pro fratribus sanguinem offerenti ita respondet Iolaus (543 sqq.):

ἀλλ' ἢ γένοιτ' ἂν ἐνδικώτερον φράσω  
 πάσας ἀδελφὰς τῆσδε δεῦρο χρὴ καλεῖν,  
 καὶ ἢ λαχοῦσα θνησκέτω γένους ὕπερ.

Hanc autem propositionem repudiat generosa virgo cum

parum gratiae inesse dicit in necessaria morte; se ad voluntariam paratam esse, ad sorte imperatam non esse (cf. etiam 501 et 531). Ex hac quam nos dicimus repudiata propositione jam H. Weil (*Ét. sur le dram. ant.* 123) rectissime collegit »sortitionem in priore fabulae conformatione locum habuisse ab Euripide emendata, ut admiratione dignior redderetur heroina«. Hanc viri acutissimi sententiam in commentatione mea argumentis, ut mihi quidem videtur, prorsus invictis probavi.

Post Eurystheum vero captum Euripides, jam plane odio suo indulgens in Alcmenam et feminam et anum et Spartanorum regum genitricem, sophisticè eam interpretantem inducit Atheniensium de dimittendo (*ἀφείναι*) captivo decretum (1022):

κτανούσα γὰρ  
τόνδ' εἶτα νεκρὸν τοῖς μετελθούσιν φίλων δώσω.

Quam subdolam propositionem tamen repudiat Eurystheus, cum Atheniensibus corporis sui sepeliendi curam permittit.

Hic quoque probabile est Euripidem ad Aeschylī conceptionem alludere; fuisse enim famam, secundum quam Athenienses, abscisso in pugna Eurysthei capite, corpus ejus recedentibus Argivis reddiderint, topographicae rationes probant, quas fusius in commentatione mea tractavi.

46. In Sophoclis *Philocteta*, sedato infelicis exulis dolore, Neoptolemus ei proponit, ut ex morbi paroxysmo laborans a commilitonibus suis, hoc est a choro, se in navem transferri patiatur (886 sq.):

νῦν δ' αἶρε παντόν' εἰ δέ σοι μᾶλλον φίλον,  
οἴσουσί σ' οἶδε.

Quam propositionem tamen benigne et modeste repudiat Philoctetes:

τούτους δ' ἔασον, μὴ βαρυνθῶσιν κακῇ  
ὁσμῇ πρὸ τοῦ δέοντος.

Eam tamen apud Sophoclis antecessorem efficacem fuisse Accii imitatio demonstrat, ex qua nobis affertur versus (fr. XXI apud Ribbeckium), quo Ulixes, opinor (nisi is fuit Philoctetes ipse) nautas suos alloqui videtur:

άγiτε, ac volnus né succusset gréssus, caute ingrédimini.

Accium autem in tragoedia sua se ad Aeschyli Philoctetam' potissimum applicasse in commentatione mea Eûs nostrae a. 1911 inserta demonstrare conatus sum; quod enim Sophocleae aetatis scaenico usui refragabatur, chorœutae bajulorum vice fungentes, id Aeschyleâ nondum homines offendebat.

47. In Euripidis Hecuba' anus regina, repudiatis ab Ulixè suis de filia liberanda precibus, ipsi proponit, ut salutem suam a saevo duce efflagitet (339):

πρόσπιπτε δ' οἰκτρῶς τοῦδ' Ὀδυσσέως γόνυ  
καὶ πειθ'. ἔχεις δὲ πρόφασιν' ἔστι γὰρ τέκνα  
καὶ τῶδε, τὴν σὴν ὥστ' ἐποικτεῖραι τύχην.

Aspernatur tamen magnanima puella hanc timidam propositionem citam mortem longae servituti praeferens.

Prona est suspicio hanc quoque propositionem in fabula exemplari efficacem fuisse. De ejus titulo nos certiores facit schol. ad Hec. 1: τὰ περὶ Πολυξένην ἔστι καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ εὔρειν — in ejus Polyxena' nimirum. Hic igitur ipsa Polyxena Ulixem per Telemachi caput obtestans de salute sua implorabat.

Hujus rei disertum quidem testimonium extrinsecus adhibere non possumus; sed in tanta verisimilitudine sufficiet etiam obliquum. Non enim voluntaria morte occubuit apud Sophoclem Polyxena — immo hoc Euripides novasse videtur, — sed invita mori coacta est. Probat hoc Iphigeniae analogia, de qua infra (lib. III) agendum erit; Polyxenam autem apud Stesichorum saltem invitam mactari tabula Iliaca demonstrat, in qua manibus vinctis genibusque nixa ad aram a Neoptolemo occiditur.

48. Adhuc nobis res erat cum propositionibus aperte repudiatis; sunt tamen etiam tectiores. Velut cum in Euripidis Iphigenia Aulidensi Agamemnon uxori scripsisse se dicit, ut filiam Aulidem solam mitteret Achilli nupturam (99):

γράφας ἔπειψα πρὸς δάμαρτα τὴν ἐμὴν  
πέμπειν Ἀχιλλεῖ θυγατέρ' ὡς γαμουμένην,

illa autem mariti voluntatem transgrediens ipsa eam comitatur, videtur non verbo sed re propositionem ejus repudiasse.

Rudimentalem igitur locum admisisse suspicabimur Euripidem; et recte suspicabimur. Nam in tragoedia exemplari, Sophoclea dico Iphigenia, revera ita instructa erat res, ut Agamemnon Ulixis ope per fraudem a matre abduceret filiam; quam rem cum amplius tractaturus sim in tertio Tragodumenon horum libro, hoc loco satis erit locum de conceptione Sophoclea classicum afferre ex Iphigenia Taurica 54, ubi virgo de injuria sibi illata queritur:

καί μ' Ὀδυσσεύς τέχναϊς  
μητρὸς παρειδοντ' ἐπὶ γάμοις Ἀχιλλεύς,  
ἐλθοῦσα δ' Αὐλίδ'...

eumque cum Photii testimonio conferre: Σοφοκλῆς εἶπε...  
πενθερὸν τὸν γαμβρὸν ἐν Ἰφίγειειᾳ (fr. 284 N). Ὀδυσσεὺς  
φησὶ πρὸς Κλυταιμνήστραν περὶ Ἀχιλλεύς

σὺ δ' ὦ μεγίστων τυγχάνουσα πενθερῶν  
ἀντὶ τοῦ γαμβρῶν.

In eadem fabula Achilles, aegre ferens Agamemnonem nomine ipsius abusum esse ad filiam Argis eliciendam, opem suam puellae pollicetur, quamquam sibi quoque ab indigno exercitu morte imminente; quae magnanimi juvenis propositio tamen a non minus magnanima virgine repudiatur.

Etiam hic rudimentalem locum agnoscere licebit in exemplari quondam fabula efficacem; fuit haec autem jam

non Sophoclis, sed Aeschyli *Iphigenia*. Ibi enim vera ad lapides rem venisse Achillemque auxilio victimae venientem vulneratum esse urnarum Etruscarum anaglypha demonstrant; quam rem cum et ipsam accuratius libro tertio tractaturus sim. (§ 8), hic paucis indicasse sufficiet.

49. Apertiora sunt quae nunc allaturus sum exempla; attamen ipsa quoque peculiarem habent naturam.

Hercules enim Euripideus de uxoris liberorumque periculo edoctus parum se ultionis effecturum esse putat, si tyrannum solum interemerit; immo (568 sqq.):

*Καμείων ὄσους  
κακούς ἐφηῦρον εὖ παθόντας ἐξ ἐμοῦ  
τῷ καλλινίκῳ τῷδ' ὄπλῳ χειρώσομαι.*

Leniter tamen graviterque a patre ob nimiam iram castigatus hoc consilium missum facit soloque Lyco puniendo contentus est.

Habemus igitur hic quoque propositionem repudiatam, efficacis quondam loci rudimentalem umbram; num tamen revera putandus est tragoediae exemplaris poeta omnes Thebanos herois irae mactasse? — Etiam, sed non Thebanos.

Tota enim prior tragoediae pars paene repetita est *Dictyis* ab eodem poeta scripti expositio (a. 431). Ut enim hic Megara cum Amphitryone, ita ibi Danae cum Dictye supplex arae insidebat; ut hic a Lyco, ita ibi a Polydecte imminebat periculum; ut hic Hercules, ita ibi Perseus insperatus suorum vindex extremo tempore veniebat. Nec tamen ibi satis habuit salvator unius tyranni injuriam ulcisci; immo etiam subditis ejus utpote injuriae ejus fautoribus saxeam mortem attulit. Vides igitur poetam cum post viginti fere annos pristinae fabulae vestigia relegeret, etiam hanc amplam poenam spectatoribus suis denuo ostendisse — sed e longinquo tantum, quoniam exequendae firmi traditionis termini haerentes obstabant.

Potest igitur, si haec recte disputata sunt, non solum

ejusdem, sed etiam propinqui argumenti fabula exemplaris fieri loci rudimentalis »inductrix«. Credo satis late patere hanc rationem; attamen propositi nostri fines transgreditur, quare uno tantum allato loco ad alia pergemus.

50. In Bacchabus' enim Cadmus invitanti Tiresiae, ut Bacchi sacris operaturi in Cithaeronem proficiscantur, subfrigidam quaestionem objicit (91):

*οὐκοῦν ὄχοισιν εἰς ὄρος περάσομεν.*

Quam propositionem merito repudiat dei plenus vates:

*ἀλλ' οὐχ ὁμοίως ἂν ὁ θεὸς τιμὴν ἔχοι.*

Lectorum autem quivis, opinor ut de spectatoribus non dicam, non modo facile, sed etiam libenter hac nimis humana cura careret.

Sed nostra nos methodus ad tragoediam exemplarem hunc locum referre cogit. Ad Aeschyli igitur Lycurgeam' aut Pentheidem'?. Removeere eas non possumus, quoniam nil tale de eis traditum accepimus: at accepimus de unica Bacchica Sophoclis tragoedia, quae etiam chori canticis »collectivisticam« Baccharum' ideam quodammodo occupavit — Tereum' dico. Curru enim Procnen ad Bacchica sacra procuranda profectam esse crater Neopolitanus ostendit post Novorum Annalium Monumenta 1839 tab. 21 saepius editus.

Et revera Sophoclem poetae menti hoc loco obversatum esse insequens statim versus prodit, nova Cadmi admirabundi quaestio: -

*γέρων γέροντα παιδαγωγῆσω σ' ἐγώ;*

(quem a me primo interrogationis signo clausum esse admodum miror) ex ejusdem poetae Phthiotidibus' (fr. 633 N) honoris, ut equidem crediderim, causâ rep-titus.

51. Nec procul ab irrito consilio irrita suppositio abest, quam duobus exemplis illustrare possumus.

In Euripidis enim Medea' Iason de uxoris relictæ

scelere certior factus, liberos suos servare properat, veritus, ne regis propinquus maternae audaciae poenas dent (1303):

ἐμῶν δὲ παιδῶν ἦλθον ἐκσῶσαι βίον,  
 μή μοι τι δράσωσ' οἱ προσήκοντες γένει,  
 μητρῶον ἐκπράσσοντες ἀνόσιον φόνον.

Nequaquam autem veretur: liberi enim ipsius matris manu jam morti sunt dati. Irrita est igitur suppositio ejus.

Atqui Didymi testimonio confirmatam accepimus (schol. Med. 264) famam, secundum quam Iasonidae revera a Corinthiis occisi sunt materni sceleris expiandi causa; nam quod addit eosdem post facinus in pueros patratum rumorem sparsisse ab ipsa matre eos necatos esse, conciliatoriae critices exemplum nobis tradidit vix a quoquam alio praeter Asclepiadem Tragilensem profectum. Si autem quaerimus, cuinam fabulae exemplari Euripides rudimentalem suum locum debeat, post ea quae supra § 33 dicta sunt Sophoclis eum Rhizotomis vindicare licebit.

52. In Euripidis Iphigenia Aulidensi Agamemnon de filiae adventu certior factus aegritudinis plenus sibi instantis sacrificii scaenam repraesentat indignantisque puellae detestationem, simulatque verba sibi esse data et pro matrimonio necem portendi cognoverit (463):

ὦ πάτερ, ἀποκτενείς με; τοιούτους γάμους  
 γήμειας αὐτὸς χῶστις ἐστὶ σοι φίλος,

quibus verbis, si quis solemnem apud tragicos vocis φίλος usum attenderit, et Agamemnon et domus ejus morti devotentur.

Quae tamen expectatio eum prorsus fallit. A filia enim primo preces audit modesti et amorosi affectus plenas, postmodo, cum justum a se sacrificium flagitari intellexit, benedictionis verba; quin etiam matrem ei iratam reconciliare studet (1454).



Sed quod ab Euripidis tragoedia abest, in tragoedia exemplari inesse debuit; non tam in Sophoclea, cujus actionis scaenam Mycenis fuisse demonstraturus sum, quam in Aeschylea. Ejus enim sacrificii argumentum in breve coartatum legimus in Agamemnonis' parodo, ubi Achivi puellae os loris vixisse dicuntur, ne extrema ante mortem voce domus suae detestationem emitteret (235):

στόματός τε καλλιπρώ-  
ρου φυλακᾷ κατασχέειν  
φθόγγον ἀραίον οἴκοις.

53. Sub finem cetera rudimentalium locorum exempla afferam, quae irrito consilio propinquam habent vim nec tamen supradictorum generum ulli adnumerari possunt.

Et irritas quidem preces habemus in Bacchabus', ubi Agave mentis adhuc non compos, aegre ferens venatorias suas laudes a patre non agnoscit, filii reminiscitur (1252):

εἶδε παῖς ἐμὸς  
εὐδηρὸς εἴη, μητρὸς εἰκασθεῖς τρόποις,  
ὄτ' ἐν νεανίασι Θηβαίοις ἅμα  
δηρῶν ὀριγνῶτο.

Nec tamen has preces fortunaverunt dei infelici matri. illius ipsius filii caput thyrso infixum portanti; sed quod nostrae tragoediae aberat, in exemplari efficacem constituebat locum.

Fuit ea Aeschyli 'Lycurgeae' tragoedia finalis, cujus titulus 'Juvenes' (*Νεανίσκοι*) suspensos reddidit philologos. God. Hermannus hunc chorum ex Edonis juvenibus constituisse opinatus est, nova sacra publice recepta procurantibus; quod tamen nisi punito Lycurgo locum habere non potuit, hoc est hac ipsa tragoedia transacta. Alii de titulo desperantes id unum statuerunt in Lycurgo puniendo tragoediae argumentum constituisse; quod quidem rectissime fecisse videntur, quaeritur tamen, quae haec

punitio fuerit. Cautiores — velut Rappius apud Roscherum II 2193 — in brevi Sophoclis (Ant. 955) indicatione acquiescunt Bacchi eum numine saxeis vinculis obstrictum esse, ἐκ Διονύσου πετρώδει κατάφαρκτος ἐν δεσμῷ. Sub finem tamen inquit haec claustra, quae et ipsa ut in Rheseo 972 et apud Apollod. III 35 in Pangaeo monte fuisse fingebantur, subterraneum illud domicilium effecerunt, quo Thraces (cf. Rheseo l. c.) Lycurgum Baccho reconciliatum ut prophetam ejus et heroea sempiterna vita frui opinantur. Quod admodum probabile est, praesertim cum vix chorus Antigona Lycurgi exemplo consolari potuerit, nisi impietatis macula ab eo remota.

Si autem in Pangaeo agebantur juvenes, quaeritur, quoniam modo eo pervenisse dicamus Lycurgum. Bassaras persequentem prona est suspicio, utpote quae claustra ejus effugerint; quas tamen si assecutus esset, ab ipsis chorum effici consentaneum erat. Quid ergo? Simulatque venit, continuo receptus est saxeo Pangaei amplexu? Aliquid hic deesse quis concedet, Niobes similis fati memor; id vero, quod deest, Apollodorus (III 35) suppeditat: Lycurgi autem menti Bacchus insaniam offudit, qua captus Dryantem filium securi percussit vitem se caedere opinans; quo patrato demum facinore mentem recuperavit. Haec sane optime quadrant; post tale nefas aptus erat metamorphosi locus.

Sed quomodo Dryantem juvenem in Pangaeum venisse dicemus? Credo non difficile esse responsum: ὄτ' ἐν νεανίασιν Ἡδωνοῖς ἄμα Σηρῶν — invito metro addendum est ὄργυνάτο. Qua re etiam fabulae titulus *Νεανίσκοι* et facillime et optime explicatur.

54. Irritam praeteriti temporis expectationem in Heraclidis habemus, ubi Alcmena a famulo edocta vivum ab Iolao captum esse Eurystheum non sine ironia ab eo quaerit (879):

ἀτὰρ τί κεύθων Ἴολεως σοφὸν ποτε  
 Εὐρυσθέως ἐφείσαδ' ὥστε μὴ κτανεῖν;  
 λέξον· παρ' ἡμῖν μὲν γὰρ —

Spartanos puto, quorum hic genitrix loquitur

οὐ σοφὸν τόδε,  
 ἐχθρὸς λαβόντα μὴ ἀποτίσασθαι δίκην.

Sed si Euripideus Iolaus ejus expectationem fefellit, contentiorem eam reddiderat praecedens fama, quam hac una in re superare non potuit novator. Ea enim incluso Aeschylō (in Sacerdotibus, si vera supra § 45 disputavi) unanimiter in pugna cecidisse testatur Eurystheum sive ab Hyllo sive ab Iolao obtruncatum — apud Aeschylum potius ab Hyllo crediderim (cf. Apollod. I 169).

55. In Bacchabus' pastoris Cithaeronii narratio locum continet, quem nemo primo obtutu rudimentalem esse agnoscet, tamen re deliberata irritam expectationem continere concedet (734):

ἡμεῖς μὲν οὖν φεύγοντες ἐξηλύξαμεν  
 βακχῶν σπαραγμόν.

Revocat nos ea ad Aeschyli Lycurgeam' et ea quae § 30 et 31 adumbravimus accuratius explicare cogit.

Prima ejus tragoedia Edoni' regis culpam continebat, qui et ipsum Bacchum et cultrices ejus et ceperit et captos variis injuriis affecerit. Secunda, Bassarae', scaenam in Pangaeum montem transferebat choro ex eisdem Bacchabus composito, quae in illa fabula captae, tum vero Bacchi miraculo<sup>1</sup> liberatae erant. Argumentum ejus jam-

<sup>1</sup> An hunc referenda sunt illa, quae supra (§ 30) Aeschylō vindicavi, *tecta Penthei* (quae tunc erant Lycurgi) *disiecta non levi ruina*? Favet huic conjecturae fr. 58, et necesse erat in dramatis fine talem scaenam collocari, ubi jam nulli usui futura erat regia. Ob eandem causam Lycurgeae' malim quam Pentheidi' hanc ruinam vindicari,

dudum elicuerunt philologi ex Eratosthenis catasterismo 240: Orpheus Baccho neglecto maximum deum Solem colebat, quem etiam Apollinem indigitabat; de nocte igitur surgens ante lucem cum Pangaeum montem ascenderet, ibi auro-ram expectabat, ut primus (*πρῶτος* malim pro eo quod editur *πρῶτον*) Solem aspiceret. Quam rem aegre ferens Bacchus in eum Bassarides<sup>1</sup> excitavit, quae eum laceraverunt laceratique corporis membra disjecerunt. Musae autem inventa et collecta Libethris quae dicuntur (Pangaeis sane, non Macedonicis) sepelierunt. Hanc ego tragoediam Euripidi exemplar suppeditasse aio praeclari illius episodii Cithaeronii, quo pastoris ore narrato aliquatenus incommodum suum compensavit poeta, quod unitate loci obstrictus ipsam scaenam in Cithaeronem transferre non potuerit; argumenta mea haec sunt.

1) Utrobique actio ante ortum solem incipit. Euripidi hoc tempus opportunitatem suppeditavit bella sane dormientium Baccharum agmina describendi, ceterum actioni non modo non utile erat, utpote quae ‚composita hora‘ (723) incipere debuerit, sed etiam, si quis tempora computare voluerit, turbas movit non contemnendas. Aeschylo contra matutinum tempus Orphei desiderio indicatum erat, qui ‚primus Solem aspicerere‘ cupierit.

2) Fr. 23 ab Hephaestione rari bacchiaci metri causa allatum

~~~~~  
cum hic tertia trilogiae pars rursus ante ipsam regiam scaenam habuisse videatur, quae neque diruta actioni utilis neque tam brevi tempore denuo extracta esse poterat, ‚Lycurgeae‘ contra secunda et tertia tragoedia in Pangaeo actae sint. Quod autem gravissimum argumentum est, non potuit Euripides, quae erat ejus aetate scaenae condicio, aedium ruinam spectatoribus monstrare, potuit ob eandem causam Aeschylus, ut ‚Promethei Vincti‘ finalis scaena demonstrat.

¹ Hoc uno vocabulo refellitur etiam ceteroquin inanis C. Hauptii (*Diss. Halenses* XIII 1897. 147 sq.) constructio, qui actionem ‚Bassararum‘ cum ipso choro ante Lycurgi aedes collocat, Orphei autem necem a mulieribus Edonis patrata nuntii ore referri vult.

ὁ ταῦρος δ' ἔοικεν κυριζεῖν τιν' ἀρχάν,
φθάσαντος δ' ἐπ' ἔργοις προπηθήσεται νιν,

quamvis obscurum et corruptum, certe de tauro agit, qui quendam cornu petit, et de adversario ejus, qui eum saltu occupare temptat, aut invicem. Tum autem pronum est cum eo componere episodii nostri 743:

ταῦροι δ' ὕβρισται κὰς κέρας θυμούμενοι
τὸ πρόσθεν, ἐσφάλλοντο πρὸς γαῖαν δέμας,
μυριάσι χειρῶν ἀγόμενοι νεανίδων.

Sed ex hac ipsa compositione nova nascitur suspicio. Gre-gibus enim nullus erat in ‚Bassaris‘ locus; tum vero quivis concedet non potuisse Orpheum a Bacchabus lacerari, si hominis specie eis apparuisset. Et Euripideae quidem Bacchae Pentheum lacerant, quia furentes leonina eum specie vident; nonne verisimile est Orpheum alia Bacchica imagine, tauri dico, eis apparuisse et fragmenti allati taurum eum ipsum esse?

Nec tamen injuria Nauckius cum hoc fragmento illud composuisse videtur, quod inter incerta 341 recipit:

ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων, ὁ βακχεύς, ὁ μάντις.

Nam et metrum bacchiacum, satis illud quidem rarum, idem est, et sententia ‚orphicae‘ dramatis ideae prorsus apta, ut quae in Apollinis et Bacchi et oppositione et conjunctione versetur¹.

In tota hac disputatione cum G. Hermanno tenuimus Orpheum primas in ‚Bassaris‘ partes egisse. Impugnat tamen hanc sententiam apud Roscherum (II 2193) Rappius, cum tale argumentum unitatem ‚Lycurgeae‘ turbaturum fuisse dicit; ipse Orphei fata cantico tractata fuisse opinatur,

¹ Quibus non male confirmari puto ea, quae de Baccho in Tiresiae apologia (Bacch. 266 sqq.) cum Apolline comparato disserui in *Quaestiuncula Euripidea* libro memoriali inserta in honorem L. Œwikliński Leopoli 1902 edito.

quod obstinatum regis animum frangere debuerit. Cui opinioni me credulum nullo pacto habebit; nam et incertiora sunt, quae de trilogica Aeschyli ratione comperta habemus, quam ut nobis praefracte negare liceat talem episodiam compositionem usu venire potuisse, et ad fulciendam Hermannianam sententiam haec afferri possunt.

1) Orpheum a Bassaris dilaceratum, a Musis sepultum esse testatur Eratosthenes, unde Musas non longe a Bassaris commorantes sub tragoediae finem se cum eis conjunxisse discimus. Atque eandem conjunctionem etiam Sophocles in mente habet eo ‚Antigonae‘ suae loco, quo ‚Lycurgeae‘ argumentum contineri omnes consentiunt (955): ibi enim de tyranni culpa disserit chorus:

παύεσκε μὲν γὰρ ἐν Δέους
 γυναῖκας εὐίον τε πῦρ,
 φιλαυλοὺς τ' ἠρέδιζε Μούσας.

2) Propter hanc vero conjunctionem verisimile fit etiam versu, qui licet corruptissimus ex ‚Edonis‘ affertur (fr. 60): τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις ἄλλο (s. ἄλαλος) ἀβρατεὺς ὃν σθένει hunc ‚Musarum vatem‘ neminem alium esse nisi Orpheum. Cum porro Aristophanis Av. 276 parodia.

τίς ποτ' ἔσθ' ὁ μουσόμαντις ἄτοπος ὄρνις ὀριβάτης cum Bacch. 985 τίς ὄδ' ὀρειδρόμων μαστήρ Καδμείων vocera ὀριβάτης pro sensu casso ἀβρατεὺς etiam Aeschylō reddi cogat, etiam magis commendatur relatio illa, quippe cum Orpheum Solis aspiciendi causa Pangaeum ascendisse sciamus. Sequitur hinc jam in ‚Edonis‘ aliquas fuisse Orphei partes, quo minus de ‚Bassarīs‘ dubitemus.

56. Est quoque incohata actio — nec ad finem perducta aliā actione superinceptā — peculiare rudimentalium socorum genus, quod mihi tamen uno tantum exemplo illustrare contigit.

Herculis Euripidei imminens infanticidium ab Iride et Lyssa praenuntiatum per trepidationis plenam scaenam

875—921 a choro dum fit sentitur; quomodo tamen liberi perierint, adhuc nescitur, donec nuntius timidus et taeter-rima quaeque suspicientibus supervenit. Instituit igitur victor solemne sacrificium sanguinis tyrannici expiatorium; jamque flammae in ara ardent, tura adolentur, omnia hostiam spectant; cum pater idemque sacerdos subito rem sacram inhibet. Liberi eum attoniti aspiciunt; ipsum insania corripit (1311)...

Credo quemvis, qui extrinsecus rei ignarus hucusque tragoediam perlegerit, jamjam patrem filiorum aliquem arreptum hostiae loco in flammas projecturum expectare. Atqui fallit eum expectatio: ecce enim in turbata Herculis mente itineris Mycenaei imago oritur et Eurysthei familia, quibus phantasmatis deceptus proprios liberos Eurysthidarum loco arcu vel clava conficit; sacrificii et ipse obliviscitur et nos oblivisci cogit, ut plane supervacaneum in fine appareat, quod initio tantam nobis formidinem injiciebat.

Hinc solito more colligere possumus extitisse famam anteeuripideam, secundum quam Hercules, ad finem quod inceperat perducens, liberos in sacras flammas projiciendo interfecerit¹. Et recte collegerimus; non solum enim extitit — immo ante Euripidem de infanticidio dumtaxat nulla alia extitisse videtur. Antiquissimus enim auctor Pherecydes (fr. 38) diserte pueros a patre in ignem coniectos esse² testatur; idem nescio unde ductum Apollodorus (II 75) refert. Nobile Asteae vasculum Matritense ipsum quoque crematurum liberos Herculem exhibet; quod quae novissima accurate edidit Margarita Bieber (*d. Denkm. z. Theaterw. im Alt.* 1920, 107 sqq.) non immerito ex Her-

¹ Hujus famae rudimentum etiam H. Weil (*Ét. s. l. drame ant.* 189, cui assentitur Wilamowitzius *Her.* I 85) in tragoedia nostra invenisse sibi videtur, nec tamen ibi, ubi oportebat. Monet enim Lycum pueris ignibus arae circumdandis mortem minari. Haec tamen solemnis est *ἰκεσία* ad irritum redigendae forma, apud Euripidem et in *Alcmena* et in *Andromacha* (257) adhibita, cujus parodiam etiam Aristophanès Thesm. 726 sqq. exhibuit.

culis *κομπολακίδω* exque Megarae quâlo ceteraque domestica supellectile ad funestum rogam adhibitâ parodicum esse colligit; in originaria quidem fama vix alio projicere potuit liberos pater quam in sacros arae ignes ab ipso incensos. Hoc ex Euripidis loco rudimentali cum ceteris testimoniis comparato lucrati sumus.

Ceterum poeta antiquiorem famam immutando novam sibi difficultatem creavit, quam nos haud scio an nunquam animadversuri essemus, nisi ipse, quod ille aliquoties fecit, excusando attentos nos reddidisset. Cum enim liberos pater clava et arcu necasset, parum credibile erat eum haec funesta arma, sceleris immanis instrumenta, secum ut ante portaturum esse; nec tamen sine eis repraesentari poterat. Hinc ejus titubatio 1375—85 et finalis sententia *οὐ λειπτέον τὰδ', ἀδλίως δὲ σωστέον*, ad verba non male conformata, ad rem vero et ad communem hominum sensum vereor ut bene.

CAPUT V.

De vana fama.

57. Uberrimo de irrito consilio capiti adjungimus multo exilius de vana fama; exile est tamen exemplorum numero, ad psychologicam quidem rudimentorum rationem cognoscendam facile princeps.

Ea res enim jam antiquissimis temporibus deliberantium hominum dubitationem movit, quod aut diversas esse videbant de eisdem eventis famas, aut eam, quae vulgata erat, veritati non respondere. Cum autem mythis fidem habere non desissent, expeditum eis erat, eam versionem, quae inquiringibus falsa esse videbatur, vano rumori attribuere; cujus causam indagare cum vellent, semper in vera quam putabant versione aliquam ansam reperiebant. Hujus rei aliqua exempla attulisse non inutile erit.

Vulgata erat fama Pelopem puerum a Tantalō patre

deorum temptatore membratim discerptum deis hospitibus lautae escae loco propositum esse. Impia ea visa est diligenti deorum cultori Pindaro ideoque falsa, eique substituit aliam, nostro quidem sensu ad pietatem nihilo meliorem, suo tamen praestabilem, Neptunum scilicet pulcritudine pueri captum in Olympum eum furtim avexisse. Sed quomodo, si ita se res habebat, vulgata oriri poterat fama puerum (ex parte saltem) a deis comestum esse (et postea demum errore cognito per miraculum vitae redditum)? Ex vano nimirum invidorum vicinorum rumore (Ol. I 47):

ὡς δ' ἄφαντος ἔπελες, οὐδὲ
 ματρὶ πολλὰ μαιόμενοι φῶτες ἄγαγον,
 ἔννεπε κρυφῆ τις αὐτίκα φθονερῶν γειτόνων,
 ὕδατος ὅτι σε πυρὶ ζέουσιν εἰς ἀκμὴν
 μαχαίρα τάμον κατὰ μέλη,
 τραπέζισι τ' ἀμφὶ δεύτατα κρεῶν
 σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

Hoc loco digitis paene tangere possumus rudimentalium locorum ex vana fama originem.

Quid quod etiam tragicus poeta nobis simile exemplum suppeditat? Bacchum ante tempus a matre editum crurique Jovis patris insutum post legitimos menses denuo ab eo quasi partum esse prorsus displicuit contemptori ejus Pentheo nec admodum placuit ejus patrono Tiresiae. Immo ita se res habuit. Juppiter in Olympum filium acturus ut obloquentem conjugem de privigni habitu securam redderet, imaginem ejus ex aethere confictam vadis loco ei tradidit. Sed quomodo ex hac vera versione illa falsa oriri potuit? Ex vana hominum fama, qui cum ὁ μηρὸς crus, ὄμηρος autem vadem significaret, similitudine vocum decepti patris crure infantem abditum fuisse finxerunt (Bacch. 294):

χρόνῳ δέ νιν
 βροτοὶ ῥάφῃναι φασιν ἐν μηρῷ Διός,

ὄνομα μεταστήσαντες, ὅτι Δεῦ Δεδος
 Ἥρα ποδ' ὠμήρευσε, συνδέντες λόγον.

Tertium exemplum nec minus notum accedet Herodoti duplex de rapta Helena versio II 113 sqq.; qui cum pro vera habeat eam, secundum quam Paris cum Menelai uxore in Aegyptum delatus ibique invitus raptam relinquere coactus sit, Graecos tamen vanam famam secutos a Trojanis eam vi repelivisse et rem non assecutos urbem oppugnasse refert. In transitu moneo eum veri critici instar etiam apud Homerum, qui alteram versionem prae-tulerit. Aegyptiacae tamen locos rudimentales reperire.

Haec facile suppleri possunt, nam usque ad posteriora tempora haec variarum versionum per vanam famam explicandarum ratio valuit, apud Stoicos praesertim, qui eam ad allegoricas suas mythorum interpretationes abutebantur. Nos exempla tantum eaque antiquiora afferre voluimus; quare absoluta ad ipsas tragoedias perlustrandas accingamur.

58. In Sophoclis *Electra* Talthybius Clytaemnestrae narrat Orestem, filium ejus, dum Pythicarum victoriarum gloriam sectatur, in curruum certamine vitam amisisse (680 sqq.). Hanc totam narrationem ab ipso fictam esse ex eis, quae et antea et postea fiunt et dicuntur, colligimus; attamen tam vivide ficta est, ut nos non minus veram commoveat, qua in re sunt qui fabulae vitium agnoverint ex nimio Sophoclis equorum amore explicandum.

Quid autem si hanc relationem a Sophocle non tam fictam quam ab antecessore traductam probare possumus? Non quo periisse Orestem quisquam tradiderit; immo hanc coronidem Talthybius utique de suo addidisse putandus est. Nec tamen ea re ipsarum Orestis in certaminibus Pythiis victoriarum fides in dubium vocatur. Alludit ad eas Pindarus in epinicio, quod in juvenis Thrasydae stadio Delphis victoris honorem scripsit; ibi enim eum Orestis hospitis victoriarum memoriam renovasse contendit (*Pyth.* XI 12 sqq.).

ἐν τῷ Θρασυδαίῳς ἔμνασεν, ἐστίαν
 τρίτον ἐπὶ στέφανον πατρῶν βαλόν,
 ἐν ἀφνεαῖς ἀρούραις Πυλάδα
 νικᾶν¹ ξένου Λάκωνος Ὀρέστα.

Et stadio quidem ille vicit, Orestae autem Sophocles equestre certamen diligentius tractat; quae similitudo non magna esse videtur. Sed et Pindarus 'victorias' commemorat, et secundum tragicum Orestes primum δρόμον prae-mium obtinuit (686). quamquam id quidem brevibus ab-solvitur. Licetne nobis conjicere in Sophoclis exemplari hoc cursus certamen fusius fuisse tractatum? Credo hoc probari posse ex Euripidis notissima invectiva (de qua quae dicta sunt novi nec tamen probo) El. 883, ubi fratrem Aegisthi occisorem soror alloquitur:

ἦκεις γὰρ οὐκ ἀχρεῖον ἔκπλεθρον δραμῶν
 ἀγῶν' ἐς οἶκος..

quam tamen non in Sophoclem, sed in antecessorem ejus tendere ex eis quae supra attuli patet. Sed quis tandem is fuit? Si ex eis quae nobis nota sunt conjectura capienda est, neminem alium dicemus nisi Stesichorum ejusque 'Oresteam'. Eam circa saec. VI initium conditam esse probabile est; quod si tam accurate Orestis victorias Pythicas descriptas habuit, conjicere licet condendae opportunitatem praebuisse ludos Pythicos tunc ipsum institutos. Instituti enim cum fuerint, renovatos esse dictos putandum est; eodem enim modo Olympii ludi auctorem Herculem, Nemeaei Septem duces Archemoro parentantes perhibebant. Quod si Pythiis quoque mythicus erat auctor quae-rendus, quemnam alium afferre poterant Oreste potiore, Delphici dei paene alumno cultoreque assiduo?

¹ De νικᾶν pro νικῶν scripto, quae non est conjectura, cf. commen-tationem meam *die Orestessage und die Rechtfertigungsidee* Ilbergii annalibus (Neue Jahrbücher f. Phil. etc.) vol. I (1899) insertam (p. 171) Adde Bacchyl II. 6.

59. Plane gemellam *Electrae* habemus vanam famam¹ etiam in *Philocteta*. Ibi enim Neoptolemus ab Ulixē admonitus, ut mendacio *Philoctetae* animum capiat, longa hospitem (343 sqq.) narratione temptat, quomodo eum Ulixēs Phoenixque Scyro accessierint, quam ab Atridis, cum patris arma ab eis postularet, repulsam tulerit, quippe quae jam Ulixī adjudicata sint, quomodo indignatus domum reverti constituerit. Haec fama ex fabulae sententia haud dubie pro ficta habenda est, itidem ut *Talthybi* narratio de *Orestis* interitu; quod autem de illa evicisse nobis videtur, sola coronide merum mendacium contineri; ceteram narrationem, licet ex fabulae sententia pro ficta esset habenda, tamen ex tali fonte detortam esse, in quo vera apparuisset — idem in hanc valere videbimus.

Quod enim mirum videri possit, Neoptolemus, cum ei ab Ulixē licentia data sit omnibus probris ipsum onerandi (64 sq.), talem confingit narrationem, in qua ipse magis vituperandus appareat quam ille. Accedit quod chorus, cum mentienti secundas ferat, tamen justum modum excedit ipsius *Telluris* matris sanctissimo numine invocato mendacium ejus confirmans (391 sqq.). Hae causae cum aliis quibusdam me commoverunt, ut a. 1915 commentatione *Herinae* Petropolitani NN. 11 et 12 inserta *Sophocli* *Neoptolemi* tragoediam oblivione obrutam redderem¹.

¹ Hanc ego cum publici juris facerem nesciebam magnam partem eorum, quae mihi primus invenisse videbar, jam occupatam esse ab homine non tam philologo quam poeta, qui propter amorem, quo in antiquitatem classicam flagrabat, insigni a philologis afficitur injuria — Francisco dico Grillparzero. Apud eum enim de *Philocteta* *Sophoclea* haec dicta repperi (*Werke* her. v. Hock XIII 25 a. 1862): «Postulatio Neoptolemi, ut sibi patris arma reddantur, ejusque ira, cum ea Ulixī adjudicata comperit, et Graecorum exercitum relinquendi propositum fieri non potest quin vera sint (excepto tamen quod postea a proposito se demoveri sit passus), nisi malumus eum tanta mentiendi arte excellere, quae tragoediae tendentiae et evolutioni prorsus contraria sit». Vera cum dicit quae mythica sunt, haud dubie traditione poeticā antiquiore certificata significat.

Ibi etiam Myrmidonum chorum ducis sui injuriam aegre ferentem par fuit Idaeae Matri supplicare; quod canticum precatorium satis id quidem amplum, ut stasimi modum expleat, hic in paucorum versuum stropham coartatur.

Ut igitur in *Electra* Stesichoream, ita hic suam ipsius ex priore tragoedia mythopoeiam in spectatorum mentem revocat rudimentali vanae famae loco inclusam, coronide tantum ficticia addita.

60. Alterum ex eodem *Philocteta* exemplum afferre possumus, fictam mercatoris narrationem eamque duplicem, et de Neoptolemo ex fuga a Phoenice Thesidisque retrahendo, et de Philocteta ab Ulixē et Diomede arcessendo (561 – 621).

Et priore quidem parte poeta suorum ipsius *Scyriorum* memoriam renovavit, una eademque lenissima mutatione adhibita, quod ibi legati juvenem Scyro arcessunt, hic, ut jam dixi, ex fuga retracturi dicuntur; de qua fabula nunc supplere licet quae supra § 20 Engelmannum maxime secutus disserui.

Et Phoenicem quidem principem fuisse legationis jam supra vidimus. Cui Thesidas adjunctos fuisse cum ex nostro loco sequitur, tum rationes evincunt dramaturgicae, ut esset quocum loqui posset Phoenix, tum *Scyriorum* fr. 513 non satis diligenter hucusque a philologis examinatum.

ἀλλ' εἰ μὲν ἦν κλάουσιν ἰᾶσθαι κακὰ
καὶ τὸν θανόντα δακρύοις ἀνιστάναι,
ὁ χρυσὸς ἦσσον κτῆμα τοῦ κλάειν ἂν ἦν
νῦν δ', ὧ γεραιέ, ταῦτ' ἀνηνύτως ἔχει,
κάμοι γὰρ ἂν πατήρ γε δακρύων χάριν
ἀνήκτ' ἂν εἰς φῶς.

Vulgo haec Neoptolemo tribuuntur; mira sane in filio continentia, qui patrem suum mortuum esse modo compererit, ut non dicam eum ad lacrimarum experimentum nondum tempus habuisse.

Sed quis erit senex? An Lycomedes? At is neminem morte amisit. Phoenix ergo? Equidem non dubito; sed is eundem atque Neoptolemus amiserat. Vide igitur quam inepte illud *κάμοι* adjungatur, quo ad aliud exemplum transitum parari manifestum sit.

Sed nonne subitanea luce omnia illustrantur, simulatque nobis Thesidarum alterutrum haec loquentem repraesentamus? Nam etiam eis pater interierat et, quod omnes dubitationes vincit: in hac ipsa Scyro insula! Num poterunt Thesidae illud patris cruore conspersum solum pedibus attingere, quin mortis illius reminiscerentur? At qui Thesidas Phoenici adjunxit Sophocles fuit; num alia ratione ductus, quam ut filii pietate herois Atheniensis laudes praedicaret?

Haec mihi certissima esse videntur; libet tamen desiderio indulgentem etiam ad minus certa, verisimilia tamen descendere. Constat enim Cimonem Thesei ossa Scyro Athenas reportasse; constat etiam Sophoclem ei, quoad vixit, deditum fuisse. Nonne probabile est Sophoclem in hujus ipsius reportationis honorem 'Scyriorum' fabulam scripsisse?

Adde quod sequitur. Neoptolemus enim in 'Philocteta' de Phoenice Thesidisque edoctus admirabundus pergat, cur se non Ulixes potius ipse ad hoc facinus accinxerit (568). Credo etiam 'Scyriorum' spectatores hoc idem admiratos esse, nam in 'Iliade parva', cui argumentum eorum debebatur, Ulixes arcessendi Neoptolemi mandatum acceperat eaque vulgata erat hac de re fama. Neque aliter admirantibus responderi poterat quam mercatoris verbis (570):

*κεῖνός γ' ἐπ' ἄλλον ἄνδρ' ὁ Τυδέως τε παῖς
ἔοτελλον —*

Philoctetam nimirum. Neque illepide ordo sensim invertitur. Secundum 'Il. parvam' enim Philocteta de mum arcessito ad Neoptolemum proficiscitur Ulixes; secundum 'Scyrios' eodem tempore utrumque mandatum diversi heroes exe-

quantur, quod postea abjectum hic in vanae famae rudimento conservatur; secundum Philoctetam denique Neoptolemi operâ jam antea accessiti ad accessendum Philoctetam abutitur Ulixes.

Sed jam ad secundam veniamus mercatoris fictionem — Ulixem scilicet cum Diomede ad Philoctetam Lemno accessendum profectos esse. Hic vero manifesta est res: constat enim hanc fuisse Euripidis in Philocteta a. 431 actâ mythopoeia. Aequa igitur erat ambarum fictionum condicio; qua aequalitate etiam magis argumentationem meam commendari opinor.

61. In Euripidis Heraclidis' Eurysth-i praeco Copeus cum vi adhibita Heraclidam supplicem ab ara abducere conatur (269), a Demophonte rege vehementius tractatur; qua vehementia territus coryphaeus regem ut manus a praecone abstineat orat. Copeus metu liberatus abit; nec tamen securus de futuro chorus est (292):

πάσι γὰρ οὗτος κήρυξι νόμος
 δίς τόσα πυργούν τῶν γιγνομένων.
 πόσα νῦν λέξειν βασιλεῦσι δοκεῖς,
 ὡς δεῖν ἔπαθεν καὶ παρὰ μικρὸν
 φυγὴν ἤλθεν διακναῖσαι.

Hoc est: vanam famam sparsurus est Copeus se in mandato suo exequendo paene vita esse orbatum. Credo equidem; nam omnino non probasset. Sed hoc jam alii explendum suscipient, atque ita vana orietur fama Copeum sacra praeconis persona spreta Athenis occisum esse.

Atque hanc autem Euripidem veram fuisse mythopoeiam et fama vulgatam et Aeschyli Heracliffea' trilogia illustratam in commentatione mea supra (§ 44) commemorata demonstravi.

Haec vero omnia sunt hujus generis exempla, quae quidem colligere potui.

CAPUT VI.

De dissimulata invectiva.

62. Dissimulatam invectivam proxime id irritorum consiliorum genus attingere, quod supra repudiatae propositionis nomine tractavimus (§ 43 sqq.) facile est intellectu. Velut cūm in 'Heraclidis' (§ 45) Iolaē propositionem, ut sorte designetur virgo Proserpinae mactanda, repudiat Macaria parum gratiae inesse dicens in necessaria morte, non injuriā quispiam dixerit non tam Iolaum a Macaria, quam ab Euripide impugnari Aeschylum, qui hac sortitionis ratione praeclaro puellae facinori obtrexaverit. Neque ego mihi facultatem arrogaverim certos inter utrumque genus limites statuendi; hoc sexto capite ea exempla coacervavi, quae ultro se ut talia offerebant.

Et primo quidem loco afferendum est id, quod jam dudum inventum ut hucusque unicum erat, ita etiam in posterum tempus pro principali et vere classico habendum est; nam et amplitudine et invectivae acrimoniā cetera superat. Dico 'Electrae' Euripideae senem paedagogum ob propositiones suas a juvene domina ter castigatum (520—46). Agitur de Oreste ex certis signis a sorore agnoscendo. 'Quin tu capillos ab eo relictos cum tuis compone, an similes sint'. — 'Quasi vero similes esse possint viri in palaestra educati et puellae in gynaeconitidis umbra absconditae!' — 'Tu vero pedis ejus vestigio tuo pede insiste, an mensuram expleturus sit'. — 'Semper aequum est maris pedem superare'. — 'Quid si venerit, poterisne pallium ejus a te factum agnoscere?' — 'Neque tunc temporis tenella aetate palliis faciendis vacabam, neque si vacassem, frater adultus idem pallium conservaturus est, nisi forte cum corporibus etiam pallia crescere putas'.

Invectivam hic eamque iniquam subesse nullius erat negotii invenire, quippe conservatā nobis adversarii, in quem invehitur poeta, tragoediā; est autem, ut omnibus

notum est. Aeschyli *Choephorarum* fabula. Ibi enim revera nondum praesente Oreste Electra et capillorum et vestigii similitudine inducta fratrem sibi venisse conjicit (168—211). pallium vero ab ipsa contextum plenam anagnorismi certitudinem reddit (231 sq.).

63. Paulo majoris erat operae investivam agnoscere in uno, quasi in transcurso projecto vocabulo, quo idem Orestes se in Euripidis *Andromacha* sorori ille quidem, sed patrueli venditat Hermionae. Cum enim adventum suum necopinatum ei explicare studet, non se litteris ejus morigerantem venisse dicit, sed ut experiretur, an sibi adeundae potestas daretur (964):

ἤλθον δὲ σὰς μὲν οὐ σέβων ἐπιστολάς,
 εἰ δ' ἐνδιδοίης, ὥςπερ ἐνδίδως, λόγον,
 πέμψων σ' ἀπ' οἴκων τῶνδε.

Cujus explicationis prior, negativa pars mirifice sane friget. Quid enim attinuit litteras Hermiones commemorare, si nullas scripsit? Sin autem scripsit, ne humanum quidem, nedum fraternum erat asseverare nullam earum rationem habitam esse.

Sed enim Euripides, cum *Andromacham* suam tragoediam antidelphicam scriberet, quo erat tum in Apollinem odio, Delphicam Sophoclis tragoediam *Hermionen* impugnare in mente habebat; quam rem pessime ei cecisisse constans posteritatis iudicium probavit, quae neglecta *Andromachâ* tota in supremis Neoptolemi fati repraesentandis ex *Hermione* pendet. Faciamus ergo periculum disputationem, quam § 21 de hac nobili tragoedia instituimus, ad finem perducendi.

Restituitur ea, quoad ejus fieri potest, 1) ex diserto Eustathii ad *Odysseam* (p. 1479, 10) testimonio, qui nominatim eam appellat, 2) ex Ovidii *Heroide VIII*, quam a Sophocle pendere et probari potest et vulgo creditur, 3) ex Pacuvii numerosis nec non Livii Andronici uno, sed memo-

rabili fragmento. Quibus omnibus perpensis haec constitui possunt, quibus Euripidis 'Andromacha' a Sophoclis 'Hermione' discrepet.

1) »Sophocles in 'Hermione' haec refert: ad Trojam etiamtum commorante Menelao [socer ejus] Tyndareus [neptem suam ejusque filiam] Hermionen Orestae in matrimonium dedit; postea vero [scilicet cum Menelaus revertisset] ab eo abducta et Neoptolemo data est secundum promissum, quo se Menelaus ad Trojam obligaverat. Secundum Sophoclem igitur jam consummatum erat Orestae et Hermiones matrimonium, cum Menelaus promissi memor, summâ tamen cum amborum injuriâ filiam a marito abductam Neoptolemo dedit. Contra apud Euripidem desponsa tantum erat Hermione Orestae; hoc eo probatur, quod Orestes conspectam Hermionen non agnoscit (881 sqq.), praeterea autem narratione ejus 959 sqq. Hac in re uterque poeta sibi constitit. Apud Sophoclem enim fuit huic matrimonio locus; cum enim (secundum 'Electrae' mythopoeiam) Orestes post matrem Aegisthumque occisos. Mycenis rex remansisset, nil obstabat quominus Spartanam puellam, sibi videlicet etiamtum puero desponsam, in matrimonium duceret; fuit igitur 'Hermione' quasi continuatio 'Electrae'. Euripides contra hanc Orestis impunitatem a Sophocle in majorem Delphici dei gloriam novatam non agnoscebat vulgatamque famam sequebatur, secundum quam Orestem matricidio patrato statim Furiae Mycenis excitum longis erroribus vexaverunt, quos dum perpetitur, satis superque temporis habuit Menelaus, ut filiam etiamtum virginem Neoptolemo in matrimonium daret¹. Ovidium

¹ Fuit igitur, ut hoc in transcurso adnotem. 'Electra' Sophoclea 'Hermionâ' prior, huic autem Euripidis 'Andromacha' successit; jam cum nemo dubitet, quin 'Andromacha' ante ejusdem poetae 'Electram' scripta sit, vides quaestionem, de duabus 'Electris' feliciter solvi. Desinentne tandem philologi universae poetae mythopoeiae immemores usque ad taedium versipellis argumentis uti ex sola conservatarum tragoediarum comparatione depromptis, quae ut cuique

Sophocli adjungi vel inde patet, quod se apud eum Oresti jam nuptam fuisse dicit Hermione. Constant etiam cetera: apud Sophoclem, si Ovidium sequimur, denegat Hermione Neoptolemo conjugales amplexus priori marito fidem servans; apud Euripidem contra satis illo quidem obscaeno sensu *φιλανδρίαν* sibi a rivali objici patitur, cum Neptolemum, quamvis sub rosa, libidini suae non sufficere queritur.

2) Apud Sophoclem Neoptolemus Delphos proficiscitur, ut ab Apolline occisi patris poenas repetat; apud Euripidem, ut hujus ipsius audaciae veniam ab eo impetret (vide supra § 21). Quin attente Ovidii carmen Pacuviique fragmenta legentibus agonis versigia apparebunt inter Neoptolemum et Oresten sive ejus patronam Hermionen; Neoptolemus videlicet Oresti matricidium exprobrans responsum tulit, illum quidem filiali pietate patris mortem ultum esse, se contra sui patris ab Apolline occisi mortem inultam reliquisse.

Haec ipsa causa impiae ejus theoriae fuisse videtur; neque inverisimile est Hermionen eum instigasse, cum Alcmenae exemplo non ante se maritalia ejus jura passuram asseveraret, quam pietatis in patrem officio satisfacisset, simulque furtivis litteris priorem virum ad se liberandam arcessivisse.

3) Et hic tertium discrimen tetigimus: apud Ovidium enim scribit Oresti Hermione. Quod ne Sophocli vindicarent viri docti, ea haud dubie causa commoti sunt, quod

libet ita apparent? — Medius hanc seriem interruptit ‚Chryses’ Sophocleus, de quo infra lib. III § 44 acturus sum: cum enim expiatorium Orestis Tauricum iter contineat, necesse est in eo retractaverit poeta Delphicam suam asperitatem, secundum quam impune juveni parricidium a deo imperatum cessit; posterior igitur fuit ‚Chryses’ et ‚Electra’ et ‚Hermione’ Sophocleis: idem tamen cum a. 414, nec tamen multo, antiquior fuerit, cum ceteris Delphici ordinis tragoediis hanc seriem efficit: Soph. ‚Electra’ — Soph. ‚Hermione’ — Eur. ‚Andromache’ — Soph. ‚Chryses’ — Eur. ‚Electra’.

hoc Ovidii peculiare esse censebant universoque epistularum' proposito accommodatum; neque id injuria, ubi e. g. de Ariadnae vel Leandri absurdis epistulis agitur. Eo cupidius tamen poetam epistulae dandae occasionem arripuisse, ubi in fonte ejus commemorata erat, supra in Phaedrae epistula ad Hippolytum data vidimus (§ 37). Utque ibi eum hanc epistulae scribendi rationem ex Sophoclis 'Phaedra' mutuatum esse sarcophagi evincunt, ita hic eam in ejusdem poetae 'Hermiona' usurpatam fuisse ex Euripidis loco Andr. 964 discimus, quem toti huic disputationi praemisi. Nam nunc demum dissimulatam invectivam, quae huic versui subest, intellegere possumus: ἤλθον δὲ σὰς μὲν οὐ σέβων ἐπιστολάς — hoc est: »advenio autem, non quo litterarum nescio quarum rationem habeam, quas te Sophocles ad me dedisse finxit, sed«... Cur autem has litteras tantopere aspernatus sit, ex his quae supra monuimus (§ 37) elucet: persuasum nempe habebat heroicæ aetatis feminas litterarum elementis imbutas non fuisse.

Cetera breviter monuisse sufficiet. Andromacham jam ante ductam Hermionen a Neoptolemo Heleno traditam fuisse idem Ovidius demonstrat; cujus Hermionæ quantam querimoniae materiem hic Trojanae mulieris paelicatus dedisset! Anchialum tamen sive Amphialum, quem ex ea filium habebat¹, apud se retinuit et moriens demum, ut Livi Andronici fragmentum probat, matri et vitrico remisit.

¹ Cui hoc nomen etiam in Euripidis tragoedia restituendum esse pro inepto, quod in codicibus legitur, Molossi et mythographicae traditionis continuitas evincit et ipsius tragoediae v. 1243 sqq. (Thetidis ex machina vaticinium): γυναῖκα δ' αἰχμάλωτον, Ἀνδρομάχην λέγω, Μολοσσίαν γῆν χρὴ κατοικῆσαι, γέρον. Qui enim puero Molosso nomen dant, ab eo hanc terram Molossiam denominari contendunt; quod apud Euripidem secus fuisse ex his versibus discimus. Pellatur igitur tandem ex poetae editionibus hoc turpisonum nomen, quod ejus aetatis Atheniensibus immanium canum potius quam teneri pueri speciem in mentem revocabat!

64. Credo nos omnes interrogatos, quemnam locum abesse malimus a ceteroquin praeclara Iphigeniae Aulidensis' tragoedia, indicaturos esse Achilles vv. 959—72 ad Clytaemnestram, quibus postquam opem suam ad Iphigeniae vitam salvandam promisit, ita pergit:

οὐ τῶν γάμων ἕκατι — μυρίαί κόραι
 Δηρῶσι λέκτρον τοῦμόν — εἶρηται τόδε,
 ἀλλ' ὕβριν ἐς ἡμᾶς ὕβρις Ἀγαμέμνων ἀνάξ.
 χρόν δ' αὐτὸν αἰτεῖν τοῦμόν ὄνομι ἐμοῦ πάρα
 Δῆραμα παιδός· ἢ Κλυταιμνήστρα δ' —

videtur jam oblitus se cum hac ipsa Clytaemnestra colloqui ad spectatores os et orationem vertere —

ἔμοι
 μάλιστα ἐπέισθη θυγατέρ' ἐκδοῦναι πόσει.
 ἔδωκα τᾶν Ἑλλήσιν, εἰ πρὸς Ἴλιον
 ἐν τῷδ' ἔκαμνε νόστος· οὐκ ἠρνούμεθ' ἂν
 τὸ κοινὸν αὖξειν ὧν μέτ' ἐστρατεύομην·
 νῦν δ' κτέ

Quoniam libro tertio fusius de Iphigeniae mythopoeia tragica disputaturus sum, hoc loco breviter tantum summa attingam. Habemus ergo non unum sed duos locos rudimentales, duplicem in priores poetas invectivam.

1) »Non matrimonii causa hoc dico«, inquit, »cum filia tua contrahendi«, addita jactatione cum per se frigidâ tum praesente matre prorsus non ferendâ: »multae enim virgines me conjugem venantur«. Fuit ergo tragoedia, in qua Achilles revera matrimonio cum Iphigenia jungendo plectus postea matrimonio fraudatus inducebatur, cum ad sacrificium sponsa ejus raperetur. Ea fuit Aeschyli Iphigenia'. Hic enim juvenis ardens etiam pugnam cum commilitonibus suis conseruit nec nisi lapide graviter vulneratus opem sponsae ferre destitit. Hanc tragoediam Euripides etiam v. 124 sq. respicit et praeterea IT. 537 sqq., qui locus etiam eo memorabilis est, quod ipse quoque

duos locos rudimentales continet ad duas Iphigeniae tragoedias, quae tum solae extabant, alludentes:

ΙΦΙ. Θέτιδος δ' ὁ τῆς Νηρηίδος ἔστι παῖς ἔτι;
ΟΡΕ. οὐκ ἔστιν ἄλλως λέκτρ' ἔγμ' ἐν Αὐλίδι.

hoc secundum Aeschylum.

ΙΦΙ. δόλια γάρ, ὡς ἴσασιν οἱ πεπονθότες.

Hoc secundum Sophoclem, ut extemplo videbimus.

2) »Non fecit Agamemnon« pergit, »quod eum facere oportebat, scilicet ut mecum ageret, an sibi concederem nominis mei illecebris filiam Argis elicere. Quod si fecisset, preces ejus minime repudiasset, siquidem haec erat prosperae expeditionis condicio; nunc vero mihi contumeliam intulit me inscio nomine meo abusus«. Fuit ergo tragoedia, in qua Agamemnon conscio et consentiente Achille matrimonium ejus dolo malo filiae et uxori portendebat. Eam fuisse Sophoclis Iphigeniam' infra demonstraturus sum: nunc moneo inscicio poetae excidisse verba *ἐπέισθη θυγατέρ' ἐκδοῦναι πόσει*. Ad Sophoclis ea fabulam referuntur, in qua Clytaemnestra ipsa Argis remanens filiam marito per legatum ejus Ulixem tradebat; apud Euripidem enim ipsa eam Aulidem comitatur et adhuc apud se retinet.

65. Totum loci, quem modo tractavimus, tenorem si respicimus, prorsus similem nec minus frigidum inveniemus apud eundem poetam in Ione'. Ibi enim senex famulus, Creusam in maritum ejus instigans propter fidem conjugalem ab eo laesam, et alia ingerit, et haec (858):

*ἀπλοῦν ἂν ἦν γὰρ τὸ κακόν, εἰ παρ' εὐγενοῦς
μητρός, πιδῶν σε, σὴν λέγων ἀπαιδίαν,
ἐςψικῶ οἴκουσ' εἰ δὲ σοὶ τόδ' ἦν πικρόν,*

Credo equidem!

τῶν Αἰόλου νιν χρῆν ὀρεχθῆναι γάμων.

In Sophoclis igitur *Creusa* Xuthus Ionem ut ex nobili sibi femina procreatum uxori commendabat; quod egregie eis confirmatur, quae supra de *γνωρίσασιν* Ioni notis Atheniensemque ejus originem demonstrantibus disserui (§ 35). Quae cum Creusae minus probarentur, ex Aeoli, non ex Erechthei domo uxorem sibi capiendam fuisse docebatur¹. Omnino agon Sophocleus hic aliquot versibus coartatus esse videtur, neque invitus minor poeta admisisse putandus est, ut quae apud rivalem serio et ordine disputabantur, in sua epitoma subabsurda evaderent.

Sed ex eodem *Ione* alterum mihi videor dissimulatae invectivae exemplum deprehendisse. Ibi enim herois incognita mater cum ante virum Delphos venisset, sola cum solo juvene — amicae nomine praetento — de filio agit, quem olim ex Apolline conceperat. Is igitur adventus properati finis est, ut absente viro deum de communis filii sorte interroget; sed juvenis negat interrogationem eam deo proponi posse (369):

*οὐκ ἔστιν ὅστις σοι προφητεύσει τάδε.
ἐν τοῖς γὰρ αὐτοῦ δώμασιν κακὸς φανεῖς
Φοῖβος δικαίως τὸν δεμιοστεύοντά σοι
δράσειεν ἂν τι πῆμ' ἀπαλλάσσου, γύναι κτέ.*

Cadit igitur proposito et *Creusa*, et ipse poeta, qui ob hoc unum, ut matri cum filio agendi opportunitas daretur, Xuthum ad Trophonii oraculum miserat, a quo tamen nihilo doctior remissus est.

Hinc nobis colligere licet fuisse tragoediam, in qua *Creusa*, cum sola ad oraculum consulendum Delphos venisset, non nimis benigne a deo excepta sit. Et fuisse hanc tragoediam Sophoclis *Creusam* jam notum nobis est;

¹ Quid quod hic quoque, ut plena evadat cum IA similitudo, imprudens exemplari suo vv. 843—5 excerpere perguit, post quae totum 970 sqq. colloquium jam justa ratione destituitur? Olim haec ad athetesis suffecissent; nunc tamen plures esse contradictionum solvendarum vias edocti cautiores facti sumus.

cujus argumentum quale fuisset cum ludibundus mente informare vellem, fabulam composui, quam 'Iresionae' meae insertam nuper popularibus meis proposui.

66. In Euripidis 'Helena' Menelaus se non vi invitos, sed volentes secum traxisse Achivos gloriatur ad liberandam uxorem (395):

*τύραννος οὐδὲν πρὸς βίαν στρατηλατῶν,
έκούσι δ' ἄρξας Ἑλλάδος νεανίας.*

Haec negativa enuntiatii forma per se minime necessaria suspicionem nobis injicit, poetam per rudimentum in antecessorem invehi, qui vi coactos Achivos ab Atridis Trojam ductos esse repraesentarit. Haec vero vis quae alia esse poterat, nisi juris jurandi, quo Tyndareus juvenes procos obligaverat? Jam scimus Sophoclem hunc posthomicum locum in mythopoeiam suam recepisse; apparet enim et in 'Ajace' (1111 sqq.) et in 'Philocteta' (72). Euripides autem neutram fabulam respicere potuit; nam etiam in 'Ajace' in transcurso tantum hic juris jurandi locus attingitur. Crediderim potius eum aut ad 'Helenae raptum' aut ad 'Ulixem furem' alludere (cf. etiam Thuc I 9).

Ceterum Euripides, qua erat in his rebus facilitate, hunc Sophocleum locum, quem hic aspernatur, postmodo in mythopoeiam suam recepit (IA 49 sqq.).

67. In Euripidis 'Hercule' heros interroganti Amphitryoni, vine Cerberum oppresserit an a dea dono acceperit, vi se id fecisse respondet, felicem tamen pugnae successum mysteriis, quibus initiatus fuerit, debuisse (612):

*ΑΜΦ. μάχη κρατήσας ἢ θεᾶς δωρήμασιν;
ΗΡΑ. μάχη τὰ μυστῶν δ' ὄργι εὐτύχησ' ἰδῶν.*

Non admodum naturalem existere Amphitryonis interrogationem vel brevissima deliberatio nos docebit; immo invehi videtur poeta in quendam, qui cum Cerberum ultro

a Proserpina donatum Herculi finxisset, heroicum laboris charactera sustulerat. Et recte animadvertit Wilamowitzius (*Herakles* II 138) eandem a poeta respici famam, quam abbreviatam habemus apud Diodorum IV 26, Herculem scilicet a Proserpina ut fratrem exceptum et Theseum cum Perithoo permissu ejus abduxisse et Cerberum cum vinctum accepisset, praeter opinionem hominibus ostendisse (τὸν δὲ κύνα παραλαβὼν δεδεμένον παραδόξως ἀνήγαγε καὶ φανερόν κατέστησεν ἀνθρώποις). Unum tamen concedere non possum viro doctissimo, eandem esse hanc mythopoeiam cum illa, quam vasculorum Apulorum picturis acherunticis exhibitam videmus; ibi enim rerum minime solliciti inferorum dei in solita aedicula sedent, et Herculis cum Cerbero scaena una de multis est, et liber, non vinctus est canis.

Quae cum ita sint, novum invenimus Herculis furentis anteuripidei vestigium; quam fabulam tamen accuratius definire neque supra potuimus (§ 40), neque nunc possumus.

68. Duos locos rudimentales paene gemellos simul absolvere libet, cum et ad eundem mythum pertineant et jamdudum ab aliis animadversi brevibus transigi possint.

In Euripidis enim *Phoenissis* juvenis rex Eteocles, cum auctore Creonte septem Argivorum ducibus septem Thebanos opponere constituisset, ita pergit (751):

ὄνομα δ' ἐκάστου διατριβὴ πολλὴ λέγειν,
ἐχθρῶν ὑπ' αὐτοῖς τειχεσιν καθήμενων.

Quis videt poetam dissimulanter in Aeschyli *Septem* invehi, apud quem Thebanorum defensores electi et nominantur et diligenter describuntur; iniqua tamen est ejus invectiva, cum vetus poeta diserte indicatâ certaminis remissione defendendi sibi viam praemuniverit.

In ejusdem porro Euripidis *Supplicibus* Theseus rogato Adrasto, ut Argivorum duces sibi describeret, illud se tamen non interrogare adjungit, quem quisque adversarium nactus sit a quove vulnus acceperit, talibus enim

narrationibus imperitiam argui et narrantium et audientium, cum in pugna vix suis quisque periculis videndis sufficiat (846):

ἐν δ' οὐκ ἐρήσομαι σε, μὴ γέλῳτ' ὄφλω,
 ὅτῳ ξυνέστη τῶνδ' ἕκαστος ἐν μάχῃ
 ἢ τραῦμα λόγχης πολεμίων ἐδέξατο.
 κενοὶ γὰρ κτὲ.

De invectiva etiam minus dubitare licet quam priore loco; quaeritur tamen, in quem poeta invehatur. Sophocles Septem ducum bellum omnino non descripsit; de Aeschyli autem Septem vel propterea cogitandum non est, quod ibi pugnae descriptio omissa est. Sed acrius Euripidis verba intuentibus ne quaerenda quidem esse videbitur in Septem tragoediâ pugnae, quam Euripides respicit, descriptio: ibi enim Thebanorum, hic Argivorum oculis res describuntur. Quod ipsum nos in rectam viam inducit: ab Argivorum enim aspectu in Argiade quam dixi Aeschyleâ septem ducum expeditio describebatur, ipsaque pugna sub Cadmeae moenibus commissa Argivorum tragoediae inserta erat. Et rectissime Wilamowitzius in Supplicum praefatione ideo ab Aeschylō pugnae descriptionem in Septem omissam esse posuit, quia in Argivis jam datam repetere noluerit; quam observationem ab eo in Aeschyli interpretationibus (p. 68) debilitatam nec tamen retractatam esse video.

69. In Euripidis Hecuba regina cum punito Polymestore disputans mendacium ejus refutat, quasi Agamemnoni gratificatus Polydorum occiderit (1200):

τίνα δὲ καὶ σπεύδων χάριν
 πρόθυμος ἦσθα; πότῃ κηδεύων τινά;
 ἢ ξυγγενῆ ὄν; ἢ τίν' αἰτίαν ἔχων;

Sane necopinantibus nobis haec de necessitudine jungendâ quaestio oritur; nihil enim in Polymestoris oratione eam praeparavit. Nec tamen conjicere auderem hanc ne-

cessitudinem tragoediae exemplari deberi, nisi haec accederent.

Hyginus enim *Ilionae* Pacuvianae argumentum ita adumbrat (fab. 109): *Achivi... ad Polymestorem legatos miserunt, qui ei Agamemnonis filiam nomine Electram pollicerentur in conjugium et auri magnam copiam, si Polydorum Priami filium interfecisset*. Novaverit sane non pauca Pacuvius, alia ex tragoedia aliqua posteuripidea sumpserit; hanc tamen Agamemnonis cum Polymestore incohatæ necessitudinis mentionem itidem ac Polydoreae umbræ matri apparentis (supra § 22—24) necesse est tragoediae debuerit, quam etiam Euripides in *Hecuba* respexit.

70. In Euripidis *Troadibus* Menelaus de causa loquitur, quæ eum ad bellum Trojanum movendum compulerit. Invehitur in eos, qui eum mulieris hoc gratiâ fecisse arguant; immo injuriam sibi illatam ulcisci volebat (864):

ἤλθον δὲ Τροίαν οὐχ ὅσον δοκοῦσί με
γυναικὸς οὐνεκ', ἀλλ' ἐπ' ἄνδρ', ὃς ἐξ ἐμῶν
δόμων δάμαρτα ξεναπάτης ἐλήσατο,

Invectivam habemus haud dubiam eo tantum a prioribus differentem, quod non in unum auctorem, sed in omnes quotquot ante eum scripserunt invehitur poeta. Nova excusatione non malè fabulae proposito inservit: cum enim ulciscendi studio, non amore se motum esse asseverat, spem Hecubæ injicit posse se quoque feminam tanti facinoris ream punire. Quare cum agonis qui sequitur gratiâ excogitata sit, fabulae nostræ superstes non extitit: in *Oreste* quidem poeta vulgatam excusationem revocavit.

De *Troadum* agone quoniam loquor, libet loci ejusdam mentionem facere, qui licet nullam contineat invectivam neque adeo inter rudimentales numerandus sit, tamen proxime eorum rationem accedit. Helena enim cum se defendit et alia profert et haec (955):

ἔσπευδον αὐτοῦ τοῦτο (scil. fugam ad Achivos capessendam).

μάρτυρες δέ μοι

πύργων πυλωροὶ κατὰ τειχέων σκοποὶ,

οἱ πολλάκις μ' ἐφήυρον ἐξ ἐπάλλξεων

πλεκταῖσιν ἐς γῆν σῶμα κλέπτουσαν τόδε.

Dixerit quispiam haec causae inservientem finxisse Euripidem; et finxerit sane. Sed nos, tot jam locos, qui prioribus ficti esse videbantur, tragoediis exemplaribus restituimus, ut etiam de talibus, qualis hic est, suspicio oriatur non sane contemnenda. Quidni enim Sophoclis *Lacaenas* respexerit, in qua Helenae paenitentiam exhibuit poeta?

Haec in transcurso tantum moneo, alios fortasse excitaturus, ut talibus quoque locis eperam navent.

71. In *Electra* Euripidea Orestes cum patris paedagogo de ultione sua exequenda deliberat. »In ipsa regia«, ait hic, »ne volenti quidem opportunitas dabitur«. — »Siquidem«, inquit ille, »custodibus defenditur et satellitum dexteris« (615):

ΠΡΕ. τειχέων μὲν ἐλθὼν ἐντὸς οὐδ' ἂν εἰ θελοῖς.

ΟΡΕ. φρουραῖς κέκασται δεξιαῖς τε δορυφόρων.

Sequitur ut extra urbem occidendi sint ambo Agamemnonis carnifices. Vides quam levi argumentatione sibi viam praecluserit, quam securi ante eum ingressi erant omnes poetae a Stesichoro; si non ab Homero, ad Sophoclem; verum in hac dissimulata in omnes invectiva totius compositionis cardo versari videtur. Nam si extra urbem caedes patranda erat, necesse erat etiam Electram inde educi — hinc ejus matrimonium, non consummatum tamen, ne Pyladae praejudicium fieret; necesse erat etiam Aegisthum — hinc Nympharum sacrificium et Orestes perfidus et sacrilegus hospes; necesse erat etiam Clytaemnestram — hinc Electrae fictum puerperium et ipsius pietatis maternas abusus.

72. Hucusque, neque id mirum, solae nobis superstites fabulae locos rudimentales suppeditaverunt, quorum ope de deperditarum argumento conjecturam capere licuit; nunc vero de deperditis una — Euripidis dico *Melanippam Sapientem* — adeo duos nobis commodabit.

Et in prologo quidem Aeolidarum γένος perlustrabatur. Juppiter enim genuit Hellenem, Hellen Aeolum, Aeolus ipsam; haec una fuit Hellenis stirps (7):

πτόρονον δ' ἀφήκεν ἄλλον εἰς ἄλλην πόλιν
 κλεινὰς Ἀθήνας Ξούρον, ᾧ νύμφη πότε
 θυγάτηρ Ἐρεχθέως Κεκροπίας ἐπ' αὐχένι
 Ἴων ἔτικτεν ἄλλ' ἀνοιστέος λόγος
 ὄνομά τε τοῦμόν κείσ' ὄθενπερ ἠρξάμην.

Non igitur necessarius fuit hic de Xutho excursus, cujus fata nullā cum Melanippa necessitudine tenebantur; videlicet intererat poetae, ut haec quae posuit poneret. Sed quid tandem intererat?

Praemonendum est Euripidem primum Melanippam tragicam reddidisse heroinam; ante eum merum fuit genealogiae explendae causā confictum nomen. Hoc idem in Creusa Erechthei filia fecisse vidimus Sophoclem (§ 35); ejus igitur *Creusa* etsi diversa argumento quodammodo exemplaris fuit Euripidis fabula. At ille data opera non Xuthi sed Apollinis ex Creusa filium fuisse asseveravit Ionem — nec mirum, quo erat et Athenarum amore et in Apollinem pietate. Hoc ipsum displicuit Euripidi — ad antidelphicam enim ejus aetatem (431—13) pertinuit *Melanippe Sapiens*. Videsne igitur interfuisse ejus, ut Ionum atavum Apollini ereptum Xutho daret? — Nec tamen diu eum ei reliquit: brevi enim post a 413 conversis studiis manus dedit Apollini, qua re factum est, ut jam a, ut videtur, 411 retractato *Melanippae Sapientis* sacrilegio suum componeret *Ionem*, quo diserte Apollini Creusae filium restituit.

Ceterum quam hic breviter adumbravi temporum ratio füsius in secundo libro explicabitur.

Alter locus hic est. Secundum Iohannis Logothetae hypothesin a G. Rabe (Rh. M. LXIII 146) editam pastores Melanippae geminos liberos in stabulo inveniunt »bove servante vaccae ubera sugentes«. A quonam servante? Explicationem Varro suppeditabit r. r. II 4, 5 *hunc* (sc. *bovem*) *esse, qui filios Neptuni a Melanippa servavit, ne in stabulo infantes grex boum obtereret*. Videtur ergo Euripides bovis beneficium data opera praedicasse; quod qui eum norit sine causa eum fecisse non facile credit.

Fabulam exemplarem in Melanippa', ut jam vidimus, non habuit; sed itidem ut Sophocles in consimili Creusa' applicare se potuit ad nobilissimam fabulam *φθορῶν καὶ ἀναγνωρισμῶν* genitricem, Sophoclis Tyro'. Hic adeo major erat similitudo quam in Creusa': nempe gemini et ipsi, Neptuni et ipsi filii. Iis tamen, Tyrûs dico filiis, minus bene cessit expositio: cum enim expositi in prato jacerent, praeteriens equus alterum ungula laesit notamque lividam in tenero corpore reliquit, a cuius *πελῶ* colore is, qui pueros suscepit, nomen ei Peliae dedit (Apollod. I 91). Fuit enim Sophocles etymologiarum amator haud secus atque Euripides; sed hic nimis studio suo indulsisse visus est et rem repraesentasse subfrigidam. Itane vero? Ne hoc quidem deum filiis suis praestare potuisse, ut expositos saltem a bestiarum praetereuntium injuriis servaret! Circumspectior fuit apud Euripidem, ut cum exponi pueros a dilecta puella pateretur, sub bovis tamen paterna custodia relinqueret, *ne a grege obtererentur*.

Videmus igitur hic quoque dissimulatam invectivam subesse. In temporum ratione nulla difficultas est; nihil enim impedit, quominus Tyrûs' tragoediam, quam jam ante noramus antiquiorem fuisse Lysistratâ', aliquot annis eam praecessisse ponamus.

73. Perlustratis quae habui dissimulatae invectivae exemplis autequam finem imponamus et capiti et libro,

brem injecerit (564—71, 931—42) et 3) Apollinis jussis obtemperaverit (591—601). Plane alia est ejus apud suos defensio; suum autem Menelaum reputat. Jam 396 ei de conscientiae suae propter patratum parricidium cruciatibus confessus erat; nec tamen eo minus ejus opem expetit, non ille quidem ut justam, sed ut debitam sibi utilemque injuriam, utilis Menelao patris sui injuriae compensatricem.

Neminem dubitaturum opinor, quin hic posteror plane sophisticus color purus putus sit Euripideus, ille vulgatae defensionis tradux rudimentalis. Orestem tamen neuter servavit; servavit eum desperata salute novam injuriam molientem dei gratia immerito gratis data. Et haec est hujus Delphicae Euripidis tragoediae constitutio moralis.

76. 'Helenae' Euripideae mythopoeiam non totam ex Stesichori palinodia pendere, immo ex parte ex Herodoto (II 112 sqq.) detortam esse constat; huc referendus est Proteus ex deo marino Aegyptiorum rex factus et filia ejus Theonoe, cujus nomen vix fortuitam exhibet cum Thone Herodoteo similitudinem. Jam cum Herodoteam famam, ut jam bis monuimus (§ 36; 73), Sophocle mediatore in Euripidis mythopoeiam fluxisse consentaneum sit, jam pridem in Annenskii amici mei mortui 'Theatro Euripideo' edendo (II 470 sq.) conjeci tragoediam exemplarem Euripidis fuisse Sophoclis 'Helenae raptum'.

Nullum adhuc locum rudimentalem habemus. Ecce autem Helena, cum fata sua detestatur infelicem suam pulchritudinem secuta, εἶπε, inquit (262):

ἔξαλειψθεῖο ὡς ἀγαμὶ ἀνδρὶς πάλιν
αἴσχιον εἶδος ἔλαβον ἀντὶ τοῦ καλοῦ.

Ubi notandum est illud ἀνδρὶς πάλιν, denuo retrorsum'. Quid igitur? Jamne turpis aliquando fuerat Helena, ex turpissimâ pulcherrima facta? Ita sane videtur. Plane simile miraculum Herodotus narrat (VI 61) ab ipsa diva Helena in Spartana puellula patratum, quo magis verisi-

mile fit poetam Herodoti amicum id in ipsam patricem detorsisse. Habes igitur in illo 'Helenae raptu' efficacem locum, ad quem hic per rudimentum alludit Euripides.

77. Ultimum mihi tractandum proposui locum non unius generis propinquum, quem longae disputationis capacem brevibus absolvam. Roberti de Oedipo librum ad cuncta pertinentem in singulis laudare supersedebo.

Coloni extare verum Oedipi sepulcrum confidenter posuit Coloneus poeta; unde sequitur cetera falsam sibi sepulti regis famam vindicare. Ex quibus commemorat ille unum OC 399 (loquitur Ismena):

ὥς σ' ἄγχι γῆς στήσωσι Κадμείας, ὅπως
κρατῶσι μὲν σοῦ, γῆς δὲ μὴ ββαίνης ὄρων.

Hodiernus lector, nisi facilliter, ut plerique sunt, ignorantiae suae patiens, mirabundus interrogabit, quomodo Thebani κρατεῖν potuerint Oedipo nisi intra limites suos sepulto; quippe hodie omnis terra sub domino est. Heroica tamen aetate culta sola suum profitebatur dominum, deserta pascuisque tantum utilis neutrorum erat utrimque advenientes greges pascens; quare factum est, ut in Cithaerone et Thebanorum et Corinthiorum pastores per aestivum tempus convenientes mutuo commercio fruērentur.

In Cithaerone igitur Thebani Oedipo et breve senectutis refugium et aeternum sepulcrum parabant, extorre illud quidem ut parricidae, idemque tamen ipsorum parentationi obnoxium. In consilio id eis positum erat, quod irritum reddidit Thesei Atheniensiumque liberalitas. Quod autem per se suspicionem movebat rudimentalem esse hunc locum, extantis etsi a poeta spretae famae proditorem, id egregie confirmatur noto testimonio de Oedipi sepulcro in Cereris sanctuario Eteoni τῆς παρασωπίας, in Cithaerone igitur, ut suspicari licet, sito.

Eodem tendit ultima Oedipi Regis scaena, Oedipus exul in Cithaeronem moriturus proficiscens (nam vv. 1436 — 45 et

1515—30 jam mortuo poeta post Coloneum et Phoenissas additos esse ut ante viginti annos persuasum habui, ita nunc teneo):

ἔα με ναίειν ὄρεσιν ἔνθα κλήζεται
οὐμὸς Κιθαιρῶν οὗτος, ὃν μήτηρ τέ μοι
πατήρ τ' ἐδέσθην ζῶντι κύριον τάφον,
ἴν' ἐξ ἐκείνων οὐ (vulg. οἷ) μ' ἀπολλύτην θάνω.

Ubi quod addit καίτοι κτέ, significavit poeta se domesticae famae memorem de mortis loco modove nil praejudicare velle.

LIBER SECUNDUS.
DE TRIMETRI EURIPIDEI EVOLUTIONE.

CAPUT I.

Evolutionis criteria indicantur.

1. De trimetro Euripideo quaestionem, quoad quidem ad pedes solutos attinēt, post accuratam C. F. W. Mülleri operam (*de pedibus solutis in dialogorum senariis Aeschyli, Sophoclis, Euripidis* Berol. 1866) renovare supervacaneum quispiam judicaverit; ego quominus hoc arbitrer atque adeo ut meis opibus denuo hoc opus aggrediar, his sum permotus causis. Non eā, quam primo quispiam obtutu efficacem fuisse crediderit, obsolevisse scilicet disputationem Müllerianam nosque per eam quae praeterlapsa est plus quam pentecontaetian et superstitem fabularum textum meliorem nactos et novorum fragmentorum numero amplissimo auctos esse; nam hae acquisitiones etsi in singulis prosunt, non tamen usque eo totam rei speciem immutare possunt, ut homini ceteroquin occupatissimo desiderium moveant jejunis putidisque calculis tantum temporis consumendi, mihi praesertim, qui jam Ciceronis colis rhythmicis computandis plus quam pro virili parte vacaverim.

Verum Müllerus, ut sunt philologi, quod minime decet, plerumque in evolutionum problematis timidiores, Zirndorferi exemplo deterritus, chronologiae inservire rationes suas omnino noluit; unum, quod concessit, in universum poste-

riore tempore, praecipue post a. 420, poetas in metrorum tractatione factos esse, ut dicit, negligentiores (p. 12), verbo quidem concessit, reapse plane neglexit. Mihi vero id fuit omnium maxime in mente atque in votis, ut ex trimetri Euripidei configuratione criteria enuclearem, quibus non modo superstitem, sed etiam deperditarum fabularum chronologiam aliquatenus definire et ita tragicæ poëtae artis evolutioni indagandæ firmiora ponere fundamenta possem; eaque, ut id in transcurso excusem, mihi causa fuit hanc metricam prosodiacamque disquisitionem inter Tragodumena mea recipiendi. Non tamen id solâ quam dicimus analysi quantitativâ me assequi posse putavi, scilicet ut suum cuique fabulae apponendâ arithmetico solutionum modulo, secundum progressionis legem chronologicum ordinem constituerem: valet hæc ratio in superstitis fabulis, non valet in deperditarum fragmentis, versuum plerumque paucitate obstante. Sed quantitativæ analyseos lacunas expleri posse vidi qualitativâ, cujus tam firma est ratio, ut saepius vel uno versu servato fabulae tempus definiri possit. Neque omnino fugit Müllerum hæc qualitativæ analyseos virtus — concedit enim p. 14 *multum interesse, qua ratione sit facta atque conformata solutio*. Sed neque totam hanc rationem exhausisse videtur, et temporibus conturbatis sterilem eam fallacemque reddidit.

2. Sed cur tandem de trimetro Euripidei in universum locuturis ad pedes solutos aberravit oratio? Num eorum computus solus est, in quo trimetri evolutio observari possit?

Fingamus nobis versum idealem, cujus similis neque extat in tragoediis superstitis neque in deperditis extare potuit, velut (nam sententiam non curamus) *βροτῶν λόγος παρῶν καλὴν φέρει φάτιν*. Si eam legem accepissent poëtae, ut tales versus non solum admitterent, sed ne alios quidem ullos admitterent, apertum est nullam in trimetro futuram fuisse evolutionem. Verum statim ab initio, qua-

lecunquē id fuit, constitit posse vocabula ultra pedum limites vagari, quo factum est, ut innumerabiles caesurae versum, variegarent, duae vero principales eum non medium, sed circa medium interciderent; admissa est irrationalis syllabae in imparibus sedibus licentia; permissum est poetis — neque id fortasse ab initio, sed progrediente tempore, — ut longas binis brevibus compensarent, primo in eis vocabulis, quae nisi hac conditione in versum recipi non poterant, tum increbescēte usu etiam in aliis; permissum etiam, ut a severa epica syllabarum ponderandarum lege abirent et positione, quae debilis vocatur, insignitas corripere, primo videlicet necessitate cogente in talibus vocibus qualis est *ἐκπέπληγμα*, tum vulgata licentia passim. Quibus omnibus admissis vivus est effectus versus rhythmō metrum colorante; cuius cum infinita sit varietas, in increbescēte vel decrescente uniuscujusque licentiae usu etiam evolutio certa observari potuit.

Observata est omnium primum in pedibus solutis; quidni? Omnium enim facillime auribus vel oculis percipitur, ut etiam a tironibus animadverti possit. Quin a tironibus hanc observationem profectam esse opinor, qui cum trimetros operose scandentes in Bacchabus, tanto saepius haerent vel titubarent quam in Medea, indignantes crescentem poetae in posterioribus fabulis negligentiam incusaverint. Ridiculum; itane negligentior Mozarto fuit Beethoveniana sonatarum ratio? Neglentior Italis in harmonica structura R. Wagnerus fuit? Equidem jam nunc profiteor Euripidem tenues suas aures, quibus, ceteroquin plerumque minor, et Aeschylum et Sophoclem superabat, intemeratas usque ad finem servasse; verum alia alio tempore placere etiam antiqui homines norant, etsi eos a furiosa hodiernorum novandi libidine Apollo Musaeque servabant.

Nec tamen haec observandi facilitas sola extitit causa, cur trimetri evolutio in solutionum calculo constare videretur; quod si sub hoc aspectu eas aptissime cum prosaici

rhythmi clausulis comparare possumus, tum etiam magis in ea re haec similitudo valet, quod ut illic clausularum syllabae, ita hic solutionum syllabae, omnibus aliis ut ita dicam teneriores, omnium diutissime severam regulam conservaverunt. Excusatur hinc praecipua, non excusatur exclusiva opera, quam — Hilbergo ni fallor uno excepto — solutionibus navaverunt philologi.

3. Sed quid tandem faciendum et erat et est?

Si mihi Tithoni annos deus aliqui concederet, aggrederer eam libertatem, quam primo loco posui, habita etiam ceterarum ratione. Trimetri enim, quem idealem dixi, una est forma; syllabis irrationalibus diversis sedibus singulis vel binis vel ternis adhibitis octo efficiuntur, qui numerus ambabus caesuris principalibus respectis conduplicatur. Adde solutiones quinque sedibus singulas vel binas vel ternas, adde etiam anapaestos; numerum cui opus est computet, certe aliquot decades aequabit. Sed non est subsistendum in caesuris principalibus; differt *ικτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι* a *τυφλὸς τὰ τ' ὄτα τὸν τε νοῦν τὰ τ' ὄματ' εἶ*, illic tribus, hic undecim vocabulis constante versu. Quae omnia cum diligenter digesserit, negabo tamen indagatorem proposito suo satis fecisse, nisi etiam pro positione debili servata vel neglecta, pro elisione et crasi admissa vel vitata, pro interpunctione denique variis locis versum intercidente singula trimetrorum genera constituerit. Ad psammiten numerum pervenimus; ideoque etiam annis nobis opus erat *ψαμμοκοσίους*. Desperandum igitur est quemquam huic negotio sufficere posse; sed finge absolutum esse; quid tum? Equidem recipere nihil audeo; fieri potest, ut ille animae non magnae prodigus operam suam perdiderit. Veri tamen similis est eum plures canones inventurum esse, qualis ille Porsonianus fuit, et arti criticae factitandae utiles, et fragmentis incertis inter tres tragicos dispertiendis, et, qua de re hic loquimur, fabularum chronologiae constituendae.

Mihi videndum erat, an etiam minore molimine aliquid assequi possem. Et primum quidem solutorum pedum quaestionem instauravi et temporum ratione habita et praeter quantitativam analysin etiam qualitativa adhibita; fateorque mihi hic felicissime operam cessisse, ut deperditas Euripidis fabulas, id quod maxime spectabam, ple- rasque certae aetati assignare possem. Parvam nec ta- men contemnendam opem etiam cyclicorum anapaestorum ratio attulit. Tum alias vias temptavi. Pronum erat suspi- cari, quoniam Aristophanes τῷ βάρει τῶν ὀνομάτων differre diceret tragicos, etiam hic certum progressum locum ha- buisse, ut versûs, qualis est ille *ικτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμ- μένοι*, in prioribus fabulis frequentiores, subinde rariores fierent. Computare igitur coepi singulorum versuum voces, elisis monosyllabis pro dimidiis habens, et aliquot centu- riis ex *Alcestide* et ex *Bacchabus* expletis calculos com- paravi, nec tamen ullum fructum cepi. Tum aliam ingres- sús sum viam, ut neglectis eis, quae pondus non haberent (pronomibus, auxiliaribus verbis, praepositionibus, conjunc- tionibus adverbiisque pronominalibus) sola ponderosa respi- cerem, nec tamen felicior fui. Inde me ad positionem debilem converti, cujus non contemnendas esse partes ex solutionibus tractandis cognoveram, et in hac quidem operis parte aliquid me assecutum esse opinor memoratu non indignum.

Haec omnia non diligentiae meae jactandae causâ affero, sed ut laboris socios admoneam, ne operam suam in eis perdant, quae nullum fructum pollicentur. Quamquam fieri potest, ut e. g. de *βάρει τῶν ὀνομάτων* desperandum non sit, sed alia tantum feliciorque via invenienda; quod ego opus aliis relinquendum opinor. In hac quidem dis- putatione primo loco, idque accuratissime, de pedibus solu- tis acturus sum, tum de anapaestis, postremo de positione debili in pedibus non solutis neglecta.

4. Certo scio non paucos fore, qui hanc miseram dili- gentiam in quisquiliis adhibitam, hanc syllabarum statisti-

cam ad summa poetici ingenii problemata solvenda relata a limine abjiciendam esse censeant. Neque enim metiendam esse persicâ decempedâ sapientiam, et poetica opera ex spiritu, non ex littera interpretanda esse. Equidem crediderim me propter alios quos scripsi libros ex hac quidem parte extra notam esse; quamquam vel hujus rei sunt qui obliviscantur. Sed nolo de me loqui.

Est enim quo per se commendetur talis de versuum pedumque pondere disquisitio; norunt ei, quibus aliquod est cum musica commercium quique arcanum elegantis versus sonum auribus percipere possunt. Est porro in psychologia largissimus statisticae usus; sed quotusquisque est, qui ut naturalibus scientiis mathematicen, ita historico-philologicis psychologiam, ut vestibulum quoddam, praestructam esse meminerit? Nec tamen ea, quae didici, *ἀψυχολογῆτων* causâ dediscere placet, neque unquam me paenitebit me quandoque a Guilelmo Wundtio in veram scientiae factitandae viam inductum esse.

De spiritu autem et littera monendum est primum falsam esse hanc disjunctionem; quidni enim utrumque adhibeamus? Non tantâ laboramus criteriorum multitudine, ut alterum prae altero spernere liceat. Tum vero non de interpretando hic agi, sed de re externa temporis definitione, per externam rem adipiscenda. Quid enim? Si e. g. Albani catalogi auctor unicuique fabulae Euripideae archontis annum ascripsisset — essetne haec ex littera an ex spiritu interpretatio? Invenireturne porro philologus, qui haec diserta pretiosaque temporum indicia ut ex miserâ litterâ hausta abjicienda censeret?

Non sunt talia e verborum superbiâ sed ex rerum veritate dijudicanda; haec autem non praejudiciis domo allatis sed argumentis ex ipsa causa hauriendis expenditur. Nullum porro argumentum persuasionis vi mathematico praeferendum est; unus 99%:1% vel spiritualissimam ratiocinationem profligat et conficit. Scio equidem hucusque et extra muros et intra peccatum esse; sed hic

mathematicae evidentiæ contemptus diutius ferendus non est. Quid quod Zirndorferi tabulam neque Euripidis editiones, neque artis metricæ compendia repetere dignatæ sunt? Cujus disputationem cum neque Petropoli neque Varsaviae invenire potuerim, ipse totum computandi laborem denuo suscipere debui. Id quidem non frustra; sed tamen ad corrigendos laterculos meos antecessoris operâ (nam Müllerus numeros neglexit) non invitus usus essem.

Rem autem ita institui, ut me quam maxime possem ad textum eorum qui extant optimum, Gilberti dico Murrayi, applicarem. Neque id ideo feci, quod de meo ipsius iudicio desperarem; nam cum amici mei defuncti Innocentii Annenski versionem Rossicam ederem, totum textum accurate recensendum duxi ejusque rei in commentario rationem dedi. Verum in talibus rebus nimis est periculosa temptatio in re dubia textum ad eas, quas jam praesenseris, regulas accommodandi; quam ut effugerem, editorem hujus scientiæ expertem eligere malui. Sed ne id quidem semper facere licuit. Ea, quæ Murrayus uncis inclusit, omnia recepi; nam in athetesibus statuendis facilius est initium quam finem invenire. Iphigeniæ tamen Aulidensis exodum, quæ recepta propter miram suam rationem metricam totam rem conturbasset, abjeci. Singula non mutavi, paucis exceptis, ubi aut nimium ingenio suo indulsit editor, aut parum sibi constitit; velut Alc. 526 rectissime in versus exitu pro tradito *αναβαλοῦ* Nauckianum *αμβαλοῦ* edidit itemque Hec. 1281 Italum *ἀμμένει*, Andr. 444 tamen eisdem conditionibus traditum *ἀναμένει* incorrectum reliquit.

Unius rei me veniam impetraturum esse confido. Cum enim antea is meus fuerit mos, ut absoluta disquisitione circumspicerem, an quis in ea, quæ mihi invenisse videbar, jam ante me incidisset, et religiose suum cuique redderem, id nunc et ob aetatem proveciorem festinans, quæ me in nonum annum premere inventa non patitur, et negotiis districtus, et a bibliotheca mea, quæ amplissima Petropoli remansit, remotus non nisi ex parte efficere potui.

Si quis ergo a me, ut precario domino, res suas se repetere posse crediderit, repetat sane; non invidebo.

CAPUT II.

De severioris stili solutionibus.

5. Si eas tragoedias, de quarum tempore constat, respicimus, centesimarum modulum in pedibus solutis hunc inveniemus:

a. 438	Alcestis:	in	806 trim.	41 solut.	=	5,1%
» 431	Medea:	»	1048 »	68 »	=	6,5 »
» 428	Hippolytus:	»	1016 »	57 »	=	5,6 »
» 415	Troades:	»	809 »	174 »	=	21,4 »
» 412	Helena:	»	1267 »	373 »	=	29,4 »
» 408	Orestes:	»	1154 »	446 »	=	38,6 »
post.	Bacchæ:	»	924 »	332 »	=	35,9 »
»	Iphig. Aul.:	»	790 »	301 »	=	38,1 »

Haec sola quantitativa analysis omnibus, qui quid sit argumentum ex variarum scientiarum usu cognitum habent, persuadere debet, revera procedentibus annis crescere poetae in pedibus solvendis libertatem, neque nos sufficere rerum evidendiae, si post a. 420 'neglegentiorum' tantum eum factum esse dicamus. Confidenter igitur sub lectoris oculis plenum fabularum superstitionum catalogum ponere possumus, eo ordine digestum, qui jam ob alias causas a viris doctis pro verisimillimo habetur:

a. 438	Alcestis:	in	806 trim.	41 solut.	=	5,1%
» 431	Medea:	»	1048 »	68 »	=	6,5 »
» ?	Heracidae:	»	897 »	53 »	=	5,9 »
» 428	Hippolytus:	»	1016 »	57 »	=	5,6 »
» ?	Rhesus:	»	678 »	57 »	=	8,4 »

a. ?	Andromache:	in	952 trim.	112 solut.	= 12 %
» ?	Hecuba:	»	932 »	137 »	= 14,7 »
» ?	Supplices:	»	929 »	121 »	= 14,2 »
» 415	Troades:	»	809 »	174 »	= 21,4 »
» ?	Hercules:	»	998 »	196 »	= 19,6 »
» 413	Electra:	»	968 »	164 »	= 17 »
» 412	Helena:	»	1267 »	373 »	= 29,4 »
» ?	Iphig. Taur.:	»	1081 »	244 »	= 22,5 »
» ?	Ion:	»	1057 »	258 »	= 24,4 »
» ?	Phoenissae:	»	1198 »	351 »	= 29,4 »
» 408	Orestes:	»	1154 »	446 »	= 38,6 »
» post.	Bacchae:	»	924 »	332 »	= 35,9 »
» »	Iphig. Aul.:	»	790 »	301 »	= 38,1 »

Ex qua digestionem facile apparebit recte se habere eam divisionem, quam lineis indicavi, scilicet quattuor esse Euripidis tragoediarum stilos, quos severiorem, semiseverum, liberum et liberrimum appellare placet. Severioris stili modulus citra 10%, se tenet, semiseveri inter 10 et 15%, liberi inter 15 et 30, liberrimi denique etiam hunc terminum excedit. Neque abs re erit statim quattuor stilorum summas subungere:

a. a. 425	severioris styli:	in	4445 trim.	276 solut.	= 6,2%
a. 425—416	semiseveri:	»	2813 »	376 »	= 13,4 »
a. 415—409	liberi:	»	7378 »	1760 »	= 23,9 »
p. a. 409	liberrimi:	»	2868 »	1079 »	= 37,9 »

De singulis moneo »Rhesum« a me non ideo receptum esse, quod de Euripidea ejus origine non dubitarem (immo hanc rem mihi non satis constare aperte profiteor), sed quia tota ejus structura metrica primae Euripideae aetati eum assignat. Tum vero neminem de methodi nostrae veritate desperare debere, si in progressu etiam aliquas recessiones animadverterit; quamquam de ea, quae gravissima est, »Electram« dico, infra agendum erit: videbimus eam ex magna parte stilo semisevero assignandam esse.

Est in his rebus aliquid etiam casui dandum, id quod me longum cum rhythmo Ciceroniano commercium docuit. Velut Rhesum', de quo modo egi, propter alias rationes haud scio an aperire totum ordinem crediderim; sed quia in bellicosa hac tragoedia saepius πόλεμος, πολέμος vocabula usurpanda erant, major quam pro aetate ejus evenit solutionum numerus.

Sed jam ad severiorem stilum ejusque leges indagandas veniamus.

6. Prima quae primo statim obtutu nobis apparet est:

I. **Lex de solutionibus cumulatis:** Severior stilus in singulis versibus singulas tantum patitur solutiones.

Jam dudum dixi, inventa mea contra legum inimicos defendens, artis legem neque naturali neque criminali legi exaequandam esse: posse eam impune transgredi artificem, modo id pudenter et raro faciat. Quod etiam in nostra lege usu venire transgressionum quas omnes affero paucitas demonstrat. Binas igitur solutiones¹ habemus in hisce versibus:

Alc.	159	ἤκουσαν, ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρῶα
»	802	οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ συμφορα
Med.	324	μῆ, πρὸς σε γονάτων τῆς τε νεογάμου κόρης
»	1322	δέδωκεν ἡμῖν ἔρυμα πολεμίας χερὸς
δ) Held.	70	ἀμύνειδ' ἰκέται δ' ὄντες ἀγοραίου Διός
»	211	κείνη δὲ Πέλοπος θυγατρός' αἰτανεψίων
Hipp.	1029	ἄπολις, ἄοικος, φυγᾶς ἀλητεῶν χθόνα
»	1223	αἱ δ' ἐνδακοῦσαι στόμια πυριγενῆ γναθμοῖς
Rh.	286	κλύοντα πλήρη πεδία πολεμίας χερὸς.

Vides in singulas tragoedias binas exceptiones, non

¹ Mülleriano indice (p. 153) uti in hac re non potui, qui ipsis versibus non exscriptis neque nominum propriorum rationem habuerit (cf. quae infra § 14 dicturus sum) et anapaesto cyclico inter solutiones' perperam accepto totam rationem conturbaverit.

excedere poetam; adeo se severa regula obstrinxit. Pedes solutos si Romano more notamus, semel videbimus I + III, semel I + IV, bis II + III, bis II + IV et ter III + IV cumulatcs; nihil inde colligendum est de singulorum pedum praedilectione, nam quod V vitatum videmus, ad aliam id legem pertinet, de qua statim agendum erit.

Quaeritur tamen, utrum imprudenti poetae exciderint hae exceptiones, an suadente ratione admissae sint. Scio equidem lubricam esse hanc viam; sed confitendum est propter ipsam ceterorum versuum severitatem suamque raritatem eas validius aures ferire quam in posterioribus tragoediis. Neque inepte quis dixerit, in 3, 5 et 7 concitatum precandi vel detestandi affectum prorsus feliciter hac cumulata solutione exprimi, ut in 8 cursus pernicitatem, cum in 2 epigrammatica versus ratio cum repetito βίος vocabulo etiam solutionem repetitam flagitat. De ceteris nihil pronuntiare audebit, nisi cui nubes et inania captare placet.

7. Nec tamen perinde est, quomodo per singulos pedes solutiones dispertiantur. Tabula hoc docebit:

	I	II	III	IV	V
Alc.	7	5	25 (61%)	4	0
Med.	5	7	40 (59 »)	16	0
Held.	3	9	31 (59 »)	10	0
Hipp.	17 (6)	3	33 (58 »)	4	0
Rh.	4	3	46 (80 »)	4	0

Numeros inter se comparantibus statim apparebit tertii pedis solutiones omnes alias multitudine superare. Non admodum magna est chronologica, ut breviter loquar, huius rei virtus, sed tamen non contemnenda, ut ex comparatione reliquorum stilorum, liberrimi praesertim, apparebit; tum etiam hoc nobis clarum fiet, Rheso ob ingentem tertii pedis praevalentiam longe primum inter fabulas nostras locum deberi. Interim secundam nostram legem ita conformare possumus:

II. Lex de tertii pedis solutionum praevalentia. Tertii pedis solutiones numero ceteros superant, idque eo magis, quo antiquior est fabula.

De causis semper facilius est quaerere quam respondere, hic tamen prona est suspicio ideo libentius poetam tertiam arsin solvisse, quod post caesuram (quae semper eam praecedere debet secundum VI nostram legem) nulla anacrusi vim ejus debilitante validissimo ictu pronuntiata sit. Quin probabile est ab ea iamborum solvendorum usum initium cepisse.

Sequitur ut singulorum pedum solutiones examinemus.

3. Primus pes, qui ut initialis surgentem totius versus rhythmum efficit, cum ceteris comparatus singularem locum obtinet; nisi enim arsin ejus vox monosyllaba praecedit, solutus ictum non in prima syllaba (id quod in ceteris pedibus religiose observatum esse videbimus) sed in secunda habet. Velut *πατέρα* vocabulum, cum in ceteris sedibus primam percussam pronuntietur (*pátera*), in nostram non venit nisi percussam secundam (*patéra*). Non est haec exceptio, sed adversa lex ex ipsius loci natura ducta.

Sed primi pedis thesis cum aut longa aut brevi syllaba effici possit, solutus aut dactyli aut tribrachi capax est; juvatque cognoscere, uter poetae aures jucundius mulsisse putatus sit. Monstrabit hoc insequens tabula:

	Summae	Tribrachi	Dactyli
Alc.	7	6	1
Med.	5	5	0
Held.	3	3	0
Hipp.	17 (6)	6	11 (0)
Rh.	4	3	1

Absque Hippolyto esset, putare possemus dactylum in hac sede omnino severiori stilo accommodatum non fuisse; sed quid faciendum est undecim ejus exemplis? Si ea perlustramus, videbimus cuncta nullo excepto proprio nomine

Hippolyti effici, quo carere tragoedia nostra nullo modo poterat; haec igitur exceptio nulla est.

Haec observatio nobis quaestionem suggerit, an omnino numeranda sint in talibus calculis nomina propria. Equidem inter necessaria et non necessaria distinguendum esse puto: velut *Rhesum* credo facilius Priami nomine carere posse quam *πόλεμος* vocabulo. Cum autem lubricum sit certum inter necessaria et non necessaria terminum statuere, omnia numeranda censui, enotato tamen eorum numero, quae frequentia sua — ut hic Hippolyti — legem infringunt.

Remanent in *Alcestide* et in *Rheso* singuli dactyli. Ille in noto jam nobis versu occurrit 802 *οὐ βίος κτέ* (cf. § 6), quo epigrammaticae formae gratiā etiam primam legem violatam esse vidimus; quo minus dubitemus, quin etiam hic eadem exceptionis causa subsit. *Rhesi* autem exceptio cadit v. 809 in allocutionem *ἠνίοχε*, quod *Rhesi* aurigae anonymo nominis est proprii instar. Quae cum ita sint, nostro jure dicere possumus in severiore stilo primum pedem solutum dactylum non admittere.

Admittitur tribrachys isque semper et exclusive uno vocabulo conformatus¹, qualia sunt *πατέρα*, *πότερα* (-ρον), *ὄνομα*, *δόλιος*, *πεδία*, *λόγια*, *ἄπολις*. Quare haec nobis constabit

III. Lex de primo pede. Solutus per primus in severioris stili fabulis solis efficitur trisyllabis vocabulis tribrachyn explentibus.

9. A primo pede continue ad postremos pergere possumus. Quodsi quinti in tabula nostra numeros aspiciamus, sine ullis ambagibus possumus informare

¹ Vidit hoc Müllerus (p. 44), qui tamen perperam *Andromacham* quinque fabulis nostris adjunxit. Idem bene monuit longe plurimas solutiones ita esse comparatas, ut duae vocales aut coeant aut *ρ* littera dirimantur liquidarum liquidissima. Exc.: *Med.* 273 *φυγάδα*, *Alc.* 351 *ὄνομα* et (quod illum fugit) *Hipp.* 1023 *ἄπολις*.

IV. **Legem de quinto pede.** Pes quintus in severioris stili fabulis solutionem non patitur.

Nam Alc. 526 Murrayum recte pro tradito ἀναβαλοῦ Nauckii ἀμβалоῦ recepisse jam supra monui (§ 4).

Extremus igitur solubilium pedum quartus est, qui utpote par tribrachyn solum, non dactylum recipit. Est tamen memoratu digna conjunctio hujus tribrachi, vel potius arsin efficientis pyrrhichii cum insequentis pedis thesi. Ea enim utpote impar et longa et brevis esse potest, quo fit ut cum praecedente pedis quarti pyrrhichio aut anapaestum aut tribrachyn efficiat. Per se utrumque fieri potest; de vero rei statu insequens tabella te docebit:

	Summae	Tibrachi	Anapaesti
Alc.	4	3	1
Med.	16	16	0
Held.	10	9	1
Hipp.	4	3	1
Rh.	4	4	0

Vides 35 tribrachis 3 anapaestos respondere; nostro igitur jure hanc tribrachi praevaletiam dicere possumus. Sed si has tres exceptiones diligenter aspexerimus, ex praevaletia haud scio an exclusivitas fiat. Alcestidis' enim anapaestus (483) in vocem Διομή(δου) cadit, quae nisi hac sede omnino usurpari non poterat, item Hippolyti' (339) in nomen Διονύ(σου), cujus eadem est conditio; habes duo nomina propria eo ipso excusata. Heraclidarum' autem (30) ἀγοραί(ου) ita est conformatus, ut non incommode diphthongo ai ante vocalem correpta ipse quoque amoveatur.

Ea igitur nobis erit

V. **Lex de quarto pede.** Quarti pedi arsis in severioris stili tragoediis non admittit solutionem nisi correpta insequentis pedis thesi.

10. Ab extremis ad media transimus, ad secundum igitur et tertium pedem, quorum arses dirimit anceps tertii

pedis thesis. Haec producta cum soluta secunda arsi ana-
paestum, cum tertia dactylum efficit, correpta cum utraque
tribrachyn; qua in re non obliviscendum est post hanc
ancipitem thesin frequentissimae trimetri caesurae semi-
quinariae locum esse.

Tabellam utrique pedi, ut chartae parceretur, commu-
nem elaboravi, hac lege ut sinistra pars ad secundum,
dextra ad tertium pedem pertineret.

	Summae Tribrachi	Anapaesti		Summae Tribrachi	Dactyli
Alc.	5	2	3	25	16
Med.	7	3	4	40	33
Hclq.	9	2	7	31	24
Hipp.	3	1	2	33	27
Rh.	3	1	2	46	40

In secundo igitur pede 27-ies soluto 9 tribrachis 18 ana-
paesti respondent; haud dubia gravioris formae praeva-
lentia, non amplius. Caesuram in omnibus his versibus
semiquinariam habemus uno excepto Hipp. 78:

Αἰδῶς δὲ ποταμίαισι κηπέει δρόσοις.

Efficitur hinc

VI. Lex de secundo pede. Secunda arsis soluta
insequentem thesin et longam et brevem ad-
mittit, ita tamen ut praevaleat longa, caesura
post hanc thesin (semiquinaria) religiose servata.

Nec dissimilis est tertii pedis conditio. cujus arsis 170-ies
soluta cum praecedente thesi 35-ies tribrachyn. 140-ies
dactylum efficit, ut gravium formarum praeva-
lentia etiam magis appareat. Caesura in omnibus his casibus semiqui-
naria est nullo excepto; nec tamen haec nova lex est. sed
ejus effectus, quae est de solutione initiali (infra § 11).

Et haec est

VII. Lex de tertio pede. Tertia arsis soluta the-
sin longam satis imperiose flagitat, nec tamen

adeo, ut nullus brevis sit locus, caesurâ post hanc thesin (semiquinariâ) exclusive servatâ.

Quodsi has duas leges, quae sunt de mediis pedibus, cum illis comparamus, quas supra in extremis observatas vidimus, certam rationem et hic et illic poetae mentem gubernasse cognoscemus. Nam cum hic in medio versu graves formas cum certa praedilectione, illic in extremo leves unice usurpatas esse appareat, is fuisse videtur arcanus poetae sensus, ut solutione admissa versûs gravitatem ab extremis partibus in medias retraheret. Intellegere haec possumus, sentire non possumus; credo tamen etiam hanc legem ad insignem versus Euripidei harmoniam contulisse.

11. In singulis adhuc morati sumus pedibus; quo labore absoluto ad eas pergimus leges, quae ad universam solutionum pedum pathologiam pertinent. Inter eas principem locum facile obtinet ea, quam jam bis commemoravimus, quae brevitatibus causâ nobis appellabitur

VIII. **Lex de solutione initiali.** In omnibus pedibus praeter primum syllabae solutae vocabuli initium efficiunt.

Hoc est: legitimus ictus in vocabulis, qualia sunt *θάλαμος*, *πολέμιος*, est *thálamos*, *pólemios* non *thalámos*, *polémios*, idque, ut dixi, in omnibus pedibus praeter primum, cujus plane contraria est conditio. Ipsius legis originem facile intellegemus collata lege II; si enim revera in tertia arsi natus est longae solvendae mos, ne potuit quidem caesura hanc arsin praecedente in ullam vocabuli partem solutio cadere nisi in primam. Quo factum est, ut sensim totum versum occupans haec solvendi consuetudo tamen eam qua nata erat conditionem auribus populi probatam secum traheret. Facilius hoc certe intellegitur quam illud, in pede primo contrarium usum valuiss; quidni enim ibi quoque *ὁ θάλαμος ἔστιν, μὴ πατέρα πείδων* scriberentur? At solemne erat, ut lex III nos docuit, solis trisyllabis

primum pedem expleri. Video; sed hujus ipsius legis quae causa fuerit requiro.

Sed sit sane ut est; duplex erat in trimetris vocis *πατέρα* ictus, *patéra* in primo pede, *pátera* in ceteris. Posterior erat illius origo; sed tamen in usu hominum erat, quo tempore severioris stili tragoediae Euripideae ortae sunt, ut pronum esset assuefactis jam huic sono populi auribus etiam in ceteros pedes, tertio propter caesuram excepto, hunc ictum (*patéra*) transferri. Quod si factum esset, alius esset legis nostrae tenor, nimirum ut primus pes solum ictum medium, tertius solum initialem, ceteri utrumque paterentur. Nec dubium est quin eo res tetenderit; nostra tamen aetate religiose servatur ea, quam supra exscripsimus.

Et tamen bis violata est, in eadem fabula atque adeo in eodem vocabulo:

Med. 375: *Δῆσω, πατέρα τε καὶ κόρην πόσιν τ' ἐμόν*
 » 505: *δέξαιντό μ' οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον.*

Quid his exemplis faciendum est? Bisne Euripides eadem chorda oberravit? An prudens ictum novavit, populi tamen reprobatione a novando deterritus est? Per se hoc fieri potuisse non negabit, qui Aristophanis *Ranas* diligenter legerit; sed cur tandem Euripidi populus negaret concessum Aeschylo (*Cho. Ἐρμῆ χθόνιε* etc.)? An librariorum ea culpa est? Variat sane lectio; sed ego hanc lubricam semitam audacioribus relinquo, ipse satis habeo adnotasse 240-ies legem nostram servatam, bis tantum infractam esse.

12. Si nobismet ex ipsis quaerimus, quae principio solvendarum arsiuum causa extiterit, expeditum est respondere necessitatem vocibus utendi, quae nisi soluta longa in versum recipi non possunt. Ipsum solutionis sonum postmodo demum hominibus placuisse crediderim assuefactis jam eorum auribus; principio vero solam valuisse necessitatem. Hoc est quod alibi dixi, in arsiibus solvendis antiquitus non *Ἐρωτα* regnasse sed *Ἀνάγκην*.

Sequitur propter voces, quae etiam in insolutum ver-
sum recipi possint, solvi arsin non oportere. Quam regu-
lam cum alias valere videmus, tum principio in positione
debili valuisse par est. Qua de re nobis hic fusius agen-
dum est.

Ac primum quae sit positio debilis quaerendum est;
non enim quaevis mutae et liquidae complosio eam efficit.
Commoditati lectoris consulens tabulam talium complosio-
num appono, uncis includens eas, quae omnino usu non
veniunt, rectisque litteris imprimens eas, quae semper
fortem, nunquam debilem efficiunt positionem

	τ	δ	ϑ	π	β	φ	κ	γ	χ
ρ ...	τρ	δρ	ϑρ	πρ	βρ	φρ	κρ	γρ	χρ
λ ...	τλ	(δλ)	ϑλ	πλ	βλ	φλ	κλ	γλ	χλ
μ ...	τμ	δμ	ϑμ	(πμ)	(βμ)	(φμ)	κμ	γμ	χμ
ν ...	τν	δν	ϑν	πν	(βν)	φν	κν	γν	χν

Vides 25 conjunctiones esse, quae positionem debilem
efficere possint; neque tamen eadem omnium natura est.
Sunt etiam in eis leviores et graviore; quae distinctio
quid sibi velit ex ipso solutorum pedum usu discendum
est. Sed etiam quo quaeque modo orta sit conjunctio quae-
ritur; velut si conjunctionem κν spectamus, differt ejus vis
in ἐκνεύω, τέκνον, πολυκνήμων, ἔκναιον, et id quidem ita, ut
in primo vocabulo nunquam non fortem efficiat positionem,
in ceteris saepe debilem, sed quibus servatis gradibus
etiam videndum sit.

Interim utile erit legis reminisci, quam praeter epicos
(de exceptionibus taceo) etiam lyrici observaverunt, scilicet
eandem esse in metro constituendo debilis et fortis posi-
tionis conditionem; tunc enim facile apparebit etiam ejus
legis vis, quae nobis est

IX. Lex de positione debili. Utramque solutae
arseos syllabam natura brevem esse oportet,
positione debili non admissa.

Quid ita? Lyricorumne more Euripides severioris stili aetate positionem debilem tractavit? Immo in paribus thesibus corripitur potest. Sed enim non tres, sed quattuor sunt syllabarum gradus: fortes flagitant arses longae, anticipites admittunt impares theses, leves poscunt pares theses, levissimas denique arseos solutae breves. Ideo ea supra tenerrima versus membra esse dixi, in quibus optime syllabici ponderis natura indagari possit.

Nec tamen ea est legis nostrae vis, ut nullas exceptiones patiatur. Immo in omnibus severiorum tragoediarum 4445 trimetris septem inveni exceptiones, scilicet (solutae arseos sedem uncis inclusus numerus indicat; ictus semper in prima residet syllaba) hasce: Med. 1341 ὀλέθριον (IV), Hcl. 689 ἀριθμόν (III), Hipp. 31 et 1417 Κύπριδος (III), 34 Κεκροπίαν (III), 1056 ἄκριτον (III), Rh. 617 διαπρεπέεις (III). 'Alcestidem' ut antiquissimam hanc licentiam omnino aspernari videmus; 'Hippolytum' ut novissimam ex septem casibus quattuor suppeditare; ceterae singulos exhibent. Ex septem porro casibus sex tertiam sedem attingunt, quam omnium fortissimam esse jam cognovimus.

Ceterum cum duae sint solutae arseos syllabae, ex quibus prior nostro pronuntiandi more ictu percutiatur, vereor ne quis a priori illam ut fortiorem etiam positionis illegitimae patientiorem existimet. Qua expectatione jam nostri septem casus nos dejicient; neque enim accuratius dimidiari poterat hic numerus, quam quattuor illi, tres huic syllabae addicendo. Tamen etiam in insequentibus harum duo syllabarum rationem habebimus; meum enim arbitror non solum veris legibus confirmandis, sed etiam fallacibus evitandis consulere.

Unum addere liceat, priusquam hos septem casus dimittamus: vides enim sex ex eis positionem efficere tenui vel aspirata cum ρ copulata, quam supra liquidarum liquidissimam esse dixi, unum aspirata cum μ , nullum media cum liquida. Pauciores sane sunt casus, quam ut legem

ex eis elicere fas sit; notandam tantum cœnsui hanc gradationem, ad quam infra nobis revertendum erit.

13. Nec tamen de unâ positione debili valet, quod superioris § initio de necessitate et libero arbitrio dixi, sed multo magis de syllabarum numero. Sponte enim patet talia vocabula, qualia sunt πόλεμος, πολέμιος, πολεμόκραντος nisi arsi soluta in versum recipi non posse, πόλις autem nullo negotio posse, quin etiam πολύ, si aut ante duplicem consōnam, aut in versus fine ponatur. Quare a priori conformare possumus

X. **Legem de polysyllabis.** Solutio non admittitur nisi in vocabulis ex tribus vel pluribus syllabis compositis.

Ei sane quispiam, a priori et ipse, oppōnere possit longe fabulas Euripideas ab iamborum origine distare; constare rationem, si apud VII et VI s. lyricos nullae inveniantur solutiones nisi in vocabulis, qualia sunt Ἀσις, Θασίων, ἔρατος, μεγάλης, περιβαλόν, καταπεσών, Σαυμάσιον, διαπεπλεγμένον; sed quid hoc ad Euripidem, poetam duobus saeculis Archilocho minorem? Faciamus tamen experimentum.

In *Rheso* igitur nullam exceptionem invenimus, ut hac quoque ex parte omnium Euripidei corporis fabularum antiquissima appareat.

In *Alceste* igitur quinque: 3 τὸν ἐμόν (IV: numerus sedem indicat), 137 τίνα τύχην (III), 246 δύο (III), 802 βίος (I), ὁ βίος (III).

In *Medea* duo 892 διὰ λόγων (III), 1347 τὸν ἐμόν (III).

In *Heraclidis* tres: 254 τὸν ἰκέτην (III), 327 ἓνα γάρ (III), 871 τὸν ἐμόν (II).

In *Hipolyto* tres: 420 τὸν ἐμόν (III), 476 Σεὸς ἐβουλήθη (III), 1048 φυγὰς ἀλητεύων (III).

In summa 13 sunt exceptiones inter 276 solutas arses, vel 4%, quem modulum notasse non obstat; immo ad ea quae infra dicentur, utilis nobis erit. Qualitatem si specta-

mus, sexies habemus articulum cum insequente vocabulo coalescentem. (et quidem quater τὸν ἐμόν), quater pronomen vel numerale vel praepositionem. Ter tantum sui juris est solutionem perpessum vocabulum, substantivum vel adjectivum, omnia summo cum affectu emissa: unum in 'Alcestide' epigrammatice usurpatum, duo in 'Hippolyto', quae tamen fabula aetate jam semiseverum stilum attingit. Hoc quoque memoratu dignum est, omnes fere quos enumeravi casus in tertia sede, omnium scilicet fortissima, positos esse, in aliis sedibus — praeter epigrammaticum Alc. 802 — solam compositionem τὸν ἐμόν inveniri, quo magis eluceat eam revera pro uno vocabulo esse.

Atque hae sunt stili severioris leges Equidem opto ut novis inquirendi methodis inventis numerus earum augeatur; interim his acquiescendum est. Videamus nunc, quomodo eas poeta per tres quae restant vitae suae aetates servaverit.

CAPUT III.

De semiseveri stili solutionibus.

14. Semiseverum stilum tragoedias amplecti 'Andromacham', 'Hecubam' et 'Supplices', temporum lacunam inter 'Hippolytum' (a. 428) et 'Troadas' (a. 415) quodammodo explentes, solutionum autem modulum inter 10% et 15% exhibentes, jam supra (§ 5) vidimus; hoc capite videndum est, quas mutationes decem illae leges, quas capite superiore enucleavimus, imminuta severitate perpessae sint.

Ut igitur a lege I, quae est de solutionibus cumulatis (§ 6) incipiamus, crescentem exceptionum numerum non mirabimur. Ut enim illic in quinque tragoediis novem tantum offendimus, ut in singulis bina binarum solutionum exempla neque amplius inveniuntur, ita hic pluraquam duplicato numero tres tragoediae quattuordecim exempla praebent haec:

- Andr. 40 πατήρ τε θυγατρὶ Μενέλεως συνδρᾶ τόδε (II, III)
 » 253 λείψεις τόδ' ἀγνὸν τέμενος ἐναλίας Θεοῦ (III, IV)
 » 333 Μενέλαε, φέρε δῆ, διαπεράνωμεν λόγους (II, III)
 » 1157 ἐξέβαλον ἐκτὸς θυοδόκων ἀνακτόρων (I, III)
 5) Hec. 320 τὸν ἐμὸν ὀράσθαι διὰ μακροῦ γὰρ ἢ χάρις (I, III)
 » 345 θάρσει, πέφευγας τὸν ἐμὸν ἰκέσιον Δία (III, IV)
 » 503 Ταλθύβιος ἤκω, Δαναϊδῶν ὑπηρέτης (I, III)
 » 544 ἐξείλκε κολεοῦ, λογάσι δ' Ἀργείων στρατοῦ (II, III)
 » 882 σὺν ταῖςδε τὸν ἐμὸν φονέα τιμωρήσομαι (II, III)
 10) Sppl. 15 μέρος κατασχέιν φυγάδι Πολυνείκει δέλων (III, IV)
 » 263 ὃς Πέλοπος ἦν παῖς, Πελοπίας δ' ἡμέϊς
 χθονός (I, III)
 » 905 ἴσον παρέσχεν ὄνομα διὰ τέχνης δορός (III, IV)
 » 507 ἔπειτα τοκέας πατρίδα δ', ἦν αὖξιν χρεῶν (II, III)
 » 1037 Ἐτέοκλον ἐς γῆν πατρίδα ναυσθλώσω
 νεκρόν (I, III).

Exempla excrpsi, ut evidens fieret ἡδους partes, quo supra cumulataram solutionum plus dimidia pars excusabatur, hic aut parvas aut nullas ess.; nihil enim, ἡδος si spectas, differunt allati versus ab illis, qui aut praecedunt aut sequuntur. Nominum propriorum libertate dixeris partem (1. 7. 10. 11.) excusari, quae bis (7. 11.) adeo cumulata sint, et fortasse recte; quamquam abuti hac ratione nolim. Etsi enim concedendum est nominis proprii inevitabilem usum solvendi necessitatem poetis imposuisse, tamen cur haec solutio cum alia cumlaretur nil fuit causae, nisi jam ita assuefactae erant aures solutionibus duplicatis, ut eas sine molestia ferrent.

Contra polytypiam severioris stili hic majori aequabilitati cessisse videmus; nam cum illic omnes quattuor solubilium arsiarum solutiones promiscue combinantur, hic obligatorius est tertiae arseos solutae usus, quo fit ut etiam typorum numerus ad tres (I + III quinquies, II + III quinquies, III + IV quater) reducatur.

15. Ad singulorum pedum rationem transeuntes

omnium primum dispertitionis tabellam concinnare oportet ejus, quam § 7 dedimus, similem:

	I	II	III	IV	V
Andr.	9	20	70 (62%)	12	1
Hec.	14	25	71 (52 »)	25	0
Sppl.	15	17	86 (66 »)	12	0

Legem II de tertii pedis praevalentia in univ-
ersum servatam videmus, nec tamen adeo diligenter, ut sal-
tus evitarentur, quo fit ut chronologica, quod jam supra § 7
monui, hujus legis virtus non nimia existimanda sit. He-
cubae' certe modulum majorem fore expectandum erat.

16. Ut tamen singulorum pedum perlustratio etiam hic
ab extremis incipiat, jungantur parsimoniae causâ primi
et quarti pedis auxiliares tabellae:

	I			IV		
	Summae.	Tribrachi.	Dactyli.	Summae.	Tibr.	Anapaesti.
Andr.	9	5	4	12	10	2
Hec.	14	7	7	25	14	11
Sppl.	15	10	5	12	7	5

Jam si legem III, quae erat de primo pede (§ 8)
cum hujus tabellae parte priore composueris, corruiere
eam dices totam: qui enim illic soli dominabantur tribra-
chi, hic in paterna jura dactylos receperunt idque tam be-
nigne, ut 22 tribrachis 16 dactyli respondeant. Videamus
tamen de singulis.

Illic — de severiore stilo loquor, — tribrachi non
ita simpliciter flagitabantur, sed sola trisyllaba voca-
bula tribrachyn expleantia (ὄνομα, πότερα etc.), ex-
clusis et eis tribrachis, qui partem polysyllabi efficiunt
(ut ἀθάνατος), et eis, qui ex vocabulorum conglutinatione
oriuntur (ut ὁ λόγος). Legem hanc illic adeo religiose ob-
servatam vidimus, ut in 23 casibus nusquam infracta sit;
hic contra polysyllaba habemus Andr. 746 ἀθάνατος, 803

διάδοχον, 1256 *ἀθάνατον*, Sppl. 401, 739 *Ἐτεοκλέους*, 872, 1037 *Ἐτεοκλον*, ut etiam missis nominibus propriis, quippe necessariis, tres dumtaxat exceptiones remaneant. Similiter de conglutinationibus cautionem semel neglectam offendimus Sppl. 157 τὸ δὲ πλεόν.

Ita, quod est proprium evolutionis, sensim relaxatam videmus in tribrachis conformandis severitatem. Quid autem de dactylis dicemus, quos ne extare quidem in hac prima sede severior stilus patiebatur?

Primum omnium duo eorum sunt genera non ad nostram libidinem, sed ipso usu discreta. Prius formatur monosyllabo sequente pyrrhichica vel tribrachica (nam hoc perinde est) voce, qualia sunt ᾧ πάτερ, ᾧ θύγατερ; alterum vocibus aut dactylum explentibus aut (nam hoc quoque perinde est) a dactylo incipientibus, qualia sunt μητέρα, ἡμέτερον. Contra quam in tribrachis vidimus, hic in dactylis prius genus leniorem efficit legis violationem; praebet enim eam commoditatem, ut legem de solutionibus initialibus (VIII) etiam primo pedi imponi patiatur, id quod magis mirandum est non statim ab initio usu venisse, quam procedente evolutione paulatim increbuisse.

Prioris igitur dactylorum generis in semiseveris tragoeidiis invenimus exempla haec: Andr. 169 οὐ Πρίαμος, 387 ᾧ μεγάλα, Hec. 334, 415, 439, 585 ᾧ θύγατερ, 1235 οὐχ ὄσιον, Sppl. 263 ὃς Πέλοπος, 1066 ᾧ θύγατερ. Nusquam igitur monosyllabum ponderosa voce formatur, semper talibus, quales sunt οὐ, ᾧ, ὃς, inter quas gravissima est ultima, pronomen relativum, semel tamen obveniens. Omnino novem habemus exempla, e quibus quattuor allocationem exhibent ᾧ θύγατερ, Hecubae, quippe maternitatis tragoediae, accommodatissimam.

Posterioris genus his exemplis illustratur: Andr. 656 Ἐκτορος, 1266 Σηπιάδος, Hec. 487, 503 Ταλθύβιε (-ος), Sppl. 93 μητέρα, 392 Καλλίχορον, 535 ἡμέτερον. Vides in nominibus propriis plerumque versari hoc genus, ex quibus quadrisyllaba huic sedi propria sunt; haec si mittimus

duas solas exceptiones habemus, utramque in Supplicibus; quae omnium prima dactylica vocabula in primo pede passa est.

Sequitur ut paulo immutata appareat in stilo semisevero

III b. **Lex de primo pede.** Praealentibus tribrachis, praesertim vocabula tribrachica explentibus, admittuntur jam dactyli ex levi monosyllabo sequentibus binis brevibus constantes, evitantur dactyli vocem aut explentes aut incohantes.

17. Ad versus finem tendentes quintum pedem silentio praeterire possemus, si per Murrayum liceret, qui parum sibi constans, ut supra § 4 monui, Andr. 444 *ἀναμένει* incorrectum reliquit; liberalior tamen Müllero, qui (p. 71) non solum hic, sed etiam Hec. 1281 *ἀναμένει* retineat, item Alc. 526 *ἀναβαλοῦ*, quin etiam Andr. 1137 *ἀναπνοάς* ab uno codice traditum contra omnes alios et codices et editiones tueatur. Sed casune factum putamus, ut quattuor solae, quae in tragoediis severioris vel semiseveri stili inveniuntur, legis de quinto pede violationes in praepositionem *ἀνα-* cadant compositum incohantem, cui frequentissimā apocope adhibitā legem restituere possumus? Expulso igitur hoc unico exemplo Murrayano ad quartum pedem pergamus.

Etiam in eo fractam inveniemus severioris stili exclusivitatem (§ 9) idque duplici modo. Cum enim illic 35 tribrachis 3 anapaesti responderint, e quibus 2 nomina propria quartae sedi affixa et unus dubiae quantitatis, hic 31 tribrachis 18 anapaesti opponuntur hi: Andr. 167 *Ἀχελῷου*, 1103 *τίνος ἦκεις*, Hec. 276 *ικετεύω*, 428 *Πολύδωρος*, 435 *ὄνομα ἔξεστι*, 553, 784, 895, 1114 *Ἀγαμέμνον*, 727 *Ταλθύβιος ἤγγειλε*, 771 *Πολυμήστωρ*, 1240 *τάλλό-τρια κρίνειν*, 1267 *Διόνυσος*, Sppl. 15, 144, 402, 928 *Πολυνεΐκης*, 1218 *Διομήδην*. Attamen ex his quoque 18 casibus segregandi sunt 14, utpote nomina propria praebentes huic quarto pedi

postea non infrequens in semisevero stilo praelibatum videmus, ipsum quoque bis, ipsum quoque in eadem tragoedia — Hecubam' dico, — quasi temptare voluerit poeta, an aequo animo acciperetur; scilicet ut solutae syllabae non incipientis cum arsi vocabuli initium, sed exeuntis clausulam efficerent, hoc modo (post semiquinariam)

— υ υ υ | υ — υ — :

727 ἐλθοῦσ' ἐφ' οἷς περ Ταλθύβιος ἠγγελέ μοι

1240 ἀχθεῖνὰ μὲν μοι τ' ἀλλότρια κρίνειν κακά.

Hoc unum monendum erat; Andromache' quidem et Supplices' legem religiose observant.

— 20. Nec multa, paulo tamen plura, de nona lege dicenda erunt, quae est de positione debili; cujus violatae exempla bifariam divisa, prout in priorem an in posteriorem syllabam haec positio cadit, phonetico ordine afferam:

I. Andr. 240, 631 Κύπριδος (III); 247 πατρίδα (II), Sppl. 147, 1037 πατρίδος, -α (III), 556, 866 μέτρια (III); Andr. 549 ἄκριτα (III), Hec. 518 δάκρυα (III), 772 πικροτάτου (III), Sppl. 658 Κεκροπίας (III) — in summa 11 casus, praeter unum omnes in tertia sede.

II. Sppl. 841 διαπρεπεῖς (III); Andr. 174, 442, 564 θυγατρί, -ος (II), Andr. 334, Hec. 391, 396 θυγατρί (III); Andr. 923 μέλαθρον (III); Sppl. 1057 νεοχμόν (III) — in summa 9 casus, duobus exceptis omnes in tertia sede.

Quem catalogum si cum eo comparamus, quem § 12 exhibuit, in omnibus rebus praeterquam in numero summam constantiam admirabimur. Quam enim illic notavimus tertiae sedis utpote fortissimae paene exclusivitatem, eandem etiam hic observare licet. Quod illic monui nullam esse prioris posteriorisve solutae arseos syllabae praevaletiam, idem hic repetendum est; etiam hic enim casuum numerum inter eas paene dimidiatum videmus. Gravissima tamen qualitatis est concordia; omnes enim casus levissi-

num exhibent positionis genus, tenuem vel (neque id tamen nisi semel) aspiratam cum ρ conjunctam, unus solus aspiratam cum μ — quod idem etiam illic factum esse vidimus.

At est differentia in numero; est vero, et quidem ea, quam expectare debuimus. Illic enim quinque tragoediae 7 casus exhibuerant, hic tres 20. Nolo tamen progressum amplificare; non enim ad tragoediarum, sed ad universum solutionum numerum referendus est numerus debilium positionum. Habeamus sane ejus rationem; illic igitur 275 solutionibus 7 casus respondebant, qui numerus modulum efficit 2,5%; hic 376 solutionibus 20 casus, vel 5,3%. Utut est, plus quam dimidio aucta est in positionem debilem admittendam inclinatio.

21. Ultimo loco posuimus § 13 de polysyllabis legem; ea in semiseveri stili tragoediis multo plures exceptiones admittit. Eas nos per singulas ordine systematico percensebimus, primo loco disyllaba ponentes, et id quidem ita, ut a levioribus incipientes ad graviora deveniamus, deinde monosyllaba — articulum, pronomina, praepositiones, quandoquidem gravioribus stilus noster in monosyllabis abstinet. Sedes, nisi notata, semper tertia.

Andromache: 158, 362, 416, 649 *διά*, 225 *ἵνα* (II), 455, 1105 *τίνι*, -ος (IV), 698 *ένός*, 333 *φέρει* (II), 47 *μόνος*, 555 *πόλις*, 920 *Δία*; 70, 98 *τὸν ἐμόν* (III, II); 184 *τὸ νέον*, 75 *ὁ δέ* (IV), 912 *τὰ δέ*, 395 *τί δέ*, 571 *σὺν ἐμοί* (II). In summa 19 casus.

Hecuba: 327, 442, 673, 1004 (II), 1193 *διά*, 1152 *παρά*, 1201, 1205 *τίνα*; 320 *ἐμόν* (I), 45 *δύο*, 5 *δορί*, 398 *δρυός*, 1196 *πόνον*; 345, 882 (II); 977, 1022, 1207 (II); 1225 (II) *τὸν ἐμόν*, 10 *σὺν ἐμοί* (II). In summa 20 casus.

Supplices: 270 *διά*; 149, 1060 *τίνι*, -α; 143 *δύο* 653 *τρία*; 477, 752 *πόλιν*; 234 *ὁ μὲν*, 390 *τὸν ἐμόν*, 226 *ὁ θεός*. In summa 10 casus.

Summa summarum 49 casus exhibet, qui numerus ad

totum solutionum numerum relatus 13% efficit. Quem modulum si cum eo, qui erat in severiore stilo, comparamus — 4% — apparebit, quantum incrementum ceperit in lege de polysyllabis conservanda libertas. Singularum tragoediarum moduli hi sunt: 'Andromachae' — 17 %, 'Hecubae' — 15%, 'Supplicum' — 8%. Videtur igitur sub nostrae legis aspectu 'Supplicum' fabula ceteras severitate antecellere; tamen etiam in ea dimidio major est exceptionum numerus quam in severiore stilo.

Qualitatem si spectamus, nil fere novatum inveniemus, ut hac quidem ex parte semiseverus stilus severioris acquisitionibus acquiescat.

22. Operae pretium fore credo si secundum leges, quas constituimus, decrescentis severitatis ordinem in tribus tragoediis nostris definire conabimur. Adhuc enim eas ordine Murrajano exhibuimus; de tempore nil constat nisi ad belli Archidamici aetatem omnes pertinere.

In tabella quam apposui prima columna eum ordinem exhibet, quem solutionum moduli § 5 allati indicare videntur; ceterae ad singulas leges pertinent:

		I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X
Andr.	1	1	2	2	—	1	2	2	1—2	3	2
Hec.	3	3	3	3	—	3	1	3	3	1	3
Sppl.	2	2	1	1	—	2	3	1	1—2	2	1

Plenum consensum nemo harum rerum peritus expectabit; minores enim sunt numeri, quam ut casus plane eliminari possit. Hic defectus tamen criteriorum multitudine compensatur. Si cuncta conjunxerimus, videbimus 'Andromachen' 17½ puncta habere, 'Hecubam' 23, 'Supplices' 16½. Pro antiquissima ergo habenda est 'Supplicum' fabula; sed eam adeo prope attingit 'Andromache', ut de ordine dubitari possit. Nulli tamen dubitationi obnoxia est 'Hecubae' causa, cui modo non omnia criteria novissimum locum assignant.

Multo autem gravius id est, quod in omnibus his tragoediis omnium criteriorum concordiam transitorius apparuit semiseverus stilus, quo evidenter et ab antecedente grege discernuntur, et ab eo, de quo jam tractaturi sumus.

CAPUT IV.

De stili liberi solutionibus.

28. Stilo libero septem tragoedias addiximus a 'Troadibus' ad 'Phoenissas', quas cum plerisque philologis a. 409 assignari malim; nam 'Oresten', quae a. 408 scaenae commissa est, non minus qualitativa quam quantitativa analysis unâ cum postumis liberrimo stilo vindicat. Septem igitur neque amplius annorum evolutionem hoc agmen repraesentat; nihilominus in ipso quoque duo ut ita dicam subagmina discerni possunt, a. 413—412 limitem indicante. Fuit hic conversionis Euripideae annus, quam qui agnoscunt Macedonico vulgo tempori assignant, multi ne agnoscunt quidem. Ego cur et agnoscam et illi anno assignem, quo fractae sunt in aeternum Atheniensium opes, alio libro explicabo; nam id, quod hic nobis opus est, technica abunde criteria indicant. Discernemus igitur in agmine nostro, ubi opus fuerit:

Tragoedias mediî stili 'Troadas' (a. 415), 'Herculem' (a. 414?) et 'Electram' (a. 413); tum

Tragoedias liberioris stili 'Helenam' (a. 412), 'Iphigeniam Tauricam' (a. 411?), 'Ionem' (a. 411?) et 'Phoenissas' (a. 409).

Commendatur haec subdivisio eo quoque, quod modulorum titubationes intra utrumque agmen observantur nec tamen limitem indicatum transgrediuntur: habemus enim in medio stilo 17—21% in liberiore 22—29%. Hoc igitur mente tenendum erit; ceterum nil obstat, quominus utrumque subagmen chartae consulentes unâ tractemus.

24. Et primum quidem videamus, quae fuerint primae nostrae legis in libero stilo fata, ejus dico, quae cumulari solutiones vetabat; nempe totam labefactatam videbimus. Consulat igitur lector ejus in stilo severiore conditionem (§ 6), deinde in semisevero (§ 14); tum nostrum consideret. Nec tamen singulos versus exscribere placet, cum et tanti sint, et ἤσους, propter quod unice exscribendi erant, partes jam in semisevero stilo ad nihilum redactae sint. Solutionum tantum sedes solito more indicabimus.

Troades': bis I, III (351, 747); quinquies II, III (6, 424, 769, 1168, 1274); ter III, IV (44, 248, 937); semel III V (996); ter I II (774, 960, 1186); semel I, IV (1197); semel I, V (1170). In summa 16 casus (sive ad trimetrorum summam relatis 2%), e quibus tamen 5 nomina propria occurrerunt (44, 248, 747, 970, 996).

Hercules': quinquies I, III (194, 547, 968, 1129, 1133); ter II, III (493, 515, 523); semel III, IV (489); semel II, IV (935). I. s. 10 casus (1%); n. pr. nulla.

Electra': quater II, III (410, 794, 826, 887); semel III, IV (52); semel I, II (50); bis I, IV (13, 600). I. s. 8 casus (0,9%); n. pr. 3 (13, 410, 887).

Helena': octies I, III (456, 720, 751, 958, 1016, 1043, 1168, 1264); sexies II, III (289, 392, 480, 1059, 1103, 1247); semel III, IV (570); semel I, II (711); quinquies I, IV (65, 87, 722, 776, 1536); quinquies II, IV (825, 871, 886, 966, 1384); semel II, V (991). I. s. 27 casus (2%), n. pr. 7.

Iphigenia Taurica': sexies I, III (29, 79, 499, 1037, 1085, 1183); quater II, III (307, 914, 953, 1027); quater III, IV (20, 107, 566, 949); semel I, IV (1452); semel II, IV (545). I. s. 16 casus (1,5%), n. pr. 2 (29, 914).

Ion': semel I, III (1334); sexies II, III (46, 259, 365, 1182, 1339, 1389); semel III, IV (1163); bis I, IV (800, 1586); bis II, IV (825, 972). I. s. 12 casus (1,1%), n. pr. (1163, 1586).

Phoenissae': novies I, III (368, 390, 398, 539, 545, 751, 779, 1390, 1400); quater II, III (414, 538, 918, 1601); octies III, IV (477, 493, 553, 584, 1369, 1415, 1669, 1702);

25. Sequitur ut eodem ordine quo antea conservato (cf. § 7 et 15) liberi stili solutiones in singulos pedes dispartiamus

	I	II	III	IV	V
Tro.	30	30	99 (57%)	13	2
Herc.	26	38	108 (55 »)	21	3
El.	19	26	93 (57 »)	23	1
Hel.	52	64	195 (52 »)	54	7
IT	45	28	142 (58 »)	27	1
Ion	46	52	129 (50 »)	28	3
Phoen.	68	44	160 (46 »)	77	2

Servatur igitur adhuc secunda nostra lex, quae erat de tertiae arseos praevalentia; nec poterat sane obsolescere caesurae semiquinariae frequentia servata. Vides tamen jam ad occasum eam vergere; praesertim in liberiore agmine, ubi sola Iph. Taur. ad medii agminis severitatem assurgit. In Phoenissis vero, quae aetate liberrimum agmen attingit, infra dimidium jam cecidit solutionum ejus numerus, et perget cadere, ut quinto capite visuri sumus, in ultimae aetatis fabulis.

26. Haec brevibus sane absolvi poterant; diutius nos detinebunt eae leges, quae sunt de singulis pedibus. Solito igitur more apponemus tabulam de primo et quarto pede compositam (cf. § 8 cum 9 et 16).

	Summae Tribri.			Dactyli		Summae Tribrachi		Anapaesti
Tro.	30	14	16 (53%)	13	9	4 (31%)		
Herc.	26	11	15 (57 »)	21	17	4 (19 »)		
El.	19	8	11 (58 »)	23	16	7 (30 »)		
Hel.	52	22	30 (58 »)	54	32	22 (40 »)		
IT	45	17	28 (62 »)	27	17	10 (37 »)		
Ion	46	22	24 (52 »)	28	24	4 (14 »)		
Phoen.	68	34	35 (51 »)	77	30	47 (61 »)		

Non inconsulto in hac tabula gravioribus formis centesimarum modulos apposui, quibus hucusque usus non

semel III, V (509); semel I, II (747); septies I, IV (56, 76, 1314, 1422, 1629, 1647, 1697); semel II, IV (486). I, s. 31 casus (2,6%), n. pr. 7 (56, 76, 1390, 1415, 1422, 1629, 1702).

Summa summarum 119 versus amplectitur, qui numerus ad universum trimetrorum numerum (7378) relatus 1,6% efficit modulum; quem si cum severioris (0,2%) et semiseveri (0,4%) modulis contulerimus, mirifice auctam inveniemus binarum arsium solvendarum libertatem. Tertiae arsis participatio, quae in semisevero stilo obligatoria erat, hic ad meram praevalentiam delapsa est, ut rursus eandem polytypiam atque in severiore stilo habeamus; tamen notandum est ceterarum praeter III arsium solutarum combinationem cum per se rariorem esse (33 casus), tum saepius aut nominum propriorum usu (10 c.), aut ἦδει vel rhetorica configuratione excusari. Atque hos quidem ultimos versus solos exscribere placet:

- Tro. 1170 μακάριος ἦσδ' ἄν, εἴ τι τῶνδε μακάριον
 Herc. 935 ἔλεξε δ' ἅμα γέλῳτι παραπεπληγμένῳ
 Ion. 800 ὄνομα δὲ ποῖον αὐτὸν ὀνομάζει πατήρ;
 » 825 κᾶσδ' ὁ θεὸς οὐκ ἐψεύσασδ', ὅδε δ' ἐψεύσατο.

Sed haec in transcurso tantum moneo; ceterum etiam in tertiae arseos pondere neglegendo post semiseveri temporis religionem securitas quaedam poetae animum invasisse videtur.

Quid quod in hoc libero stilo inde ab *Electra* etiam ternarum solutionum usus incipit? Nec tamen ita, ut cum certo ἦδει conjungi videatur; immo assuefactae jam sunt hominum aures solvendis arsiibus, et apud *Ἀνάγκης* oblitus solus dominatur *Ἔρωσ*. Versus autem hi sunt:

- El. 61 ἐξέβαλέ μ' οἴκων, χάριτα τιθεμένη πόσει (I, III, IV)
 Hel. 390 πρὶν τὸν ἐμὸν Ἀτρεά πατέρα γεννηῆσαι ποτε (I, II, III)
 IT 918 ὁ δ' ἐστὶ γ' Ἀτρώεω θυγατρός, ὁμογενῆς ἐμός (II, III, IV)
 » 1392 λιμένος ἐχώρει στόμα, διαπερῶσα δέ (I, III, IV)
 Ion 1143 πρῶτον μὲν ὀρόφῳ πτέρυγα περιβάλλει πέπλων
 (II, III, IV).

eram. Vidimus enim in severiore stilo omnino graviore formas exclusas esse, solos inveniri tribrachos: in semi-severo mitigatur lex, passim insperguntur graviore formae, nec tamen ita, ut unquam tribrachorum numerum superent. Hic demum — ut de primo pede agamus — in dactylorum lancem transit superabundans pondus, idque tam constanter, ut jam nunquam tribrachi residant. Similis etsi minus acris est quarti pedis evolutio; quo fit, ut illa de qua § 9 diximus trimetri modulatio evanescat in ejusque locum decolor quaedam aequabilitas succedat.

Decolorne tandem? Credo nos multa in hac re fugere et omnino difficiliore esse libertatis quam disciplinae leges; quare ne reviviscat illa de senioris poetae negligentia cantilena, mittamus obscura et ad ea, quae manifesta sunt, revertamur.

De primo agendum erat pede et de lege tertia; ejus posteriore forma (III b, cf. § 16) distinguebantur:

- a) integri tribrachi: *πατέρα*. Praevalebant;
- b) tribrachi initiales: *διάδοχος*. Vitabantur;
- c) tribrachi fracti: *τὸ δὲ πλέον*. Vitabantur;
- d) dactyli fracti: *ὦ πάτερ, ὦ Δύγατερ*. Admittebantur;
- e) dactyli integri: *μητέρα*. Vitabantur.

Quibus praemonitis nostrum agmen perlustremus.

Troades' 1) in tribrachis. Ex 14 numero 11 sunt praevalentis typi *a*, sed 3 typi *b*: 614 *ἀγόμεδα*, 943 *ὄνοματι*, 1170 *μακάριος*.

2) in dactylis (16). 9 admissi typi *d*: 757 *ὦ νέον*, 1016 *ὦ Δύγατερ*, 1277 *ὦ μεγάλα*, 476 *οὐκ ἀριθμὸν*, 747 *οὐ σφάγιον*, 426 *οἱ περί*, 979 *ἦ γάμον*, 1285 *ἀλλ' ἄγετε*, 368 *οἱ διά*, sed 4 typi *e*: 351 *εἰσφέρετε*, 415 *μαϊνάδος*, 520 *μηδὲνα*, 653 *οἴκοθεν*, quibus addenda tria nomina propria: 233, 625 *Ταλθύβιος*, 960 *Δηίφοβος* — quae in tribrachis rara esse nemo mirabitur.

Hercules' 1) in tribrachis (11). 9 typi *a*, 1—*b*: 1133 *ἀπόλεμον*, et 1—*c*: 1134 *τί πόλεμον*.

2) in dactylis (15). 8 typi *d*: 88 *ὦ Δύγατερ*, 1129 *τὴν*

θεόν, 1292 αἱ μεταβολαί, 1168 ἐς πόλεμον, 285 μὴ πυρί, 547 μὴ ποτε, 460 ἢ πολὺ, 590 οἱ στάσιν, et 7 typi e: 1090 αἰ-δέρι, 1174 ὕστερος, 1333 τίμιον, 1346 οὐδένος, 924 ἐξέβαλεν, 345 τάλλότρια, 1310 Ἑλλάδος.

Electra' 1) in tribrachis (8). Omnes typi a.

2) in dactylis (11). 3 typi d: 433 ὦ θύγατερ, 234 οὐχ ἓνα, 506 καὶ πατέρα, et 8 typi e: 15 ἄρσενα, 48 ἄθλιον, 533 κερκίδος, 600. 1278 μητέρα, 1090 τάλλότρια, 580 οὐδέποτε, 5. Ἄρτεμιν.

Helena' 1) in tribrachis (22). 13 typi a, 6 typi b: 498 ὀνόματι, 987. 1016 ἀθάνατον, 1043 ἀδύνατον, 1555 ἐδέμεθα, 1560 ἐκάλεσεν et 2 typi c: 43 τὸ δ' ὄνομα, 502 ὃς ὄνομ', praeterea 1 nomen proprium 1168 Θεοκλύμενος, quod hic pro pentasyllabo est correpta secunda.

2) in dactylis (30). 16 typi d: 566 ὦ χρόνιος, 711 ὦ θύγατερ, 962 ὦ γέρον, 1250 ὦ ξένη, 720 οὐκ ἄρα, 802 οὐδ' ἄρα, 813 εἰς ἄπορον, 1092 ἢ πατριδα, 20 ὃς δόλιον, 456 τί βλέφαρα, 722 νῦν ἀνανεοῦμαι, 390 πρὶν τὸν ἐμόν, 975 εἰ δ' ἐμέ, 1675 τῶν δ' ἀναρρημάτων, 1220 ὦ Πρίαμε, 751 οὐδ' Ἑλενος, et 14 typi e: 958 ἄθλιος, 1264 ἄξια, 1445 ἤξομεν, 1585 πόντιε, 1586 σώσατε, 1604 δείξατε, 444 μηδένα, 588 τοῦνομα, 719 αὐτόματα, 908 τάλλότρια, 1209 οἰκτρόταδ', 1536 πηδάλια, 409 ἐξέπεσον, praeterea 9. 1643 Θεοκλύμενον, -ε, quod hic quadrisyllabum efficit contractis prima et secunda.

Iphig. Taurica' 1) in tribrachis (17). 13 typi a, 1 typi b: 276 ἐγέλασεν, et 3 typi c: 477 ἐς ἀφανές, 1072 τί φάτε, 1157 τί τόδε.

2) in dactylis (28). 11 typi d: 1183 τὸν μόνον, 1189 τὸν νόμον, 1037. 1163 οὐ καθαρὸν, -α, 248 οὐδ' ὄνομα, 480 ὡς διὰ, 703 καὶ δάκρυ, 1185 καὶ πατέρα, 1309 πῶς ἔλεγον, 626 πῦρ ἱερόν, 499 σοὶ δ' ὄνομα, et 17 typi e: 70, 715, 1173 μητέρα, 271 δέσποτα, 391. 588 οὐδένα, 752 μήποτε, 1085 οὐκέτι, 696 κτησάμενος, 986 οὐράνιον, 1166 αὐτόματον; 29, 36, 748, 784 Ἄρτεμις, -ιν; 9, 244, 1013 Ἀρτέμιδι.

Ion' 1) in tribrachis (22). 16 typi a et 6 typi c: 244, 429 τί ποτε; 1343, 1537 ὁ θεός, 976 τὰ δυνατά, 1274 τὸν ἱερόν.

2) in dactylis (24). 17 typi *d*: 247 ὦ ξένη, 410 ὦ πότνια; 735, 935, 942 ὦ θύγατερ, 1425 ὦ χρόνιον, 1354 ὦ μακαρίων, 1512 ὦ μεταβαλοῦσα, 1419 οὐ τέλειον, 305 οὐδ' ἔτεκες, 1543 οὐτ' ὄνομα, 667 ἦ θάνατον, 1522 καὶ περικαλίφας, 1288 ἀλλ' ἐγενόμεσθα, 403 μῶν χρόνιος, 1529 καὶ τὸ γένος, 1335 μὴ σύ γε, et 7 typi *e*: 1515 μητέρα, 1351 ἐνθάδε, 855 τοῦνομα, 1255 ἀξύνετον; 12 Παλλάδος, 1147 Οὐρανός, 1199 Ἥλιος.

Phoenissae' 1) in tribrachis (34). 13 typi *a*, 18 typi *b*: 570 ἀσύνετα, 932 ἐγένετο, 1693 προσάγαγε; 56, 77, 529, 648, 865, 1073, 1492, 1646, 1697, 1223, 1372, 1390, 1587, 1252 Ἐτεοκλῆς cum casibus, 1157 Περικλύμενος, et 3 typi *e*: 952 τὸν ἕτερον, 401 ποτὲ μὲν, 390 τίς ὁ τρόπος.

2) in dactylis (35). 19 typi *d*: 40 ὦ ξένη, 1699 ὦ πάτερ, 1701 ὦ φίλα; 1272, 1683 ὦ θύγατερ, 919 οὐκ ἔκλυον, 407 οὐδ' ὀνομάσαι, 356 καὶ φιλότεκνον, 1619 ἀλλ' ἔτι, 539 τῷ πλέονι, 843 πρὸς πατέρα, 1268 ἐς θάνατον, 502 πλὴν ὀνομάσαι, 839 οὐς ἔλαβον, 14 ἦν χρόνια, 1403 ἦν κάμακος, 44 παῖς πατέρα; 398 οὐδ' ὁ χρόνος, 1400 ἐς δ' ἄπορον, et 16 typi *e*: 984 πόμπιμος, 1179 κλίμακος; 1314 τοῦνομα, 776 μήποτε, 887 μηδένα; 456 Γοργόνος, 3 Ἥλιε, 758, 1588 Αἰμόνος, -ι; 58 ὠνόμασε, 368 γυμνάσια, 545 κούδτερον, 747 ἀμφοτέρον, 779 ἐκφέρετε, 1630 ἐκβάλετ; 1113 Ὠγγία.

Non abs re erit hunc catalogum tabellâ epitomari:

	Summae	Tribrachorum			Dactylorum			
		Summae	<i>a</i>	<i>b</i>	<i>c</i>	Summae	<i>d</i>	<i>e</i>
Tro.	30(27)	14	11	3	—	16(13)	9	7(4)
Herc.	26(25)	11	9	1	1	15(14)	8	7(6)
El.	19(18)	8	8	—	—	11(10)	3	8(7)
Hcl.	52(49)	22(21)	13	7(6)	2	31(29)	16	15(13)
IT	45(38)	17	13	1	3	29(22)	11	18(11)
Ion	46(45)	20	14	—	6	24(23)	17	7(6)
Phoen.	68(50)	34(19)	13	18(3)	3	35(32)	19	16(13)

Uncis eos numeros inclusi, qui subtractis nominibus propriis efficiuntur; quae res Iph. Tauricae', sed multo magis 'Phoenissarum' conditionem immutat.

Quodsi mente tenebit lector typos *a* et *d* legitimos esse, *b*, *c* et *e* illegitimos, non invitus incrementum posterioris sectae maxime in ‚liberiores‘ agmine animadvertet, quod propterea linea a ‚medio‘ discrevi. Nec tamen, quod etiam in aliis monendum erat, plane aequabile est hoc incrementum; ut in tabula § 5 collocata ‚Iph. Taurica‘, ita hic ‚Ion‘ modicae severitatis reipristinationem ostendit.

Sed ne hic quidem omnia in statistica et in analysi quantitativa posita sunt; equidem neque mihi peperci, cum catalogum meum minime genialem componerem, neque lectori plane parcere possum. Feci, quod potui, ut faciliorem redderem intellectum: singulos casus non versuum, sed systematico ordine enumeravi, a levioribus incipiens et sensim ad graviores progrediens. Sic in dactylis typi *d* leviores aestimantur ei, quorum monosyllabum initiale voce formatur (sensum si spectas) proclitica, cujus generis exemplum, licet unicum, jam in severiore stilo habuimus Alc. 802 οὐ βίος; ut autem maxime sui juris est monosyllabum, ita maxime vitatur. In semisevero agmine maximam licentiam repraesentabat Sspl. 263 ὃς Πελοπος, monosyllabum pronomine relativo formatum. Nunc autem jam superatus est hic gradus; relativa jam in ‚medio‘ agmine habemus (Tro. 368 οἱ διά, Herc. οἱ σπάνιν, ibidemque etiam ἀλλ', μή et ἦ) sola ‚Electra‘, ut alias, archaissantem, in ‚liberiores‘ autem etiam graviora accedunt — in ‚Helena‘ πρίν et νῦν, in ‚Iph. Taurica‘ σοὶ δ', πῶς, quin etiam πῦρ, tum, recrudescente, severitate in ‚Ione‘, habemus in ‚Phoenissis‘ ἦν atque adeo παῖς. Auctam hanc licentiam inveniemus in liberissimo agmine.

27. Pergimus ad quartum pedem; tabulam cum ipsam quoque superiore § dederimus, hic singula monenda erunt.

‚Troades‘ in eo severitatem ostendunt severiorem stylum aequiperantem, cum unici 4 anapaesti omnes nominibus propriis efficiantur (44, 248, 358 Ἀγαμέμνων, 989

Ἀφροδίτη). In fractis tamen tribrachis admittendis semiseveri stili libertatem exhibent (758 διὰ κενῆς, 937 ἐπὶ κάρᾳ, 1128 ὁ Πελείου), quem tempore attingunt.

Hercules' 1) in tribrachis (17). Omnes fere severi, duo tamen fracti, 1003 ἐπὶ λόφῳ et 1317 διὰ τυραννίδος; praecipue vero notandus 543 ἐπτάπυλον ἔχει, de quo ad legem de solutionibus initialibus agendum erit.

2) in anapaestis. Sunt quattuor neque ei nominibus propriis effecti: 489 ἀποδοίην, 1140 περιβάλλει, 1224 ἀπολαύειν, 1370 ἀπόλαυσιν.

Electra' 1) in tribrachis (16). Fracti 6: 4, 571 τὸν Ἀγαμέμνονος, 361 παρὰ φίλου, 1123 τί μ' ἐκάλεις, 13. 806 Τυνδαρίδα κόρην s. δάμαρτ' ejusdem typi atque ille Herc. 543.

2) in anapaestis. Sunt 7, in eis 3 nomina propria: 12 βασιλεύει, 302 ικετεύω, 91 ἀποδώσω, 335 ὁ τ' ἐκείνον; 3 Ἀγαμέμνων, 497 Διονύσου, 1240 Πολυδεύκης.

Helena' 1) in tribrachis (32). Fracti 9: 1041 τίνα φυγὴν, 490 ὄνομ' ἔχων, 613 πατέρ' ἐς οὐρανόν, 87 ὁ δὲ φόβος, 1559 ὁ δ' Ἑλένης, 923 τὰ δὲ δίαια, 491 ὁ γε κατ' οὐρανόν, 822 ὁ τι δὲ δρᾶ, 849 διὰ δέ.

2) in anapaestis (22). Integri 19: 65 διασώσῃ, 144, 459, 526 βασιλείους, -οις, 397 ἀριθμῆσαι; 465, 1143 ὀνομάζεις, -ω, 722 ὑμεναίους, 871, 913, 916, 965, 974, 1010 ἀποδοῦναι, -σαι et c., 886 ἀνοήτοις, 938 πολυχρύσους, 825, 981 ικετεύοντε, 907 ἀναπληρούμενος. Fracti 3: 87 ὁ δὲ φύσας, 138 δύο δ' ἔστων, 1404 ἐντάφια δοῦναι, quorum ultimus, ictum si spectas, ejus est similis, quem Herc. 543 notavimus.

Iphig. Taurica' 1) in tribrachis (17). Fracti 3: 372 διὰ καλυμμάτων, 1487 τὸν Ἀγαμέμνονος, 566 ἄ-χαριν ἀπώλετο, ultimus ipse quoque Herc. 543 similis.

2) in anapaestis (10). Omnes integri, tres tamen in nominibus propriis: 30 ἐνιαυτός, 1070 διακλύζει, 750 ἀδικοίης, 764 ἀφανισθῆ, 818 ἀνεδέξω, 981 πολυκώπῳ, 1452 ὀνομάζει; 11, 545, 561 Ἀγαμέμνων.

Ion' 1) in tribrachis (24). Fracti 5: 733 πατέρ' ἐμόν,

831 ὅτι *συνήντετο*, 1594 ὄνομ' ἐπώνυμος; 1132 ὁ δὲ *νεανίας*; 607 ἄλλο-τριον ἔπηλος, ultimus typi Herc. 543. In integris tamen notandus est 54 *χρυσο-φύλακα*.

2) In anapaestis (4). Integri 3: 800 ὀνομάζει, 1143 περιβάλλει; 1126 *Διονύσου*. Fractus 1: 825 ὁδε δ' ἐψεύσατο, idque abnormiter.

(*Phoenissae*' 1) in tribrachis (30). Fracti 8: 55 δύο μὲν, 478. 486 ἀνὰ μέρος, 553 ὄνομ' ἔχει, 124 τίς ὀνομάζεται, 1647 ὃς ἐπίθου, 1015 ὃ τι δύναίτο, 471 ὁ δ' ἄδικος.

2) in anapaestis. Sunt quidem 47, sed ex hoc ingenti numero segregandi sunt 23 nomen efficientes *Πολυνείκης* (56, 72, 76, 112, 158, 465, 568, 575; 702, 775, 1083, 1123, 1227; 1236, 1364, 1397, 1415, 1422, 1443, 1463, 1629, 1697, 1702); 7 *Ἰοκάστη* (444, 691, 987, 1068, 1318, 1352, 1665) et 3 *Ἀταλάντη*; quibus exclusis soli remanent 14. Ex his 13 integri: 26 *διαπείρας*, 453 *ἀνούουσι*, 477 *ἐνιαυτοῦ*, 503 *ἀποκρύψας*, 567 *φλότιμος*, 730 *ἀναχωρεῖν*, 1205 *ἀπολαῦσαι*, 1252 *παραδώσω*, 1314 *ἀνιαρόν*, 1321 *ἀγαπάζων*, 1453 *περιβάλλει*, 1669 *τελαμώνας*, 1686 *θεραπεύσει*; fractus 79 *ἐπτάπυλα τείχη* Herc. 543.

Finita hac fastidiosa enumeratione ad rei summam veniamus; juvabit enim quarti pedis in libero agmine conditionem non tam cum stricta severioris, sed cum relaxata semiseveri agminis disciplina comparare. Nec de tribrachis loquor; quamquam etiam hic utile erit adnotare, fractos, quorum in semisevero agmine duo exempla enotavimus, hic multo numerosiores esse factos. Sed vide sis anapaestos, in severiore agmine omnino non admissos, in semisevero paulatim emergentes. Ibi enim videri poterant, ut in primo pede dactyli, ita in quarto anapaesti fracti integris primatum erepturi, quorum unum apparuerat Hec. 276 *ικετεύω* exemplum. Atqui aliter atque expectandum erat evenit; illud *ικετεύω* enim in hoc libero stilo totam fere aream occupavit, nam exclusis nominibus propriis 48 casus praebet, 6 solis fracto typo relictis. Illud quoque monendum est, hunc integrum anapaestum nunquam vo-

cabulum anapaesticum explere — quod si unquam fecisset, continuo canon Porsonianus violatus esset — semper fere ionicum quadrisyllabum incohare, plane raro, ut par est, polysyllabum ionico longius.

Adjungatur etiam hic rei facilitandae causa tabula:

	Summae	Tibrachi			Anapaesti		
		Summae	Integri	Fracti	Summae	Integri	Fracti
Tro.	13 (9)	9	6	3	4 (0)	4 (0)	0
Herc.	21	17	14	3	4	4	0
El.	23 (20)	16	10	6	7 (4)	6 (3)	1
Hcl.	54	32	23	9	22	19	3
IT	27 (24)	17	14	3	10 (7)	10 (7)	0
Ion	28 (27)	24	19	5	4 (3)	3 (2)	1
Phoen.	77 (44)	30	22	8	47 (14)	46 (13)	1

Et nunc solvitur aenigma, quod nobis tabula proposuerat initio § 26 expressa. Cujus si quis ultimam columnam diligentius perquisiverit, eam dico, quae anapaestorum modulos continet, fieri non potest, quin miretur in Phoenissis hunc modulum, qui usque eo 40%, non excedebat, raptim ad 61%, crevisse, ut in hac sola tragoedia resideret anapaestorum lanx ceteroquin tibrachis levior. Sed enim hic superabundans anapaestorum numerus, 77, nominibus propriis 33 adjunctis efficiebatur; quae si excluderis, jam ad 32%, reducetur modulus noster normamque servabit.

Utut est, plane jam obsolevisse vides legem V nostram, quam § 9 severiori stilo accomodavimus; placebit igitur ei subrogare

Vb. Legem de quarto pede. Praeter tibrachos, integros plerosque, admittuntur etiam, sed non amplius quam ex 40%; anapaesti, integri tamen fere semper et ipsi et vocabulum ionicum incohantes.

28. Sed nos dum quartum pedem primo, cui respon-

dere videtur, adjungere properamus, omisimus quintum, qui et ipse novae aetatis libertate haud mediocriter abusus est. Cum enim neque in severiore (§ 9) neque in semisevero stilo (§ 17) arsin suam solvi passus sit, hic plures in singulas tragoedias, in summa autem 22 solutiones admittit, quas hic una cum versuum clausulis percensere placet:

	Tro.	996	<i>ικανά σοι τὰ Μενέλεω</i>
	»	1170	<i>εἶ τι τῶνδε μακάριον</i>
	Herc.	76	<i>ἐγὼ δὲ διαφέρω</i>
	»	182	<i>ὦ κάκιστε βασιλέων</i>
5)	»	635	<i>χρήμασιν δὲ διάφοροι</i>
	El.	616	<i>δεξιαῖς τε δορυφόρων</i>
	Hcl.	123	<i>σὺν δάμαρτι Μενελεως</i>
	»	511	<i>αὐτὸν ὄντα βασιλέα</i>
	»	888	<i>ἐνθάδ' ὄντα διολέσω</i>
10)	»	991	<i>εἰς τὸ Δῆλυ τρεπόμενος</i>
	»	1036	<i>προσπόλοισι βασιλέως</i>
	»	1054	<i>πρὸς τὸν ἀνόσιον</i>
	»	1066	<i>τοὺς θανόντας ἐναλίους</i>
	»	1546	<i>ἢδ' ἀπόντα κενοταφεῖ</i>
15)	IT	23	<i>εἰς ἔμ' ἀναφέρων</i>
	»	985	<i>πάντα καὶ τὰ Πελοπιδῶν</i>
	Ion	616	<i>φαρμάκων τε θανασιμῶν</i>
	»	1001	<i>Παλλὰς ὄντι νεογόνῳ</i>
	»	1541	<i>τοῦ θεοῦ δὲ λεγόμενος</i>
20)	Phoen.	494	<i>μητρ, οὐχὶ περιπλοκάς</i>
	»	509	<i>τὸ πλεόν ὅστις ἀπολέσας</i>
	»	1078	<i>πῶς ἔχουσι περιβολαί.</i>

Hae sunt in agmine nostro quintae arseos solutiones, qua admissa, et quidem in omnibus tragoediis, satis diserte hujus agminis libertas a mitigata prioris severitate discernitur. Ne quis enim de negligentia loquatur, aspiciat, ut de obligatoria quintae theseos, quae omnibus nota est, correptione taceam, ultimum verbum semper, nullo loco

excepto, paeonico quadrisyllabo formatum; aspiciat etiam levissimam hujus quadrisyllabi structuram nusquam positione impeditam, uno excepto ultimae fabulae loco Phoen. 494 -- fatebitur etiam hoc tempore tenuissimas remansisse poetae aures, artis tantum leges mutatas esse.

Restat ut legem nostram — quarta autem erat — ad novas condiciones accomodemus:

IVb. **Lex de quinto pede.** Quinta arsis solutionem patitur, eis tamen conditionibus, 1) ut id non saepe fiat, 2) ut soluta arsis cum sexto pede integrum quadrisyllabum efficiat, 3) ne praecedens thesis producat, 4) ne quadrisyllabi vocales binae consonae dirimant.

29. Transimus ad medios pedes. Tabulam ad eos pertinentem ex more apponemus, in commentariis non diu moraturi.

	II			III		
	Summae	Tribrachi	Anapaesti	Summae	Tribrachi	Dactyli
Tro.	30	7	23	99	26	73
Herc.	38	19	19	108	25	83
El.	26	4	22	93	16	77
Hel.	64	18	46	195	55	140
IT	28	11	17	142	39	103
Ion	52	18	34	129	40	88
Phoen.	45	12	33	162	44	118

In summa 89 leves typi 194 gravibus respondententes in secundo et 245 leves 682 gravibus in tertio pede; hae fere eadem sunt proportiones 1:2 et 2:3, quae jam in agmine et severiore et semisevero notandae erant. Constitit sibi igitur hucusque dumtaxat poeta.

Sed quaestionem de his mediis pedibus cum quaestione de caesura conjunctam esse vidimus, scilicet secundo soluto inclinationem, tertio vero etiam necessitatem ser-

vandae semiquinariae. Inclinatio illa in severiore agmine tanta fuit, ut in 27 casibus unam solam exceptionem pateretur; in semisevero non multum imminuta est, quippe in 62 casibus 4 exceptiones ostendente. Nunc vero crescente libertate etiam exceptionum numerus crevit; habemus eas: Tro. 425, 446; Herc. 10, 716, 935; El. 332, 504, 855; Hel. 265, 564, 858, 909; IT 4, 331, 367, 385; Ion 382, 661, 802, 851, 996, 1359, 1588; Phoen. 12, 289, 290, 399, 747, 840, 1117, 1392, 1394, quae sunt in 233 casibus 32 exceptiones, sive 11% contra 6% in semisevero agmine. Pulcra etiam incrementi gradatio est — Tro. 2, Herc. 3, El. 3, Hel. 4, IT 4, Ion 7, Phoen. 9 — plane recepto a me ordine respondens. Caesura fere semper semiseptenaria est, quater tantum pseudomedia (El. 332 *ικετεύω σ*, 504 *διὰ χρόνου σ*, Ion 1359 *ἀκέλευστόν μ*, Phoen. 1392 *Πολυείκης δ*), hoc est eadem semiseptenaria elisione offuscata.

Necessitas vero tertia arsi soluta semiquinariam servandi ex lege de solutionibus initialibus sequebatur; qua abrogata etiam ipsam imminui consentaneum erat. Nec tamen continuo; in nostro enim agmine duae solae nobis occurrunt exceptiones hae:

Hel. 753 *τί ὄητα μαντενόμεδα; τοῖς θεοῖσι χρή*
 » 767 *τὰ Ναυπλίου τ' Εὐβοϊκὰ πυρπολήματα.*

30. Haec ipsa lex de solutionibus initialibus nobis nunc accuratius inspicienda est.

Ea in severiore agmine eam satis miram perpressa est exceptionem, vocem scilicet tribrachicam *πατέρα* bis in sola *Medea* secunda percussa usurpatam (§ 11). Per longum tempus haec exceptio quievit; contra in semisevero agmine nova exorta est, bis et ipsa in sola *Hecuba*, paeonis quarti *Ταλθύβιος, τάλλότρια* tertia percussa (§ 19). Videamus nunc de nostro.

Ut a simplicissimis ordiamur, tribrachys secunda percussa in *Medea* praelibatus in *Electra* demum apparet idque denuo, quod mirum sit, in eadem voce:

- 970 ὡς περ πατέρα σὸν ἦδε κάμὸν ὤλεσεν (II)
 a qua in Iph. demum Taurica emancipatur
 385 οὐκ ἔσθ' ὥπως ἔτεκεν ἂν ἡ Διὸς δάμαρ (III)
 566 κακῆς γυναικὸς χάριν ἄχαριν ἀπώλετο (IV)
 postea obmutescit.

Dactyli secunda percussa quod nullum exemplum invenitur casui dandum existimo; licet enim propter thesin productam imparibus pedibus affixus sit, ex quibus primus hic extra quaestionem est, quintus autem legis, quae est de eo, conditionibus 2 et 3 excluditur (§ 28) — tamen ut IT 385 et 566 in tertio pede tribrachys, ita etiam dactylus ibi stare potuit. Minores enim sunt numeri, quam ut certam rationem flagitare possimus.

Proceleusmaticus secunda percussa primum in Hercule invenitur, dein bis:

- Herc. 454 ὦ τέκν', ἀγόμεθα ζεύγος οὐ καλὸν νεκρῶν (II)
 5) Hel. 1016 ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσῶν (III)
 IT 545 Ἀτρώως ἐλέγετο δὴ τις Ἀγαμέμνων ἀναξ (II)

Ei respondens paeon quartus potest is quidem etiam secundam percussam exhibere

- Hel. 767 τὰ Ναυπλίου τ' Εὐβοικὰ πυρπολήματα (III)
 saepius tamen, quod jam Hecuba ostenderat, tertiam percuti patitur:

- Tro. 543 στάσει τὸ Κάδμου δ' ἐπτάπυλον ἔχει κράτος (IV)
 El. 13 ἄλοχον ἐκείνου Τυνδαρίδα κόρην ἔχων (IV)
 10) » 806 καὶ τὴν κατ' οἴκους Τυνδαρίδα δάμαρτ' ἐμήν (IV)
 Hel. 1404 αὐτὴν μολοῦσαν ἐντάφια δοῦναι νεκρῶν (IV)
 Ion. 607 ἐλθὼν ἐς οἶκον ἀλλότριον ἔπηλυσ ὦν (IV)
 Phoen. 79 ἐπ' αὐτὰ δ' ἐλθὼν ἐπτάπυλα τείχη τάδε (IV)

Qui cur quarto pedi affixus sit — nam uterque Hecubae locus ipse quoque quartae erat sedis — haud sane facile est responsu. Fingamus enim versus hos:

- ἀλλ' ἐντάφια τις αὖθις ἐν χεροῖν φέρων (II)
 ἀλλ' αὖθις ἐντάφια τις ἐν χεροῖν φέρων (III)
 ἀλλ' ἐν χεροῖν τις αὖθις ἐντάφια φέρων (V)

Eorum tertius sane legem de quinto pede violat (§ 28), primus tamen et secundus me quidem iudice culpa vacat. Sed fortasse hoc iudicii mei vitium est; constat utique paeonas quartos tertia percussa extra quartum pedem non usurpari.

Restat de quadrisyllabis — nam cetera, quae quidem in versum cadunt, legem non violant, — unus paeon primus, prima percussa frequentissimus, secunda in exemplis hisce

Tro.	504	πολλῶν γενομένων τὴν τάλαιναν ὠφελεί	(II)
15) »	704	ἐκ σοῦ γερόμενοι παῖδες Ἴλιον πάλιν	(II)
Herc.	493	ἢ πρὶν μακαρία διὰ σ' ἐκληζόμεν βροτοῖς	(II)
Hel.	148	ἐς γῆν ἐναλίαν Κύπρον, οὐ μ' ἐδέσπισεν	(II)
»	294	γάμους ἐλομένη τῶν κακῶν ὑπαλλαγὰς	(II)
»	869	στείβων ἀνοσίῳ, δὸς καθαρσίῳ πυρι	(II)
20) »	949	δειλοὶ γερόμενοι πλείστον αἰσχύνομεν ἄν	(II)
»	1211	Λιβύης ἀλιμένοις ἐκπεσόντα πρὸς πέτραις	(II)
Ion.	1005	τὸν μὲν Δανάσιμον, τὸν δ' ἀκεσφόρον νόσων	(II)
»	1576	παῖδες γερόμενοι τέσσαρες ρίζης μιᾶς	(II)
»	1582	παῖδες γερόμενοι σὺν χρόνῳ πεπρωμένη	(II)
25) Phoen.	443	καὶ μὴν Ἑτεοκλῆς ἐς διαλλαγὰς ὄδε	(II)
»	860	δορὸς Δαναϊδῶν καὶ μέγας Θήβαις ἀγών	(II)
»	1600	ἐπεὶ δ' ἐγερόμην, αὐθις ὁ σπείρας πατήρ	(II)
»	1611	ἀρὰς παραλαβὼν Λαῖου καὶ παισι δούς	(II)

Quibus accedit solus fractus, unum tamen vocabulum efficiens

Ion	931	τί φῆς; τίνα λόγον Λοξίου κατηγορεῖς	(II)
-----	-----	--------------------------------------	------

Et hic quidem omnium frequentissimus est, cum exemplorum fere dimidium exhibeat, 16. Cur autem secundo pedi affixus sit, facile est intellectu: impares enim longa ultima in parem thesin casura excluduntur, solus autem qui restat quartus canone Porsonianus.

Pauca quae restant pentesyllaba sub uno conspectu ponentur:

30) El.	1260	Ἀλφρόδιον ὅτ' ἔκταν ὠμόφρων Ἄρης	(II)
---------	------	----------------------------------	------

Ion	999	Ἐριχθόνιον οἶσθ', ἢ—τί δ' οὐ μέλλεις γέρον	(II)
Hel.	493	τοῦ καλλιδόνακος εἰσιν Εὐρώτα μόνον	(II)
IT	1284	ὦ ναοφύλακες βώμοί τ' ἐπιστάται	(II)
Hel.	753	τί δῆτα μαντενόμεδα; τοῖς θεοῖσι χρῆ	(III)
35) Ion	54	Δελφοί σφ' ἔθεντο χρυσοφύλακα τοῦ θεοῦ	(IV)
IT	1371	ὡς τῷ ξυνάπτειν καὶ συναποκαμῆν μέλη	(IV)

31. Ad legem nobis transeundum est, quae erat de positione debili, eodem quo § 12 et 20 modo tractandam. Exceptiones autem, quarum auctus est numerus, sub singularum tragoediarum lemmatis afferemus, partitione in I et II seriem, prout in priorem aut in posteriorem solutae arseos syllabam cadat positio, licet parum fructuosa retenta. Sedem tertiam utpote frequentissimam non signavimus.

Troades' 17 exc. I. (11): 688, 722 μέτριος, -α; 947, 1274 (II), 1283 (II) πατρίδα, -δος (II), -δι (II); 351, 608 (II), 698 δάκρυα; 989 Ἀφροδίτη (IV), 990 ἀφροσύνης, 292 πότνια.

II (6): 424 ὁ λάτρις (II), 12 ὀλέθριον (IV), 651 μελάθρων (II), 1186 ἄτεκνος, 476 ἀριθμόν (I), 1197 περιδρόμος (IV).

Hercules' (11). I (7): 345 τάλλοτρια (I), 620 πατρίδος, 709 μετρίως (II); 482 (II), 1356 δάκρυα, 489 ἄθροον, 619 ἐχρόνισ'.

II (4): 999: Δύρετρα, 523 μέλαθρον (II), 1164 ἐνοπλιο (II), 1118 ὑπογράφη.

Electra' (9). I (6): 769 πατρός, 1090 τάλλοτρια (I), 775 δίκροτον, 1289 Κεκροπίας, 487 πότνι, 1116 ἄγριον.

II (3): 1132: ἀριθμόν, 503 διάβροχον, 1073 διάγραφ'.

Helena' (19). I (16): 883 Κύπριδος (II); 273, 1025, 1092 πατρίδος (II), 596 πατρίδα, 390 Ἀτρεία (II), 958 τάλλοτρια (I), 1056 μέτρια (II); 456, 1189, 458, 1547, 951 δάκρυα, -σι; 1419, 991 δάκρυσι, -οις (II); 1168 Θεοκλύμενος (I).

II (3): 928 πολυχρύσους (IV), 907 ἀναπληρούμενος (IV), 776 περιδρομάς (IV).

Iphig. Taurica' (15). (I) 6: 290 πέτρινον (II); 495, 509, 511 πατρίδος, -ιδ', 918 Ἀτρείως (II), 703 δάκρυ (I).

II (9): 5, 563, 918 θυγατρός, 949 μονοτράπεζα (IV),

1061 φιλόφρον, 69 μέλαθρα, 107 διακλύζει (IV), 1162 νεοχμόν, 941 μεταδρομαῖς.

Ion' (9). (I) 8: 632, 635 (II) μέτρια, -ον; 940 δάκρυα, 1163, 296 Κέκροπα, -ίδαις; 936, 1571 Κεκροπίας (IV), 410 πότνια (I).

II (1): 653 γενέθλι'.

Phoenissae' (40). I (19): 7 Κύπριδος; 388, 477, 493, 969, 996, 488, 756, 1376 πατρίδος, -α; 918 πατρίδι (II), 855 Κεκροπίδας; 1262, 1370 δάκρυα; 1441 δακρύοις (II), 1663 κέκρικται (II), 919 ἔκκλον (I), 1124 Ποτνιαδες, 1157 Περικλύμενος (I), 1669 ἄγρια.

II (21): 368 ἐνετράφην, 751 διατριβή, 90 μελάθρων (II), 511 σὺν ὄπλοις (II), 779 πάνοπλα; 56, 73, 529, 698, 865, 1073, 1223, 1252, 1272, 1390, 1422, 1587, 1646, 1697 Ἐτεοκλῆς c. cas. (I) 1381 διάβροχος, 1391 ὑπόδρομον (II).

In summa 120 exceptiones, qui numerus ad universum solutionum numerum 1760 relatus 7% efficit modulum contra 5,3% in semisevero et 2,5% in severiore agmine; magis igitur aucta est positionum debilium copia quam pro solutionum numero. Ex hac universa summa rursus 73 in priorem, 47 in posteriorem syllabam cadunt, quo tamen certa prioris praevalentia efficitur, eaque eo maior, quod in Phoenissis' Ἐτεοκλῆς 14-es apprens rationem turbavit; quem si exceperis, ad 33 reducetur posterioris syllabae frequentia. In singulos pedes ita dispertiuntur exceptiones nostrae: in priore agmine 8 I, 19 II, 43 III et 3 IV, in posteriore 15 I, 7 II, 18 III et 7 IV, ubi tamen abnormis primi pedis numerus eidem Eteocli debetur primo pedi addicto et 14-es apparenti.

Sed longe fructuosior est analysis qualitativa. In severiore agmine enim solas habuimus levissimas conjunctiones, tenues dico et aspiratas cum ρ potissimum (πρ, κρ, θρ) semel cum μ (θμ) copulatas. Eadem erat semiseveri agminis conditio; nam quod τρ in illo aberat, casui tribuendum duco extande θρ, neque quidquam singulari χμ dederim singularem θμ absolventi. Nunc vero completa est aspiratarum series cum ρ junctarum accedente χρ et φρ —

ne id quidem presserim, cum adeo auctus sit universus positionum numerus. Gravius fortasse est, quod jam omnes liquidae in copulatione apparent, praeter ρ igitur etiam μ ($\delta\mu$, $\chi\mu$), cujus illic singularis erat usus, et ν ($\tau\nu$, $\kappa\nu$) et λ ($\kappa\lambda$, $\pi\lambda$, $\kappa\lambda$, $\delta\lambda$), quae nunc primum accedunt. Sed omnium gravissimum id est, quod nunc primum positio mediae cum ρ complosione formatur ($\beta\rho$, $\delta\rho$, $\gamma\rho$), id quod antea religiose vitabatur. Non sane multa sunt exempla — in catalogo ea diductis litteris imprimenda curavi — testificantur tamen assuefactis paulatim positioni corripiendae auribus si non evanuisse, attamen debilitatam esse pristinam illam leviorum graviorumque conjunctionum distinctionem.

32. Una remansit polysyllaborum quaestio, laboris illa quidem et fastidii plena, tamen haud scio an omnium fructuosissima; peto igitur a lectore, ut aequo animo catalogum meum accipiat, quem ego certe majore cum molestia composui quam ipse perlustraturus est. Est autem illorum continuatio, quibus § 13 severiorem et § 21 semi-severum stilum illustravi.

Troades: 368 (I), 498, 758 (IV), 916 *διά*; 426 (I), 496 (II) *περί*; 778, 1028 (II) *ἐπί*, 888 *κατά*; 924 *ὄδε*, 769 *ὄσα*, 875 *πάλιν*, 433 *δέκα*, 757 *νέον* (I); 466, 1184 *φίλα*; 26 *πόλιν*, 60 *πυρί*; 479, 868 *δορί*, 1158 *δορός*, 650 *πόσον*, 662 *πόσιν*, 940 *θεόν*, 979 *γάμον* (I), 1177 *φόνος*, 1265 *λόγος*; — 370 *ὁ σοφός*, 424 *ὁ λάτρις* (II), 1128 *ὁ Πελίου* (IV), 362 *τὸν ἐμόν*, 1232 *τὰ μὲν*, 618 *τὰ δέ*, 424 *τί ποτ'*, 1168 *πρὸ πόλεως*, 425 *ἐν ἀπέχθημα*; 690 *ὁ δ' ἐπί*, 1017 *σέ δ' ἐπί*. In summa 38 casus (4 I, 4 II, 28 III, 2 IV) = 21,8%.

Hercules: 103, 220 1317 (IV) *διά*, 180 *μετά*, 708, 1003 (IV) *ἐπί*, 935 *ἄμα* (II); 982 *ὄδε*, 1131 *τόδε*, 1181 *τίνες*, 1361, 1419 *ἐμέ*, 1417 *ὄτε*, 547 *ποτέ* (I), 1000, 1391 *ἐνί*, 194 *μίαν*; 460 *πολύ* (I), 64, 475, 1244 *μέγα*, -ας; 49 *δορός*, 285 *πυρί* (I), 321 *χάριν*, 464 *κράτος*, 1129 *θεόν* (I), 479 *βίον*, 590 *στάσιν* (I), 593 *πόλιν*, 978 *ποδός*, 1277 *κίνα*; — 506 *ὁ χρο-*

νος, 511 ὁ μέγας, 1243, 1339, 1345 ὁ Θεός (II), 1289 ὁ Διός (II), 967 ὁ δέ, 184, 841 τὸν ἐμόν (II), 1129 τὰ σά, 534 σὺ δέ, 551 σὲ δέ, 535 ἄ σε, 548 τίς ὄδε, 838 δι' Ἀχέροντος, 1231 ἐφ' ἐτέραισι, 965 τίς ὁ τρόπος; 973 ὁ δ' ὑπό, 106 τὸ δ' ἀπορεῖν, 338 τὸ δ' ὄνομα. — In s. 51 casus (5 I, 7 II, 40 III, 2 IV) = 26%.

Electra': 504 διά (II), 361 παρά (IV); 43, 1268 ὄδε, 651, 684 τάδε, 1045 ἐμέ, 908 τίνα, 242, 391 ὄτε, 318 ἔτι, 234 ἓνα (I), 1026 μίαν, 1063 δύο; 1084 μέγα, 940 βραχύν; 17 χερός, 366 πόσις, 409 τροφόν, 533 ποδί, 545 τάφον, 681 Φρύγας, 769 πατρός, 1048, 1094 φόνον, -ς, 1273 πόλιν, 817 λαβέ, — 41, 571 τὸν Ἀγαμέμνονος (IV), 506 τὸν ἐμόν, 355 τὰ δέ (IV), 1146 σὺ δέ, 353 τίν' ἀγορεύοντες, 561 τί δέ; 335 ὁ τ' ἐκ (IV). — In s. 35 casus (1 I, 1 II, 28 III, 5 IV) = 21%.

Helena': 304, 849 (IV), 978, 1041 διά; 255, 473, 946, 1041 (IV), 1266 τίνι, -α, -ας, 1247 ὄσα (II), 392 (II), 975 (I) ἐμέ, 1168 ὄδε, 1081 τότε, 57 ἔτι; 59 (II), 370, 1202, 1416 ἴνα, 581, 1406 ὄτι, 720, 802 ἄρα (I), 589 ἄλις, 412 μόλις, 1043 φέρε, 765 ἐνί, 267, 1524 μίαν, 138 δύο (IV), 114 δέκα; 268 βαρύ, 797 φίλα, 843 μέγαν, 1265 καλά; 100 ἔριν, 290, 1027, 1239, 1399 πόσις, 449, 1250 (I) ξένος, -ε, 751 μόλις, 962 γέρον (I), 1028 πάτερ, 1241 νόμος, 1377 δόρυ, 1449, 1528 πόδα, -ί, 1520 χθονός; — 260 ὁ βίος (II), 711 (II), 752, 903 (II) ὁ Θεός, 491 ὁ γε (IV), 1199 ὁ τε, 717, 844, 1534 ὁ δέ, 390 (I), 871 (II), 1371 τὸν ἐμόν, 952 τὸ καλόν, 1236 τὸ σόν, 577 τὸ δέ, 590, 923 (IV) τὰ δέ, 52, 609 δι' ἐμ', 822, 1254 ὁ τι, 92 τίν' ἄν, 293 τίν' ὑπολείπομαι, 826 τίν' ὑπάγεις, 157 τί γάρ, 1102 τί ποτ', 958 σὺ δέ; 1559 ὁ δ' Ἑλένης (IV), 1598 ὁ δ' ἀφελών. — In s. 79 casus (6 I, 7 III, 59 III, 7 IV) = 21,2%.

Iphig. Taurica': 29, 260, 355, 372 (IV), 480 (I), 988, 1085, 1352 διά, 25, 686 ἐπί, 33, 496 τότε, 587, 822, 1157 (I) τάδε, 1183 ἐμόν, 32, 734, 913 τίνα, -ος, 493 τότε, 920 ὄτε, 1458 ὄταν, 1165 πάλιν, 1065 μία, 919, 1183 (I) μόνος, -ον, 484 σοφόν, 914 φίλα 953 ἴσον; 370 πόσιν, 371 γάμον, 481 χρόνον, 566, 1444 χάριν, 595, 1088 πόλις, -ν, 915 (II), 974 βίον, 1040, 1179 βρέτας, 1159 πόδα, 1189 νόμον; 1072 φάτε (I); —

819 ὁ γάμος (II), 296 ὁ δέ, 803 τὸν ἐμόν, 1416. 1487 (IV) τὸν Ἀγαμέμνωνος, 1023 τὸ δέ, 1006 τὰ δέ, 556 ὃν ἔτεχ', 20. 768 (II) ὃ τι, 533 τί γάρ, 751 τί δέ, 615. 1310 σὺ δέ, 1069 σέ δέ, 991 σέ τε, 601 ἐπ' ὀλέθρῳ; — 334 ὁ δ' ἐσιδών, 1097 τὸ δ' ὄσκειν, 728 ἂ δ' ἐπί. — In s. 63 casus (5 I, 3 II, 53 III, 2 IV) = 25%.

Ion': 825 ὄδε (IV), 1030. 1342 τόδε, 1517 τάδε, 322. 347. 748. 1004. 1028 τίνα, -ι, -σιν, 831 ὅτι (IV), 950 ἴνα, 411 ἄτε (I), 744 ὅταν, 1347 τότε, 24 ὄθεν, 244. 429 ποτέ (I), 591 δύο, 742 βραδύ; 247 (I), 654. 813 ξένε. -ος, -ον, 828 χρόνον, 995 δέρος, 1011 φλεβός, 1337 χερός, 1343. 1537 θεός (I), 1399 βρέφος; 984 φέρε, 1348 λέγε; — 355. 401. 825. 1118. 1311 ὁ θεός (II), 1440 ὁ θεός, 643 ὁ νόμος, 983 ὁ φόνος (II), 1519 τὸ γένος (I), 952 ὁ κακός, 839 τὸ κακόν, 1186 ὁ νέος, 1276 ὁ σός, 613 τὰ σά, 960. 1017. 1132 (IV). 1182 ὁ δέ, 268. 1432 τὸ δέ, 978 τὸν ἐπί, 259 τί-σε, 931 τί -να λόγον (II), 1389 τί ποτε. 1335 σύ γε. — In s. 56 casus (7 I, 8 II, 38 III, 3 IV) = 21,8%.

Phoenissae': 384. 581. 755. 1389. 1457. 1593 διά, 395 παρά, 432 (II), 1645. 1699 ἐπί, 478. 486 ἀνά (IV), 881 περί, 1399 ἀπό; 1651 ὄδε, 277. 414. 977 τίνα, -ι, -ες, 1235 ἄλις, 1419. 1619 ἔτι, 55 (IV). 423. 559. 582. 1659 δύο; 499 καλόν, 1641 βαρύ, 1701 φίλα (I), 14 χρόνον (I), 40 ξένε (I), 46. 449. 993 πόλιν, 63 γένος, 431 χάριν, 545 φθόνον, 562 δόρυ, 835 πέδον, 846. 1616 πόδα, -ός, 1120 δέρος, 1129 λόχον, 1400 δορός, 1639 πάτερ, 1671 στόμα; — 390 ὁ τρόπος (I), 398 ὁ χρόνος (I), 414 ὁ θεός (II), 425 ὁ γάμος, 1655 τὸ μέρος, 405 τὸ γένος, 452 τὸ ταχύ, 509. 553 τὸ πλέον, 889 τὸ καλόν, 487 τὸν ἴσον, 544 τὸν ἐναύσιον, 30. 486 (II) τὸν ἐμόν, 1623 τὸ γάρ, 1684 σὺ δέ, 1647 ὃς ἐπίθου (IV), 1015 ὃ τι (IV), 849 τί με, 377 τί δέ, 408 τίν' ἐπινοίαν, 401 πο -τέ μὲν (I), 511 σὺν ὄπλοις (II), 534 ἐπ' ὀλέθρῳ, 1312 δι' Ἀχέρωντος, 538 γὰρ ἴσον; — 471 ὁ δ' ἀδικός (IV). — In s. 73 casus (6 I, 5 II, 56 III, 6 IV) = 21%.

In summa summarum 395 casus, qui ad universum solutionum numerum 1760 relati centesimalarum modulum

efficiunt 22,4%. Quem si cum severioris stili modulo 4% et semiseveri 13% comparaveris, videbis non mediocriter crevisse bisyllaborum et monosyllaborum in solutione collocandorum libertatem, ut etiam hic *Ἀνάγκης* imperio finis sit positus. Nec jam audeam de polysyllaborum lege loqui, ut quae exceptionibus modo non ex quadrante admissis paene abrogata sit; praevalentia tamen remanet non contemnenda. Notanda est etiam admirabilis constantia in exceptionibus admittendis, ut quarum modulus in septem tragoediis nostris vicinis admodum marginibus pressus inter 21% et 26% fluctuet; quam constantiam si cum semiseveri agminis saltibus comparaveris, videbis, quid majores numeri efficiant. Credo tamen te etiam tenuem poetae sensum agniturum esse, qui neglegentiae a plerisque arguitur.

Nec minus certa sunt criteria, quae nobis qualitativa analysis suppeditat. Jam vidimus initio sola fere leviora bisyllaba admissa fuisse, praepositiones, pronomina, conjunctiones, numeralia, exclusis et substantivis et adjectivis et verbis (nam *φέρει* conjunctionis loco est); quin in severiore agmine duo sola habuimus substantiva, in semisevero paulo plura, sed adeo pauca, ut ea litteris diductis insigniverim. Qua cum abstinentia confer nunc hanc adjectivorum et substantivorum turbam! Verba sola in vetitis remanent; praeter *φέρει* enim, de quo jam dictum est, levissima tantum obveniunt *λαβέ, φατέ, λέγε*, nunquam graviora, qualia sunt *τρέπε, τρέχε, λίπε* et cetera cohors.

Tum operae pretium est animadvertere, quantopere in monosyllabis usurpandis libertas creverit — ea in catalogo nostro a bisyllabis sejuncta secundam uniuscujusque tragoediae exemplorum partem efficiunt. Antea enim soli fere articulo locus erat vel *σύν* praepositioni, quippe quae facillime cum insequente vocabulo coalescant, elisio vero inter solutas syllabas religiose vitabatur — quod non abs re erit meminisse eis, quibus cordi est elisionis vis atque natura. Nunc vero largiore copia funduntur monosyllaba,

accidentibus pronominiibus ((τίς, ὅς, σὺ), ἐν, γὰρ, admissa elisione (δι', ἐπ', ὑπ', τίν'). Sed columnen libertatis est talis conglutinationis usus, qua terna vocabula in eadem arsi collocantur. Non sane multa sunt ejus rei exempla, sola 12; nec fallent ea lectorem, quippe in ipso catalogorum fine collocata. Antea inaudita erat haec libertas, nunc inde jam a Troadibus totum agmen obtinet, Ionē tamen excepto.

33. Examinatis singulis legibus finem faciamus toti de libero stilo disputationi principatum tabula proponenda ejus instar, qua § 22 semiseverum stilum clausimus. Iterum moneo primam columnam ad solutionum modulos spectare § 5 exhibitos, ceteras ad singulas leges.

		I	II	III	IV	V	VI	VII	VIII	IX	X	
415	Tro.	3	5	2	5	3	4	2	3	1	6	4
414?	Herc.	2	2	4	3	5	2	7	2	2	4	7
413	El.	1	1	3	2	1	3	1	1	3	3	3
412	Hel.	7	6	5	4	7	6	4	6	7	2	2
411?	IT	4	4	1	1	2	5	6	5	4	5	6
» ?	Ion	5	3	6	6	6	1	5	7	6	1	5
409	Phoen.	6	7	7	7	4	7	3	4	5	7	1

Omnibus conjunctis ordo deficientis severitatis efficitur hic. Longe primum locum occupat Electra' (22 puncta), sequuntur Troades' (38), tum Hercules' (40), Iph. T.' (43), Ion' (51), Helena' (56), Phoenissae' (58). Num igitur hic ordo pro vero chronologico habendus est? Minime: neque enim loco moveri possunt Electra' vel Helena' certissimis criteriis a. 413 et 412 vindicatae. Sed videmus bene nos fecisse, quod liberius agmen a medio secrevimus; haec enim distinctio ordine nostro comprobatur. Et gratia habenda est arcae criteriorum nostrorum virtuti, quae nos de intima Electrae' severitate docuerint; eam enim, licet a. 413 actam, conceptione tamen multo antiquiorem. et Andromaches' supparem fuisse alio libro docebo. Est etiam

in 'Helena' quaedam effrenatae libertatis ratio, de qua ipsa quoque videndum erit. Ceteroquin autem firma remanet ordinis nostri auctoritas; imprimis gavisus sum Ionem' inter 'Herculem' et 'Phoenissas' positum cum 'Iph. Taurica' consociari, quippe qui persuasum habeam has traegodias unius fuisse trilogiae.

CAPUT V.

De stili liberrimi solutionibus.

34. Ultimum viae nostrae stadium citatiore gradu conficere licebit; pleraque per tabulas et catalogos agentur brevibus, ut in rebus satis jam superque notis, commentariis adjectis.

Ecce ad primam legem, quae est de solutionibus cumulatis, illustrandam (cf. § 6, 14 et 24) binarum solutionum catalogus eadem atque stili liberi (§ 24) ratione compositus:

'Orestes': 15 I. III (25. 27. 52. 99. 220. 234. 394. 502. 589. 906. 1141. 1173. 1227. 1659); 18 II. III (20. 83. 86. 261. 288. 310. 313. 367. 439. 472. 473. 547. 658. 723. 889. 1038. 1057. 1332); 2 III. IV (373. 493); 2 I. II (396. 1614). 3 I. IV (64. 211. 888) et 2 II. IV (244. 647). In summa 42 casus = 3,6%.

'Bacchae': 10 I. III (8. 45. 262. 310. 492. 692. 745. 755. 951. 1345); 13 II. III (38. 276. 278. 335. 446. 480. 719. 725. 739. 742. 1067. 1301. 1356); 3 III. IV (236. 320. 747); 1 III. V (272); 3 I. II (57. 494. 1110); 5 I. IV (59. 447. 731. 809. 1128); 2 II. IV (831. 1064) et 1 IV. V (1051). In s. 38 = 4,1%.

'Iph. Aulidensis': 12 I. III (410. 660. 713. 941. 952. 1132. 1142. 1188. 1269. 1408. 1440. 1469); 7 II. III (468. 506. 697. 1220. 1237. 1253. 1449); 2 III. IV (641. 950); 1 III. V (1414); 2 I. II (433. 1114); 5 I. IV (431. 633. 828. 961. 1270) 2 II. IV (500. 1452). In s. 31 = 3,9%.

Summa summarum — 111 casus, quae ad trimetrorum summam 2868 relata 3,9% modulum efficit (sev. 0,2%, semis. 0,4%, lib. 1,6%). Notandus saltus ab ultima liberarum 'Phoenissis' (2,6%) ad nostras. Praealentia tertii pedis retinetur. Nova apparet combinatio cum soluto V pede.

Ternae autem solutiones etiam in nostro agmine raro occurrunt; exscribere placet versus:

- Or. 248 *εἰ δ' ἄλοχον ἄγεται, κακὸν ἔχων ἤκει μέγα* (I. II. III)
 » 597 *ἢ οὐκ ἀξιόχρεως ὁ θεὸς ἀναφέροντί μοι* (II. III. IV)
 » 643 *ἂ δ' ἔλαβες, ἀποδὸς πατρός ἐμοῦ λαβὼν πάρα*
 (I. II. III)
 » 1603 *καὶ σφάγια πρὸ δορὸς καταβάλοις. — σὺ δ' ἄν*
 [καλῶς; (I. II. III)
 » 1645 *Παρράσιον οἰκεῖν δάπεδον ἐνιαυτοῦ κύκλον* (I. III. IV)
 IA 466 *οὐ συνετὰ συνέτως: ἔτι γὰρ ἐστὶ νήπιος* (I. II. III)

35. Ad secundam legem, quae est de tertii pedis praealentia, transeuntibus solutiones in singulos pedes dispertiendae sunt (cf. § 7, 15 et 25):

	I	II	III	IV	V
Or.	85	96	197 (44%)	66	2
Bacch.	65	75	131 (39 »)	56	6
IA	66	69	119 (39 »)	43	3

Vides, ut jam § 25 praemonueram, pergere diminui praealentiam illam: jam in 'Phoenissis' infra dimidium ceciderat (46%), nunc porro labitur eadem declivi via. In transcurso notabis pulcram geminarum tragoediarum aequabilitatem.

36. Sequatur § 8 cum 9, 16 et 26 continuans de primo et quarto pede tabula:

	I			IV		
	Summae	Tribrachi	Dactyli	Summae	Tribr.	Anapaesti
Or.	85	24	61 (72%)	66	40	26 (39%)
Bacch.	65	24	41 (63 »)	56	28	28 (50 »)
IA	66	13	53 (80 »)	43	17	26 (26 »)

Admodum memorabile est, quod ex hac tabula cum § 26 comparata lucramur: tribrachorum quae fuit olim sive exclusiva sive praevalens in primo pede frequentia jam in libero stilo dactylis cesserat, nunc vero tanta in ejus locum successit dactylorum praevalentia, ut qui illic 51—62% erat modulus nunc ad 63—80% creverit; pulcrum sane evolutionis exemplum. Non tam enixe, sed tamen diserte etiam in quarto pede crevit anapaestorum modulus, qui illic 14—40% erat (nam »Phoenissarum« excessivus modulus Polynici et Iocastae debebatur), nunc 39—60% est.

Ad singula transimus primum pedem illustrantia, cujus typologia eadem § 26 explicata est.

Orestes' 1) in tribrachis (24). 14 typi *a* (πατέρα), 6 — *b*: 223 ὑπόβαλε, 555 ἐλογισάμην, 563 ἀνόσια, 603 μακάριος, 652 ἀπέδοτο, 919 ὀλιγάκις, et 4 — *c*: 941 ὁ νόμος, 1588 ὁ πατρός, 643 ἃ δ' ἔλαβες, 1659 δός, ὁ δ' ἐπιών (omnium asperrimus, cf. p. 190).

2) in dactylis (61). 41 typi *d*: 90. 447. 1029 ὦ μέλεος, 126 ὦ φύσις, 211 ὦ φίλον, 213 ὦ πότνια, 391 ὦ παρὰ, 544 ὦ γέρον, 674 ὦ πατρός, 1231 ὦ πάτερ; 1231 καὶ λαβέ, 361 καὶ θάνατον, 550 καὶ κατ' ὁδόν, 1603 καὶ σφάγια; 27 οὐ κалόν, 424 οὐ σοφός, 2 οὐδὲ πάθος, 47 μὴ πυρί, 415 μὴ θάνατον; 247 εἰ μόνος, 492 εἰ τὰ καλά, 1173 εἴ ποθειν, 248 εἰ δ' ἄλοχον; 423 ὡς ταχύ, 864 ἢ διά, 1221 ἢ σανίδα, 670 κούχ ὑποτρέχων, 1441 ἀλλ' ἀπολιπών, 396 ἢ σύνεσις, 681 τοῖς δεομένοισι, 1032 ἐς δάκρυα, 1566 τοὺς διολέσαντας, 1237 σοί, πάτερ, 1614 σὲ σφάγιον, 25 ἢ πόσιν. 1135 ὦν πατέρας, 1085 ἢ πολύ, 99 ὄψε γε, 1134 νῦν δ' ὑπέρ, 721 φροῦδ' ἄφιλος, 1106 πῶς; τὸ γάρ. — Et 20 typi *e*: 7 ἀέρι, 52 ἐλπίδα, 64. 72 παρθένη, -ον, 57 ἦκετον, 128 εἶδετε, 280 σύγγονε, 291 μήποτε, 394 φειδόμεθ', 502. 1145 μητέρα, 1189 ξυλλάβεθ', 1577 οὐδέτερ', 23 Χρυσόθεμις, 38. 1650 Εὐμενίδας, -σιν, 589 Τηλέμαχος, 888 Ταλθύβιος, 1636 Κάστορι, 1645 Παρράσιον.

Bacchae' 1) in tribrachis (24). 14 typi *a*, 6' — *b*: 9 ἀθάνατον, 57 ἐκόμισα, 754 διέφερον, 968 φερόμενος, 1110

προσέθεσαν, 1243 μακάριος; et 4 — c: 194. 923 ὁ Θεός, 485 τὰ δ' ἱερά, 490 σὲ δ' ἀμαθίας.

2) in dactylis (41). 27 typi *d*: 477 τὸν Θεόν, 1329. 1363 ὦ πάτερ; 199 οὐ καταφρονῶ, 253 οὐκ ἀποτινάξεις, 262 οὐχ ὑγιές, 814 οὐχ ὁ Διόνυσος, 474 οὐ θέμις, 310 μὴ τὸ κράτος, 951 μὴ σύ γε; 286 καὶ καταγελάς, 299 καὶ τὸ μανιώδες, 976 καὶ Βρόμιος, 325 κοῦ Θεομαχίσω; 491 ὡς Δρασύς, 1249 ὡς ὁ Θεός, 1128 ἀλλ' ὁ Θεός, 285 ὥστε διά, 352 οἱ δ' ἀνά, 692 αἱ δ' ἀποβαλοῦσαι, 731 ἡ δ' ἀνεβόησεν, 45 ὃς Θεομαχεῖ, 1332 ἦν Ἄρεος, 482 πᾶς ἀναχορεύει, 758 πῦρ ἔφερον, 1345 ὄψ' ἐμάθεθ', 492 εἴψ' ὁ τι. — Et 14 typi *e*: 8 τυφόμενα, 59 τύμπανα, 298 αἰθέρος, 447 αὐτόματα, 741 ριπτόμεν', 745 μυριάσι, 809 ἐκφέρετε, 829. 1318 οὐκέτι, 861 δεινότατος, 914 ἔξειδι, 1267 λαμπρότερος; 15 Βάκτρια, 340 Ἀρτέμιδος.

l'phig. Aulidensis' 1) in tribrachis (13). 7 typi *a*, 3 — *b*: 432 ἐκόμισε, 654 ἀσύνετα, 1105 ἀνόσια, et 3 — *c*: 1408 τὸ Θεομαχεῖν, 957 ὃς ὀλίγ', 1232 σὺ δ' ἐπιλέλῃσαι.

2) in dactylis (53). 31 typi *d*: 463. 640 ὦ πάτερ, 633 ὦ σέβας, 1136 ὦ πότνια; 410 οὐκ ἄρα, 466 οὐ συνετά, 734 οὐχ ὁ νόμος, 735 οὐ καλόν, 1269 οὐ Μενέλεως, 1444 οὐ σύ γε, 308 οὐδέ γε, 1270 οὐ δ' ἐπί, 1218 μὴ μ' ἀπολέσης; 952 ἦ Σίτυλος, 1201 ἦ Μενέλεων, 431 ἦ πόθον; 487 ἀλλ' ἀπολέσας, 694 ἀλλ' ὁ νόμος, 850 ἀλλ' ἀμελία, 961 ἀλλ' ὕβριν, 1188 ἀλλ' ἐμέ; 498 εἰ δέ τε, 941 εἰ δι' ἐμ', 1003 εἰ δ' ἀνικέτεντος; 541 ὡς ἐπ' ἐλαχίστοις, 660 ὡς πολύν; 1413 ἔσθ' ὁ τι, 1147 κοῦκέτι, 935 κοῦποτε; 1115 τοῖς ὀνόμασιν, 1142 αὐτὸ δέ. — Et 22 typi *e*: 526 ποικίλος, 609 ἐλπίδα, 634 ἤκομεν, 676 στήσομεν, 695. 938 τοῦνομα, 929 πεισόμεθ', 1128 σύγχυσιν, 723 ἐνθάδε, 1132 τλήμονα, 1182 δεξόμεθα, 1409 ἐξελογίσω; 96. 433. 531. 1114. 1463. 1469 Ἀρτέμιδι, -δος, -δα, 95 Ταλθύβιος, 434 Αὐλίδος, 703 Ἀπιδανόν, 814 Μυρμιδόνας.

Claudat catalogum tabula:

	Tribrachorum					Dactylorum		
	Summae	Summae	a	b	c	Summae	d	e
Or.	85 (78)	24	14	6	4	61 (54)	41	20 (13)
Bacch.	65 (63)	24	14	6	4	41 (39)	27	14 (12)
IA	66 (56)	13	7	3	3	53 (43)	31	22 (12)

Ea quoque auctae libertatis testimonium praebet. Illic enim — in liberi stili tragoediis — legitimus tribrachorum typus *a* adeo praevalebat, ut ambo reliqui ne dimidium quidem ejus explerent (nam Phoenissas' Eteoclis nomen extra ordinem posuit); sola Helena' nostrum agmen praecoccupaverat. Ita vel in minutissimis imperiosa evolutionis vis apparet.

Tamen etiam hic qualitativa analysis haud paulo fructuosior est in typis praesertim *b* et *c*, h. e. in tribrachis et dactylis fractis. In libero agmine elisio in fractis dactylis non admittebatur, nisi quod semel in Helena', praecoci libertatis fructu, 43 τὸ δ' ὄνομα legitur; hic frequentius usurpatur (Or. 643, Bacch. 485. 490, IA 1232). In eisdem typi *b* tribrachis prior vox monosyllabo constabat (exc. Phoen. 401 ποτὲ μὲν) eoque levissimo, sc. ὁ, τόν, τά, ὄς, τίς, τί, ἐς; hic praeterquam quod σύ, σέ accedunt mirum asperitate invenitur, quod jam supra significavi Or. 1659:

Πυλάδῃ δ' ἀδελφῆς λέκτρον, ὡς ποτ' ἦνεσας,
δός· ὁ δ' ἐπιών νιν βίωτος εὐδαίμων μένει.

Nec minor est in dactylis progressus. Illic priorem partem semper monosyllabum efficiebat; hic etiam bisyllaba occurrunt (Or. 99 ὄψέ γε, Bacch. 285 ὥστε διά, IA 308 οὐδέ γε, 1142 αὐτὸ δέ. Tum hic primum crasin adhibuit poeta in priore parti: κούχ, κούκέτι, κούποτε. Sed maximi momenti est auctum pondus. In § 26 breviter evolutionem ejus adumbravi a severiore agmine (οὐ) per semiseverum (ὄς) ad liberum (perraro qualia πῦρ). Hic primum et graves verbales formae usurpantur (Bacch. 492, εἴφ' ὁ τι,

IA 1413 ἔσθ' ὁ τι) et ponderosa monosyllaba interpunctione a sequentibus separata:

- Or. 721 φεύγεις ἀποστραφεῖς με, τὰ δ' Ἀγαμέμνωνος
 φροῦδ'; ἄφίλος ἦσθ' ἄρ', ὦ πάτερ, πρᾶσσων κακῶς.
 » 1106 πῶς; τὸ γὰρ ἔτοιμον ἔστιν, εἴ γ' ἔσται καλῶς.

37. Breviter quartam legem transigamus, quae est de quinti pedis solvendi conditionibus. Ejus liberiores formam (IV b) § 28 definivimus; videamus nunc liberrimi agminis constitutionem.

- Or. 518 γυναικάς ἀνοσίους
 » 1605 ὅστις ἐστὶ φιλοπάτωρ
 Bacch. 272. 322 ὄν σὺ διαγελάς
 5) » 752 ὥστε πολέμοι
 » 1051 ὑδασι διάβροχον
 » 1247 κάμῃ παρακαλεῖς
 » 1260 εἰ δὲ διὰ τέλους
 IA 844 θάυματ' ἐστὶ τὰ παρὰ σοῦ
 10) » 1247 ἀντόμεσθα δύο φίλω
 » 1414 Δαναΐδαισι διὰ μάχης.

Nunc progrediente libertate abrogatam videmus secundam, quae erat de integro quadrisyllabo, conditionem; nam in ultimis quattuor exemplis ter bina bisyllaba, semel in tria vocabula dilaceratam dipodiam videmus. Quarta conditio, quae erat de positione debili, illic semel in leviore copulatione (περιπλοκάς in ‚Phoenissis‘), hic et ipsa non plus semel, sed in graviore tamen copulatione violatur (Nr. 6 διάβροχον).

38. Ad quintam legem transeuntes, quae est de quarto pede, tabellae § 35 compositae suum adjungamus catalogum (cf. § 27).

Orestes' 1) in tribrachis (40). Fraacti 14: 74 ὁδὲ φωνεύς, 227 ὅταν ἀνῆ, 429 κατὰ νόμον, 1092 λέχος ἐπήνεσα, 81 ἄ γε παροῦσ', 305 σὲ γὰρ ἔχω, 895 ἐπὶ τὸν εὐτυχῆ, 1222 ἐπὶ τὸν ἔσχατον, 371. 461. 923 τὸν Ἀγαμέμνωνος, 720 τὰ δ' Ἀγαμέμνωνος, 244 χάριτας ἔχων, 671 μέλεος ἐμῶν.

2) in anapaestis (26). Integri 23 ionicum vocabulum incohantes: 64 παρέδωκεν, 21. 1226 ἐπικούρον, 216 ἀπολειφθεῖς, 222 θεραπεύειν, 235 ὑγείας, 468 ἐπίπροσθεν, 476. 508 ὁμολεκτρος, 527. 6 3 ικετεύω, 613 ἐπισείσω, 888 συνεπύρρει, 1062 ἀποδείξω, 1156 ἀλόγιστον, 1366 βασιλείων, 1575 ἐπίφρουρον, 1645 ἐνιαυτοῦ; 17. 21. 496. 647 Ἀγαμέμνων, 898 Διομήδης. — Fracti 3: 896 ὄδε δ' αὐτοῖς, 60 ἡμέτερόν ἐστιν, 487 πρότερον εἶναι.

Bacchae' 1) in tribrachis (28). Fracti 6: 448 ὅταν ἐγώ, 757 ἐπὶ δέ, 967 ἐπὶ τόδ', 1137 τὸ μὲν ὑπό, 731 δρομάδες ἐμαί, 1064 οὐράνιον ἀκρόν; ex integri notandus 1275 ἐγένετο.

2) in anapaestis (28). Integri 22: 12 βοτρυνώδει, 320 μεγαλήνη, 463 περιβάλλει, 290. 930 ἀνασειών, -οντα, 508 ἐπιτήδειος, 709 διαμῶσαι, 726 συνεβάκχεν', 736. 1104 ἀσιδήρω, 747 βασιλείοις, 932 θεραπεύειν, 934 ἀνακείμεσθα, 1097 ἐπιβᾶσαι, 1273 ὑμεναίοις, 1349 ἐπένευσεν, 1367 ἐπικούρος; 236 Ἀφροδίτης. 242. 305. 496. 652 Διονύσῳ, -ον, -ου. — Fracti 6: 59 ἐμά δ' εὐρήματα, 475 ἴν' ἀκούσαι, 649 ὅτι λύσει, 674 δεινότερα βακχῶν, 809 σὺ δὲ παῦσαι, 1147 δάκρυα νικηφορεῖ.

Iphig. Aulidensis' 1) in tribrachis (17). Fracti 6: 663 ὁ Πριάμον, 810 ἐμὲ λέγειν, 1175 ἐπὶ δέ, 1435 τάδε δέ, 656 ἐπὶ τέκνοις, 1270 βουλόμενον ελήλυθα.

2) in anapaestis (26). Integri 16: 462. 1242 ικετεύσειν, 520 φιλότιμον, 724 συνενέγκοι, 1027. 1241 ἐπικούρον, 1133 ἀπόκρηναι, 1169 ἀποτίσαι, 1436 ἀδικήσῃ; 523 ὑπολάβοιμ' (admodum memorabilis); 69 Ἀφροδίτης, 431. 633. 828. 950. 961 Ἀγαμέμνων. — Fracti 10: 500 ἀπὸ δεινῶν, 641 ὑπὲρ ἀμφοῖν, 689 ὅταν ἄλλοις, 811 ὑπὲρ αὐτοῦ, 821 τίνα λυίσσω, 1141 ἂ σὺ μέλλεις, 1177 ὁ φυτεύσας, 1185 τίνας εὐχάς, 1452 ὄσον εἶχες, 49 Θεοτιάδι τρεῖς.

	Tribrachi				Anapaesti		
	Summae	Summae	Integri	Fracti	Summae	Integri	Fracti
Or.	66	40	26	14	26	23	3
Bacch.	56	28	22	6	28	22	6
IA	43	17	11	6	26	16	10

Non sane multa inde lucramur; juvabit tamen notare fractorum tribrachorum, si liberum agmen comparamus, modice, anapaestorum autem valde auctum esse numerum.

39. Leges VI et VII tabellis fere absolventur cum § 10, 18 et 29 comparandis.

	II			III		
	Summae	Tribrachi	Anapaesti	Summae	Tribrachi	Dactyli
Or.	96	20	76	196	52	144
Bacch.	75	24	51	129	29	100
IA	69	16	53	119	38	81

In summa 60 leviores typi 180 gravioribus respondentes in II et 119 leviores 325 gravioribus in III pede. Hucusque proportionones erant 1:2 in II et 1:3 in III, nunc utrobique factae sunt 1:3.

Plura de caesura dicenda erunt cum his pedibus conjuncta. Vidimus semiquinariam, quae in severiore stilo, quin etiam in semisevero obligatoria fuerat secunda arsi soluta, jam in libero hoc jus amisisse. Hic vero exceptiones habemus hasce:

Or. 37. 76. 80. 255. 284. 298. 433. 552. 558. 634. 903. 915. 922. 1210. 1236. 1636. 1651. 1679; Bacch. 18. 261. 278. 573. 662. 746. 954. 961. 1079. 1088. 1098. 1302; IA 112. 314. 430. 631. 693. 838. 932. 1062. 1222. 1264. 1452. Sunt igitur 41 exceptiones, qui numerus ad 240 casus relatus 17% efficit contra 6% in secundo et 11% in tertio agmine, minime dubio etiam in hac re libertatis incremento. Caesurae semper sunt semiseptenariae, tribus tantum locis (Or. 298 παραμυδοῦ δ'; 1636 Πολυδεύκει τ', Bacch. 954 ἐλάταισιν δ') pseudomediae.

In tertio autem pede non potuit violari de caesura semiquinaria lex nisi violatâ eâ quae est de solutionibus initialibus; raras igitur esse exceptiones non mirabimur. Sunt Or. 444 εἰλισ-σόμεθα, Bacch. 278 τάν-τίπαλον, 1342 οὐκ ἠ-δέλετε, IA 630 πα-τέρα, 846 ψεν-δόμεθα. Caesurae

sunt semiseptenariae praeter asperrimum IA 630, qui me-
ram exhibet mediam.

40. Legis VIII quae erat de solutionibus initia-
libus violationes eodem typorum ordine, quem § 29 in-
stituimus, afferre placet:

Tribrachi secunda percussa (πατέρα) unum apparet
exemplum in III pede

IA 630 και δεῦρο δὴ πατέρα πρόκειπε σὸν φίλον

in eodem versu, quem modo ut asperrimum enotavimus;
praeterea Or. 487 πρότερον εἶ. (IV), 671 μέλεος ἐμ. (IV),
244 χάριτας ἐ. (IV), Bacch. 261 βότρυος ἐ. (II), 662 χιόνος
ἀ. (II), 1147 δάκρυα (IV), I. A. 932 σχέτλια (II), 1222 χάρι-
τας (II), 1459 μετά γε (II). In s. 10 exempla, e quibus 5
in II, 1 in III et 4 in IV pede

Dactyli ne hic quidem ullum extat exemplum

Proceleusmaticus secunda percussa his locis ap-
paret: Or. 251 διάφερε, 472 χεόμενος ἐ., 546 ἀνόσιος εἶ, 652
πολύβοτρυν ἀ., 665 ἀδύνατον ἀν., Bacch. 54 μετέβαλον εἰς,
664 ποτινάδας εἰς., 697 ἐλέλυτο, 1081 τιθέμενος ἀ., 1275
ἐγένετο (IV), 1302 ἐγένετ' ὄμ., IA 502 μετέπεσον ἀ., 691
ἀσύνετος εἶ., 1164 ἐπὶ τρισί, 1220 ἐκάλεσα. Exempla sunt
quindecim, praeter unum, quod notavi, omnia in II pede

Paeon quartus secunda percussa in libero agmine
uno, hic duobus tantum exemplis occurrit:

Bacch. 1342 ἔγνωτ', ὅτ' οὐκ ἠθέλετε, τὸν Διὸς γόνον

IA 846 ἄμφω γὰρ οὐ ψευδόμεθα τοῖς λόγοις ἴσως

in unico, quo (praeter primum, qui lege nostra non tan-
gitur) stare poterat III pede. Saepius, ut illic, tertiam per-
cutit: Or. 60 ἡμέτερον ἔ., Bacch. 1064 οὐράνιον ἀ., IA 49
Θεστιάδι, 1270 βουλόμενον. Pes ubique IV est, ut illic.

Paeon primus etiam hic omnium est frequentis-
simus, propter causam quam illic explicavimus secundo
pedi affixus: Or. 4 μακάριος κ., 28 ἀδικίαν, 86 μακαρία, 244

ὁμογενής, 246 ἀγόμενος Τρ., 250 Συγατέρων, 294 ἀνακάλυπτ', 313 ἀποδέχου, 541 Συγατέρας. τ., 594 πιθόμενος τ., 630 ἀφορύβως, 722 προδέδομαι, 723 τραπόμενος Σ., 1142 λεγόμενος τ., 1196 Μενέλεως, 1228 προδέδομαι. Bacch. 29 ἀναφέρειν, 175 ξυνεδέμην, 201 παραδοχάς, 209 διαριθμῶν, 701 νεοτόκοις, 749 ὑποτάσεις, 808 ξυνεδέμην, 940 παρὰ λόγον σ., 950 ὑποβαλῶν, 974 Συγατέρες. τ., 1067 γραφόμενος π., 1204 Συγατέρες Σ., IA 62 ξυναμυνεῖν, 402 διάφοροι, 409 παρακάλει, 500 μεταβολάς, 523 ὑπολάβοιμ', 690 παραδιῶ, 852 γενομένη, 976 ἐναλίαις, 1156 γενόμενον τ., 1168 Μενέλεως, 1189 ἀσυνέτους, 1195 διαφέρειν, 1460 ἐχομένη.

Restant paucissima pentasyllaborum exempla, quorum putida esset divisio: Or. 597 ἀξιόχρεως (II), 444 εἰλισσόμεθα (III), quibus tamen adungere licet ea, quae elisione tetrasyllaba facta sunt, Or. 294, IA 523, de quibus non liquet.

Quae sunt universa 74 exempla, scilicet 26 in Oreste', 24 in Bacchabus', 24 in Iph. Aulidensi', 60 in II, 5 in III, 9 in IV pede. Quem numerum si cum priore agmine comparamus, haud mediocriter auctum inueniemus: illic enim 1760 solutionibus 36 exceptiones (2%), hic 1077 respondent 74 (17%). Plus dimidium tamen hic quoque paeon primus efficit.

41. Positionis debilis catalogus eum continuat, quem § 30 ad stilum liberum illustrandum exhibui:

Orestes' 24 exc. I (11): 258 ἀτρέμα, 643. 674 (I), 1233, 1588 (I) πατρός, -τρί, 677 (II). 1032 (I) δάκρυα, 597 ἀξιόχρεως (II), 213 πότνια (I), 472 ἔκλυον, 34 ἀγρία (II).

II (13): ἐπίπροσθεν (IV), 107 (II). 458 (II). 611. 1608 (II) Συγατρός, -ί, 410 ἀπετρέπου (IV). 670 ὑποτρέχων (I), 640 τὰ μακρά, 1575 ἐπίφρουρον (IV), 378 μέλαθρον, 89 γενέθλιον, 83 ἄνπνος (II), πάρεδρος.

Bacchae' 18 exc. I (6): βοτρυνῶδει (IV), 1366 πατρίδος, 236 Ἀφροδίτης (IV), 1301 ἀφροσύνης, 728 ἀθροφ (II), 249 νεβρίσι.

II (12): 11 (II). 44. 181 (IV) *θυγατρός*, 651 *πολύβοτρυν* (II), 448 *θύρετρο*, 199 (I). 503 (II) *καταφρονῶ*, -εἶ, 209 *δι-αριθμῶν* (II), 216 *νεοχμά* (II), 303 *ἐν ὄπλοις* (II), 1051 *διάβροχον* (V), 59 *παρέδρους* (II).

Iphig. Aulidensis' 14 exc. I (6); 680 *πατρός*, 69 (IV). 1264 (II) *Ἀφροδίτη*, -ης, 1430 *ἀφροσύνη*, 961 *ὑβριν* (I), 424 *πρόδρομος* (II).

II (8): 68. 950 *θυγατρί*, -ός, 1204 *ὑπότροφον*, 1333 *ἀπόκριναι* (IV), 678 *μελάθρων* (II), 1431 *σὺν ὄπλοις* (II), 631 *ὑποδραμοῦσα* (II), 108 *μεταγράφη*.

In summa 56 exceptiones, qui numerus ad universum solutionum 1079 relatus 5,2% modulum efficit. Jam cum severioris agminis modulus 2,5% fuerit, semiseveri 5,3%, liberi vero 7%, videtur nunc retro rotae funis abiisse. Quam regressionem interim notasse satis erit; universam enim de positione debili quaestionem infra tractatari sumus.

42. Superest polysyllaborum lex ejusque calalogi eis, quos § 31 dedimus adjungendi.

Orestes': 41. 226. 434. 586. 864 (I). 1227 *δία*, 391 (I). 647 (II) *παρά*, 429 (IV) *κατά*, 471 (II). 495 (II). 562. 609. 617. 895 (IV). 1141. 1222 (IV). 1579. 1587 *ἐπί*, 915 (II) *ὑπό*, 1134 *ὑπέρ*, 490 (II) *ἄμα*; 35. 479. 483 (II). 896 (IV). 1623 *ὄδε*, 245 *τόδε*, 407. 622. 1238 *τάδε*; 366 *ἐμέ*, 385. 861 *τίνα*, -ες, 8. 396 (II). 892 *ὄτι*, 422 *ἔτι*, 99. 1616 *τότε*, 44 *ποτέ*, 401 *πότε*, 135. 227 (IV) *ὄταν*, 1173 *ποθέν* (I), 240. 1027 *ἄλις*, 702 *ἐν*, 133 *τάχα*; 551 *δύο*, 27 *καλόν* (I), 211 *φίλον*, 247 *μόνος* (I), 248. 1067 (II) *κακόν*, -ς, 423 *ταχύ* (I), 424 *σοφός* (I), 426. 882 *ἴσα*, 439 *σαφές*, 1085 *πολύ* (I); 25 *πόσιν* (I), 40. 47 (I). 1594 *πυρί*, 126 *φύσις* (I), 544 *γέρον* (I), 592 *στόμα*, 624 *φόνον*, 643. 674 (I). 1231 (I). 1233. 1237 (I), 1588 *πάτερ*, -ρός, 941 *νόμος* (I), 1076 *πόλις*, 1092 *λέχος*, 1585 *νέκυν*, 1622. 1623 *ποδί*. — 597. 668. 708 (II) *ὁ θεός*, 944 *ὁ κατός*, 20 *ὁ δέ*, 288. 1344 *τὸν ἐμόν*, 486 *τὸν ὁμόθεν*, 568 *τὸν ἔλεον*, 923 (IV). 1038 *τὸν Ἀγαμέμνονος*, 397 *τὸ σαφές*, 549 *τὸ σόν*, 1589 *τὸ παρόν*, 672. 1327 *τὸ δέ*, 1106 *τὸ γάρ*, 236 *τὸ δο-*

κεῖν (II), 492 τὰ καλά, 1028 τὰ δέ, 604 τὰ τε; 73 σύ τε, 305 σὲ γάρ, 1301 σὺν δέ, 81 ἃ γε (IV), 418. 439 (II) ὃ τι, 1126 τίς ὄλεθρος, 266 τίν' ἐπικουρίαν, 1048. 1093 τί γάρ; 394 ἐς ἐμέ, 550 καθ' ὁδόν, 1146 δι' Ἀγαμέμνονος, 603 πρὸ δορός (II), 1651 ἐν Ἀρείοισιν; 632 πόδ' ἐπί; 2 οὐδέ πάθος (I), 99 ὁ-ψέ. γε (I); 390 τὸ δ' ὄνομ', 581 τί μ' ἄν, 720 τὰ δ' Ἀγαμέμνονος, 1617 σύ γ' ἔλαβες, 1659 ὁ δ' ἐπιών. — In summa 128 casus (26 I, 14 II, 76 III, 12 IV) s. 28%.

Bacchae' 733. 961 (II). 1071. 1093. 1142. 1260 (V) διά, 352 ἀνά (I), 702. 757 (IV). 831 (II). 833. 967 (IV) ἐπί, 929 ὑπό, 937. 938 παρά; 212. 298 ὅδε, 830 (II). 1294 τίνα, -, 1351 ἄπερ, 1132 ὅσον; 31. 245. 649. 944 ὅτι, 335. 807 ἵνα, 262. 1355 ἔτι, 319. 498 (IV) ὅταν, 1345 ὅτε, 765 ὄθεν, 743 πάλιν; 274. 365. 918 δύο, 480 σοφά, 491 θρασύς, 975 μέγαν, 1279 βραχύν; 8 πυρός, 289 βρέφος, 353 ξένον, 474 δέμις (I), 779 ψόγος, 477. 923. 1128. 1249 θεός (I), 1329 (I). 1363 (II) πάτερ; 841 ἴμεν, 1106 φέρε. — 192. 194. 206. 302 (II). 333 ὁ θεός, 272 ὁ νέος, 314 ὁ Διόνυσος (I), 1314 ὁ μέγας (II), 1115 ὁ δέ, 203 τὸ σοφόν, 299 τὸ μανιώδες (I), 310 τὸ κράτος, 1137 τὸ μὲν, 675 τὸν ὑποθέντα, 809. 1240 σὺν δέ, 951 σύ γε (I), 214 τι ποτ', 492 τί με, 645 τί τάδε, 1280 τί φέρομαι, 1301 τί μέρος (II), 492. 515 (II) ὃ τι, 826 ἃ-σύ, 1272 ἃ πάρος; 45 κατ' ἐμέ, 313 ἐν ὄπλοις (II), 454 ἐφ' ὅπερ, 475 ἴν' ἀκούσαι (IV); 285 ὡς-τε διά (I), 940 πα-ρά λόγον; 844 τό γ' ἐμόν, 1268 τὸ δ' ἔτι, 1338 σὲ δ' Ἄρης. — In summa 89 casus (14 I, 10 II, 57 III, 7 IV, 1 V) sive 27%.

Iphig. Aulidensis' 508. 941. 1172. 1194. 1253 (V). 1414 (V). 1417. 1455 διά, 411 κατά, 641 ὑπέρ (IV), 647 (II). 968. 1449 (II) παρά, 656 (IV). 1175 (IV). 1270 (I) ἐπί, 669 ἀπό, 811 ὑπέρ (IV), 1157. 1184. 1226 περί (IV); 110. 1422. 1435 (IV) τάδε, 810 (IV). 1188 (I) ἐμέ, 716. 821. 1166. 1185 (IV) τίνι, -, -ος, -ας, 1217 ὅπερ. 1273. 1452 (IV) ὅσον, 110 ἄρα, 622 ἔτι, 824 ὅτι, 1009. 1148 (II) ἵνα, 506 ὅτε, 689 ὅταν, 1237 πόθεν (II); 1247 δύο (V), 660 πολύν, 735 καλόν (I), 747. 1449 φίλον; 431 πόθον (I) 463 (I). 640 (I). 680 πάτερ, -ρός, 468 Πάρις, 660 χρόνον, 952 πόλις, 961 ὕβριν, 973 θεός, 1196 λό-

γον. — 77 ὁ δέ (II), 694 (IV). 734 (I) ὁ νόμος, 621 τὸν Ἀγαμέμνωνος, 472 τὸ κράτος, 488 τὸ κακὸν, 687 τὸ θελεῖν (II), 1144 τὸ γάρ, 844 τὰ παρά (V), 685 σέ δέ, 843 σὺ πάλιν, 1440 σύ γε (I). 151 ἃ δέ (II), 525. 1014. 1453 (I) ὃ τι, 989 ὃ σε, 1141 ἃ σε (IV), 1104 ὃς ἐπί, 815 τί μένομεν; 541 ἐπ' ἐλαχίστοις (I), 624 ἐφ' ὑμέναιον, 935. 1440 κατ' ἐμέ, 941 (I). 1419 (II) δι' ἐμέ, 1016 πρὸς ἐμέ, 1113 πρὸ γάμων (II), 1237 ἐπ' ὀλέθρου, 1431 σὺν ὅπλοις, 498 δέ τε (I); 308 οὐ-δε γέ (I), 1142 αὐ-τὸ δέ (I), 1164 ἐ-πὶ τρισί (II), 1459 με-τά γε (II). — 641 τὸ δ' ἴσον, 1219 τὰ δ' ὑπό (II). — In summa 94 casus (19 I, 13 II, 49 III, 12 IV, 3 V) sive 31%.

Summa vero summarum 308 casus exhibet intra 1079 solutiones, sive 29%. Qui modulus si cum prioribus comparatur — severioris stili 4%, semiseveri 13% et liberi 22,4% — non mediocriter auctam arguet legis de polysyllabis violandae vel potius abrogandae libertatem.

43. Vereor, ne superbissimi ejusdemque ingeniosissimi Germanorum philosophi superbiam sine ingenio imitari dicar; sed res ipsa postulat, ut haec disquisitio quamvis fastidiosa bis lectori legenda sit:

§ 1—5.	6	7	8	9	9	10	10	11	12	13	
	14	15	16	17	17	18	18	19	20	21	22
23	24	25	26	28	27	29	29	30	31	32	33
	34	35	36	37	38	39	39	40	41	42	43

primum scilicet horizontali § orum ordine, ut subinde severioris, semiseveri, liberi et liberrimi stili proprietates cognoscat, tum vero verticali, ut decem legum nostrarum per quattuor aetates mutationibus perspectis, quid casui dari possit, ubi sit inexorabilis legis necessitas agnoscende, quid denique sit evolutio videat. Philologorum enim jam in rhythmo Ciceroniano indagando nimis faciles esse in hac re mentes cognovi, qui psychologiae plerique ignari omnia pro facticiis habere soleant, inconsciam animi vim et inclinationem parvi pendere.

CAPUT VI.

De anapaesto cyclico.

44. Anapaesti cyclici duplicem esse in tragoedia usum omnibus notum est, scilicet in pedibus a secundo ad quintum eum nominibus propriis, in ceteris autem vocabulis primo pede limitatum esse. Hinc duae quaestionis partes; sed cum prior nullos fructus polliceatur — in propatulo enim est poetam, nisi necessitate coactum nominibus epicis utendi, versus suos vitiaturum non fuisse — nos hic de sola posteriore agemus. Sequitur tamen ex eis, quae modo dixi, nomina propria, quorum ubique eadem est conditio, etiam in primo pede tractando secludenda esse.

Omnium autem primum videndum est, an in anapaesto quoque admittendo idem per quattuor aetates libertatis incrementum animadverti possit. Quod ut appareat, tabelam composui ejus, quam § 5 exhibui, similem, nisi quod in ultima columna non centesimarum, sed millesimarum modulus addidi. Saltus in minoribus numeris majores, in majoribus minores expectandos esse norunt periti.

a. 438	Alcestis	in	806 trim.	8 anap.	=	9.9 p. m.
» 431	Medea	»	1048 »	3 »	=	2,9 »
» ?	Heraclidae	»	897 »	8 »	=	9 »
» 428	Hippolytus	»	1016 »	2 »	=	1,9 »
» ?	Rhesus	»	678 »	3 »	=	4,4 »
» »	Andromache	»	952 »	9 »	=	9,5 »
» »	Supplices	»	929 »	19 »	=	20,4 »
» »	Hecuba	»	932 »	10 »	=	10,7 »
» 415	Troades	»	809 »	18 »	=	22,2 »
» 414?	Hercules	»	998 »	23 »	=	23,1 »
» 413	Electra	»	968 »	19 »	=	19,7 »
» 412	Helena	»	1267 »	27 »	=	21,3 »
» 411?	Iph. Taur.	»	1081 »	24 »	=	22,2 »
» 411?	Ion	»	1057 »	28 »	=	26,5 »
» 409	Phoenissae	»	1198 »	20 »	=	16,9 »

a. 408	Orestes	in 1154	trim. 53	anap. = 45,3	p. m.
post.	Bacchae	» 924	» 28	» = 30,3	»
»	Iph. Aul.	» 790	» 25	» = 31,6	»

In universum igitur etiam hic confitendum est cum an-
nis crescere libertatem, nisi quod anomaliae quaedam sta-
tuendae sunt. In severiore agmine mirifice prominet *Al-*
cestis semisevero vicina; nam *Heraclidae* *ἰκετών* voce
excusantur in hac *ἰκεσίας* tragoedia plane necessaria. Ita
etiam in semisevero agmine *Supplices* liberi usum praeoc-
cupant. Pulcra aequabilitate insigne est liberum agmen,
sed etiam hic *Phoenissae* inexpectatum frenatae paulis-
per licentiae exemplum praebent. Quae tota luxuriat in
liberrimo, praecurrente, ut saepe, *Oreste* et memorabili,
quod ipsum quoque saepius observavimus, inter geminas
tragoedias concordia.

Quae cum ita sint, nolim nimis huic catalogo fidere;
ad approbandum autem eum valere nemo prudens nega-
bit. Quid enim? Fingamus nobis nullo extrinsecus criterio
adjutis solaque anapaestorum ratione nixis chronologicum
tragoediarum ordinem componendum esse; ponemus

1 loco	Hippolytum	10 loco	Supplices
2 »	Medeam	11 »	Helenam
3 »	Rhesum	12 »	Troades
4 »	Heraclidas	13 »	Iph. Taur.
5 »	Andromacham	14 »	Herculem
6 »	Alcestidem	15 »	Ionem
7 »	Hecubam	16 »	Bacchas
8 »	Phoenissas	17 »	Iph. Aul.
9 »	Electram	18 »	Oresten

Qui catalogus remotis duabus fabulis, quas diductis litte-
ris impressi, satis bene vero respondet, nulla ultra trien-
nium aberrante.

45. Sed haec quantitativa erat analysis; videamus nunc
de qualitativa. Et primum quidem anapaesti usum ad le-
gem referre conemur, quae illic erat de polysyllabis.

Per se hunc anapaestum quadrifariam conformare licebat. Aut enim

- 1) anapaestus polysyllabum incohat: *ικετεύομεν*; aut
- 2) integer anapaesticum vocabulum explet: *ικέται*; aut
- 3) integer tribrachicum explet ultimâ per positionem producendâ: *ιερός (γάρ)*; aut denique
- 4) fractus apparet: *ἐπὶ τοῖςδε*.

Probabile est anapaesti cyclici usum a primo typo ortum esse, quippe qui solus nulla alia ratione in versum recipi potuerit; nam jam secundus typus optime solutione admissa collocatur; cum *καθήμεθ' ικέται* nihilo deteriorem efficiat penthemimere quam *ικέται καθήμεθ'*. Quod etiam magis in tertium valet; quartus vero mutato verborum ordine ne solutione quidem indiget: *ἐπ' οὖν σε τοῖςδε*.

Sed hoc primi typi exclusivum jus sub *Ἀνάγκης* regno Thespidis fortasse aetate valebat; apud Euripidem certe quattuor typorum ratio haec est:

	Summae	I	II	III	IV
Alcestis	8	—	5	2	1
Medea	3	1	2	—	—
Heraclidae	8	—	8	—	—
Hippolytus	2	2	—	—	—
Rhesus	3	1	2	—	—
Andromache	9	2	6	1	—
Supplices	19	3	14	2	—
Hecuba	10	5	5	—	—
Troades	18	5	11	2	—
Hercules	23	9	10	3	1
Electra	19	7	9	2	1
Helena	27	8	14	4	1
Iph. Taur.	24	6	17	1	—
Ion	28	12	13	2	1
Phoenissae	20	7	10	2	1
Orestes	53	18	25	8	2
Bacchae	28	8	14	3	3
Iph. Aul.	25	11	9	3	2
Summae		105	174	35	13

Videntur legitimi esse duo priores typi; absque Alcestide esset, dicere possemus alios severioris stili tragoediis non recipi. In ea enim duo tertii typi exempla inveniuntur (75 *ἱερὸς γάρ* et 824 *Θάνατον φυλάξας*) et unum quarti (375 *ἐπὶ τοῖςδε*).

In semisevero tertius typus rarus est, quartus omnino non occurrit; in libero ambo sibi etsi non amplum locum vindicaverunt; in liberrimo paulo ampliorem, tamen ut inquilinos agnoscas. Operae pretium est omnia quarti typi exempla afferre: Herc. 940. El. 1030. Phoen. 1240 *ἐπὶ τοῖςδε*, Or. 898 *ἐπὶ τῷδε*, Hel. 1234 *ἐπὶ τῆς*, Bacch. 1247 *ἐπὶ δαῖτα*, Or. 1336 *περὶ τοῦ*, Bacch. 502. IA 646 *παρ' ἐμοί*, Bacch. 334 *παρὰ σοί*, IA 1199 *ἐν ἴσῳ*, Ion 1343 *ὁ θεός σ'*. Semper vides anapaestum praepositionis cum nomine copulatione formari; unica exceptio Ionis est locus. Non eo tamen offendit — articuli enim cum nomine copulatione nihil est levius — sed eo, quod ultima anapaesti syllaba non naturā est longa, sed positione producitur, ut quarti typi libertas mirifice cum tertio conjuncta sit. Iam si ipsum versum aspicias:

ὁ θεός σ' ἐβούλετ' ἐν δόμοις ἔχειν λάτρην

simulque discis e duobus codicibus P hoc σ' omittere, non dubitabis, quin necessarium illud pronomen ab Euripide in quinto pede collocatum

ὁ θεός ἐβούλετ' ἐν δόμοις σ' ἔχειν λάτρην

ab archetypi librario per haplographiam omissum in altero codice falso loco insertum sit. Ita remoto illegitimo anapaesto solutio fit primae arseos in hac voce plus semel occurrens (cf. Ion 1537, Bacch. 194. 923).

Equidem consulto in hac disquisitione conjecturis abstiniui; sed hanc vix credo conjecturam esse appellandam.

46. Alterum criterium, quo aetates dignosci possunt, positionis est debilis usus. Quod statim ex catalogo apparebit.

In severiore enim et in semisevero agmine religiose eam vitatam videmus.

In libero apparet rarissima idque semper, quod mirandum sit, in voce *δακρύοις*, *-ων*: Tro. 509, 1131, Herc. 1361, El. 502, Ion 242.

In liberrimo denique aliquanto saepius: Or. 135. 368. 529. 1239 *δακρύοις*, *-ων*; 645 *ἐπιπροσθεν*, Bacch. 201 *πατρίους*, 696 *νεβρίδας τ'*, 700 *ἀγρίους*, IA 921 *μετρίως*.

Diutius igitur quam soluta arsis anapaestus syllabarum levitatem retinuit; nam praeterquam quod positionem debilem ante liberum stilum omnino non admisit, ne admissam quidem ultra liquidissimam copulationem *κρ* progredi passus est, donec liberrimi stili licentiâ exortâ etiam aliae eum occuparent, quin etiam duriores ex media et *ρ* compositae, nec tamen ullâ liquidâ nisi *ρ* admissâ.

Pauca haec quidem sunt; sed in tantis deperditarum fabularum tenebris ne parvi quidem igniculi sunt spernendi.

CAPUT VII.

De positione debili.

47. In soluta arsi quasi sub microscopo quodam positionis debilis intimam naturam et conditionem perspicere potuimus; docuit nos ea duas res, quas extrinsecus non noramus: primam, non eandem tamen esse hominis tenui aure praediti iudicio positionis debilis atque syllabae naturâ brevis conditionem, immo aliquanto duriorum apparere illam; tum vero etiam in illa gradus certos observatos esse, ita ut maxime liquida videretur tenuis vel aspiratae cum *ρ* copulatio, tum sequeretur tenuis vel aspiratae cum *λ*, *μ*, *ν*, postremo mediae cum *ρ*.

Qua re cognita primum erat quaerere, an ceteris versûs sedibus plane extincta sit haec tenuis differentia; hoc ipsum erit hujus septimi capituli argumentum.

Sedes enim hujus positionis hae sunt: 1) omnes (praeter sextam) arses, ubi tamen positionis validae jus obtinet; 2) theses impares, omnis syllabarum generis patientes; 3) theses pares brevem syllabam flagitantes.

A priori autem liquebat secundum genus nullos nobis fructus polliceri, quippe quod ne dignoscendi quidem nobis criteria suppeditet, brevisne an longae syllabae loco usurpata sit positione debili insignita. Hoc igitur inexploratum reliqui; ceterum si quis explorandi vias et explorati fructus invenerit, collaetabor.

Primum tamen temptandum esse videbatur; poterat enim fieri, ut decrescerent debiles positiones in integrâ arsi increbescente earum in soluta usu, idque non aequa ratione, sed celerius leves ($\kappa\rho$ etc.), minus celeriter mediae ($\kappa\nu$ etc.), tardius graves ($\gamma\rho$ etc.). Coepi igitur numerare; inveni in 'Medea' 35 arses positione debili formatas, qui numerus ad 1041 trimetros relatus 3,4% modulum efficit; in 'Ionis' 1054 trimetris 31 arses, sive 3%; in 'Baccharum' 921 arses, sive 3,4%. Cum ergo idem appareret modulus in severiore, libero et liberrimo stilo, nolui tempus diutius investigando terere; videntur enim sub acri arseos ictu tenues illae differentiae exaequatae esse solâque vocabulorum positionem debilem continentium in lingua Graeca frequentia ejus in arsis modulum definiri.

Nec tamen ideo de tertio genere desperavi, de eis scilicet debilibus positionibus, quae in thesibus paribus brevium syllabarum jus conditionemque obtinent; quae cum arsis solutis naturâ sint proximae, etiam evolutionis earum aliquatenus participes esse poterant. Patienter igitur totam materiam excussi; quae mihi invenisse videor, sequentibus §§ lectori proponam.

48. Primum igitur videndum erat, id quod apertissimum simulque fastidiosissimum est, quot ejus generis theses in tragoediis occurrerent. Id ipsum tabella quam adjunxi ostendit:

Alc.	806 tr.	70 th.	= 8,7%	Tro.	809 tr.	86 th.	= 10,8%
Med.	1048 »	67 »	= 6,4 »	Herc.	998 »	155 »	= 15,6 »
Held.	897 »	69 »	= 7,4 »	El.	968 »	90 »	= 9,3 »
Hipp.	1016 »	74 »	= 7,4 »	Hel.	1267 »	91 »	= 7,9 »
Rhes.	678 »	57 »	= 8,4 »	IT	1081 »	72 »	= 6,9 »
				Ion	1057 »	107 »	= 10
Andr.	952 »	62 »	= 6,5 »	Phoen.	1198 »	140 »	= 11,3 »
Hec.	932 »	72 »	= 7,7 »	Or.	1154 »	90 »	= 8
Sppl.	929 »	110 »	= 12,4 »	Bacch.	924 »	68 »	= 7,3 »
				IA	790 »	58 »	= 7,3 »

Credo omnes, qui solius severioris stili numeros consideraverint, modulorum aequabilitatem admiraturos esse, qui satis angustis finibus inter 6,4 et 8,7 variant; quem numerum non ex ipsorum vocabulorum frequentia, sed ex poetae inconscia praedilectione explicandum esse arsius modulus in praecedente § allatus demonstrat; qui enim potuit, qui illic quinque sedibus 3—3,5% fuit, hic tribus sedibus adeo crevisse? — Idem tamen admirabuntur, quicunque ceterorum agminum obliti solum ultimum respexerint, eidemque non inviti pulcram geminarum tragoe-diarum ‚Baccharum‘ et ‚Iphig. Aulidensis‘ concordiam animadvertent. Ambo porro agmina qui comparaverit, primum et ultimum, constantiam is quidem agnosceret, evolutionem non agnosceret; quippe iisdem terminis et hic et illic positionum debilium libertatem contineri.

His bene perspectis ad media agmina convertamur. Constantiam confestim desiderabimus; modulus enim inter 6,5 (Andr.) et 15,6 (Herc.) fluctuare videmus. Sed ne regularis quidem evolutionis signa apparent, siquidem semiseverae ‚Supplices‘ ‚Phoenissas‘ licentiã superant et libera ceteroquin ‚Iph. Taurica‘ ad ‚Andromachae‘ severitatem assurgit. Quid ergo his turbis faciemus?

Non est nostri juris poetae leges imponere, quibus se ipse obstringi noluit. Res ipsa tendit Euripidem, parcum antiquiore aetate in syllabis ancipitibus serendis, inde

a Supplicibus' eam curam missam fecisse, ut prout casus ferret vel 6 vel 15% emitteret; qua re factum est, ut etiam in geminis, ut ego opinor, tragoediis 'Iph. Taurica' et 'Ione', non idem esset earum modulus. Post 'Phoenissas' eum autem ejus licentiae pertaesum est, maluitque, conservata cetera versus formandi libertate, in positionibus tamen debilibus admittendis se ipse ad antiquam severitatem revocare.

Hoc ipsum licentius quispiam excogitatum dixerit; atqui certissimum est. Plane enim eandem positionis debilis et evolutionem et retractationem etiam in solutis artibus animadvertimus; cf. sodes § 41 et totam et ultimis verbis. Nam quod ibi in mediis quoque agminibus sensim sine saltibus progrediebatur libertas, delicatiori id solutae arseos naturae dandum est; ceterum in liberrimo agmine 'retro abeunte fune' rursus apparuit priorum severitas. Hae duae igitur series, cum singulae dubitationem movere potuerint, similitudine sua se invicem fulciunt et tuentur.

49. Hucusque unâ complexi sumus et omnia positionum debilium genera, et omnes versus pedes; videndum tamen est, an ex discernendis aliquid lucrari possimus.

Et illarum quidem tria esse genera vidimus, I levissimum (tenuium et aspiratarum cum ρ copulationem), II medium (earundem cum ceteris liquidis) et III gravissimum (mediarum cum ρ). Sumpsi igitur binas tragoedias ex primo medioque et ex ultimo genere:

Alc.	Med.	Sppl.	Ion	Bacch.	IA
I 37	I 25	I 52	I 60	I 27	I 30
II 31	II 39	II 45	II 41	II 32	II 28
III 3	III 3	III 12	III 6	III 9	—

Quibus enotatis ab ulteriore perquisitione destiti.

Meliore cum successu positionum debilium per singulos pedes dispartitionem examinavi. Ejus tabulam plenam appono:

	Summae	II	IV	VI
Alcestis	70	29 (41%)	12 (18%)	29 (41%)
Medea	67	29 (43 »)	13 (19 »)	25 (34 »)
Heraclidae	69	30 (43 »)	15 (21 »)	24 (35 »)
Hippolytus	74	30 (41 »)	17 (21 »)	27 (37 »)
Rhesus	57	19 (33 »)	19 (33 »)	19 (33 »)
Andromache	62	18 (28 »)	13 (21 »)	31 (50 »)
Hecuba	72	24 (33 »)	19 (26 »)	29 (40 »)
Supplices	110	37 (34 »)	21 (19 »)	52 (47 »)
Troades	86	33 (39 »)	11 (13 »)	42 (48 »)
Hercules	155	38 (24 »)	51 (33 »)	66 (42 »)
Electra	90	31 (37 »)	17 (19 »)	42 (44 »)
Helena	91	26 (28 »)	19 (21 »)	46 (50 »)
Iph. Taur.	72	27 (37 »)	17 (23 »)	28 (40 »)
Ion	107	27 (25 »)	18 (17 »)	62 (58 »)
Phoenissae	140	53 (38 »)	21 (15 »)	66 (47 »)
Orestes	90	25 (28 »)	17 (19 »)	48 (53 »)
Bacchae	68	14 (21 »)	20 (29 »)	34 (50 »)
Iph. Aul.	58	16 (28 »)	7 (12 »)	35 (60 »)

Vel secundum stilos:

Severioris	337	137 (41 »)	76 (23 »)	124 (37 »)
Semiseveri	244	79 (32 »)	53 (22 »)	112 (46 »)
Liberi	741	235 (32 »)	154 (21 »)	352 (47 »)
Liberrimi	216	55 (25 »)	44 (23 »)	117 (52 »)
Summae	1538	506 (33 »)	327 (21 »)	705 (46 »)

Hic certe operam perdidisse non videmur; quicumque enim stilorum indicem aspexerit, continuo animadvertet certa lege eorum evolutionem fieri, ea nimirum, ut constans sibi a principio ad finem quartus pes quasi firmus et fixus axis stet, circa quem volvatur rota decrescente subinde secundi, crescente sexti pedis numero. Nullam fere esse differentiam inter secundum et tertium stilum etiam haec brevior tabella ostendit: in majore majores

sunt saltus, tamen, si e. g. sextum pedem respicimus, nulla primi agminis fabula 41% transgreditur, nulla novissimi infra 50% cadit; atque hi sunt limites, inter quos, solum 'Ionem' si excipis, mediorum agminum fabulae versantur.

Stet nobis igitur

Lex de parium thesium positione debili. Progrediente poetae arte decrescit in secunda sede positionum debilium numerus, manet in quarta, crescit in sexta.

Ac nè quis ad extremum contumax etiam hanc crescendi decrescendique rationem casui tribuat, reminiscatur etiam in artibus solutis nos similem legem indagasse; nam etiam illic medii pedes, secundus et tertius, fixum efficiebant evolutionis axem eadem remanente a principio ad finem leviorum graviorumque formarum relatione, ipsa autem evolutio in extremis pedibus observabatur, primo et quarto (cum quinto), crescente graviorum, decrescente leviorum formarum numero.

Ita, quod ratiocinanti indagatori pretiosissimum est, speciales leges generali legi subsumuntur. Non semper hoc fieri nemo negabit, sed ubicunque fit, spe nos implet etiam ceteroquin arcanam universalem legem subesse, qua singula solaque hucusque apparentia regantur.

Quo maiore fiducia nunc ad haec singula nos convertere possumus.

50. Equidem in lectorum usum solos numeros attuli, catalogis, ne infinitum esset, afferendis abstinui; habeo eos tamen ante oculos inque eis hanc, ut ab eis incipiam, sextorum pedum seriem: IA 55 πατρί, 81 βάδρα, 403 τέκνων, 451. 477 δάκρυ, 481. 90 τέκνον, -α, 510 πικράν etc. Quid multa? Ita usque ad finem procedit, idemque spectaculum nobis etiam ceterae tragoediae offerunt. Unde sua sponte emergit

Lex de sexto pede. In sexta thesi positio debilis nisi in bisyllabis non admittitur.

Sunt tamen exceptiones, quas, licet sint paucissimæ, enumerasse non inutile erit: Alc. 478. 517 *Ἡράκλεις*, 659 *αἰδοφρον*, Rh. 691 *ναυστάθμων*, Andr. 438 *ἀντιδρᾶν*, Hec. 846 *συμπίτνει*. Herc. 451 *δυσπότμων*, 1405 *εὐτεκνος*, 581. 1169 *Ἡρακλῆς*, Ion 1391 *εὐκυκλον*, El. 86 *πανώλεθρος*, Phoen. 1429 *προσπίτνει*, Or. 457 *μελάμπεπλος*. Solae 14, ne singulae quidem in singulas tragoedias, inter 705 finalia vocabula positionem debilem in thesi praebentia. Et *Ἡράκλεις* quidem vocativus in tragoedia. Herculem inducente paene necessarius erat; nominativus *Ἡρακλῆς* ne necessarius esset parallela forma *Ἡρακλέης* efficiebat, qua poeta Herc. 924 et Ion 1144 in pedibus finalibus usus est, poterat etiam Herc. 1169 *ὑπῆρξ' Ἡρακλέης* uti, ubi tamen codices *ὑπῆρξεν Ἡρακλῆς* habent.

Dixerit quispiam non tantum in pectore praestare legem nostram, quantum in fronte promittere, quippe cum omnino non tantus sit polysyllaborum in spondiambum ὁ — exeuntium numerus. Est hoc sane aliquid, nec tamen adeo vitaturum fuisse poetam crediderim polysyllaba, nisi haec de qua loquor inclinatio accessisset. Nam praeterquam quod allatis 10 vocabulis tragicae lectioni accommodatisimis nil obstabat saepius uti, videmus longam seriem aliorum, velut *ἐξέπλει*, *ἀλλόθρους*, *εὐρητμος*, *εὐπατρις*, *εὐσπλος*, *ἀρτίφρων*, *σύμμετρος* κτέ, omnino in versus clausula abesse. Haec fidem faciunt potius aequandi studio ductum esse poetam, cum in sextis sedibus sola bisyllaba spondiambica admitteret.

51. Magnam contra varietatem in quarto pede habemus, neque id mirum: cum enim post caesuram semiquinariam septem sint syllabae, in quibus mediis sit hic pes, potuit poeta ad libitum suum verba extendere. Habemus igitur, si quis id curat:

	Bisyll.	Trisyll.	Tetrasyll.	Pentasyll.	Hexasyll.
Alc.	4	5	3	—	—
Med.	7	4	2	—	—
Held.	9	2	4	—	—
Hipp.	10	4	3	—	—
Rh.	3	8	5	3	—
Andr.	8	2	3	—	—
Hec.	9	4	4	2	—
Sppl.	11	4	5	1	—
Tro.	7	3	1	—	—
Herc.	23	19	9	—	—
El.	6	7	4	—	—
Hel.	12	5	2	—	—
IT	8	3	5	—	1
Ion	6	3	6	1	2
Phoen.	8	6	5	2	—
Or.	6	2	7	1	1
Bacch.	10	4	3	3	—
IA	4	3	—	—	—
Summae	151	88	71	13	4

Ultimorum numerorum paucitas nil sane memorabile habet, cum generali longiorum vocabulorum in versu paucitati respondeat; potius mirari quis possit bisyllaborum praevalentiam, quae totius summae dimidium fere occupaverunt, idque eo magis, quod bisyllaba omnia sunt unius typi, quem supra spondiambicum dixi, cum trisyllaba in duo dividantur, palimbacchio amphibrachicum ἀκρᾶντα et creticomolossicum δυσπότημοις, ut non dicam priore vel posteriore arsi soluta etiam talia ut ὀλέθρῳ vel δάκρυα usu venire. Sed hujus praevalentiae vereor ut lex aliqua indicari possit.

52. Confidentius de secundo pede agere possumus, qui regionem suam non ultra quinque syllabas extendit. Frequentiam tabella indicabit.

	Bisyll.	Trisyll.	Tetrasyll.	Pentasyll.
Alc.	8	19	1	1
Med.	10	18	1	—
Held.	7	14	9 ¹⁾	—
Hipp.	8	18	3	1
Rh.	3	16	—	—
Andr.	4	12	1	—
Hec.	6	16	2	—
Sppl.	9	22	6	—
Tro.	14	15	3	1
Herc.	10	21	7 ²⁾	1
El.	9	27	—	—
Hel.	6	14	3	3
IT	9	13	4	1
Ion	4	16	7	—
Phoen.	10	40 ³⁾	2	1
Or.	5	17	2	1
Bacch.	3	8	2	1
IA	4	10	2	—
Summae	129	316	55	11

Hic contra primas ferunt trisyllaba, quorum hic, ante caesuram semiquinariam, sedes est gratissima. Operae pretium tamen est haec trisyllaba paulo propius aspicere; sunt enim qualia *πατρώας, ἰκονῶμαι, ἀθροίσας, σκυθρωπούς, ὀπλίτης*, bacchiaca vel molossica per se, prout prima producta vel correpta pronuntiantur. Hoc si usu venit, classicam sedem habent in nostro secundo pede; si illud, prima et tertia percussa una cum ceteris vocabulis molossicis in quinto pede. Inter haec igitur optio datar:

Med. 35 οἶον πατρώας μὴ ἀπολείπεσθαι χθονός
 » 1364 ὦ παῖδες, ὡς ὤλεσθε πατρώα νόσῳ.

¹⁾ Octies in voce Ἡρακλείοι, -ους etc.

²⁾ Sexies in voce Ἡρακλείοι, -ους etc.

³⁾ Novies in voce Ἄδραστος.

Hic autem videre licet, quantillum sit, quod nostro iudicio tribui possit. Si quis enim invitetur, ut simpliciter dicat, uter versus praeferendus sit, quod respondeat nihil habebit. Re quidem vera prior — de vocis πατρώας et similium sede agitur — plus trecenties apud Euripidem offenditur, posterioris exempla inveni haec:

Med.	1364	ὦ παῖδες, ὡς ὤλεσθε πατρώα νόσω
»	1379	φέρουσ' ἐς Ἴθρας τέμενος Ἀκραιάς Δεοῦ ¹⁾
Held.	241	πράσσειν παρ' ἡμῶν τοῦςδε πατρώων χάριν
»	646	τί χρῆμι' αὐτῆς πᾶν τόδ' ἐπλήσθη στέγος
»	729	ἢ παιδαγωγεῖν γὰρ τὸν ὀπλίτην χρεῶν;
»	800	ἐπεὶ γὰρ ἀλλήλοισιν ὀπλίτην στρατόν
Hipp.	1073	ὅτ' ἐς πατρώων ἄλοχον ὑβρίζειν ἔτλης
Rhes.	84	ἀπλοῦς ἐπ' ἐχθροῖς μῦθος ὀπλίζειν χέρα
»	99	σὺ δ' ὡς τί δράσων πρὸς τὰδ' ὀπλίξῃ χέρας;
Andr.	434	δούλη γεγῶσα μήποδ' ὑβρίζειν μάδης
»	458	νῦν δ' εἰς γυναῖκα γοργὸς ὀπλίτης φανείς
»	1123	ἔσθη πὶ βωμοῦ γοργὸς ὀπλίτης ἰδεῖν
Hec.	19	καλῶς παρ' ἀνδρὶ Θρηκὶ πατρώω ξένω
Tro.	470	ὅμως δ' ἔχει τι σχῆμα κυκλήσκειν Δεοῦς
Herc.	150	σὺ δ' ὡς ἀρίστου φωτὸς ἐκλήδης δάμαρ
»	520	δεῦρ', ὦ τέκν', ἐκκρίμασθε πατρώων πέπλων
El.	342	τίνας δ' ἕκατι τάςδ' ἐπ' ἀγραυλοῦς πύλας
»	1088	πῶς οὐ πόσιν κτείνασα πατρφους δόμους
Hel.	3	λευκῆς τακείσης χιόνος ὑγραίνει γύας
Ion	806	σκήνας ἐς ἱεράς τῆςδε λαδραίως πόσις
Bacch.	698	ὄφθει κατεζώσαντο λιχμῶσιν γένυν

¹⁾ Nisi hic tamen correpta ante vocalem αι syllaba creticus restituentus est. Ceterum moneo hic trisyllaborum tantum rationem habitam esse; tetrasyllaba enim et pentasyllaba in bacchiomolossium exeuntia necessitate premuntur, ut quae in secundo pede forri non possint. Ceterum ne ipsa quidem multa sunt; notavi Hec. 783 ἀμετρήτων πόνον, Tro. 997 ἐγκαθυβρίζειν τρυφαῖς, El. ἐφεδρεῖον κάρα, IT 51 ἐπικράνων κόμας, Phoen. 179 ἐφυβρίζει πόλει, Bacch. 4 πολυχρύσους γύας, 1317 ἀριδημησθ, τέκνον. Credibile tamen est etiam hanc paucitatem illa lege explicari, quae mihi ipsa quoque hucusque inexplicata remanet.

Bacch. 1237 ἐς μείζον ἤκω, Δῆρας ἀγρεύειν χερσῶν
 IA 1030 Δαναῶν δι' ὄχλου' μηδὲ πατρῶον δόμον.

Viginti tria exempla, non amplius; quid ita? An propter ipsarum bacchiomolossicarum vocum paucitatem? At in secundo pede uberrimam earum copiam invenies. An quod molossus aegre in quinta sede fertur? At elegantissime eum ibi inter semiseptenariam (vel trochaeum semiquinariae adjunctum) et bisyllabum finale collocari innumera vocabulorum vere molossicorum exempla demonstrant. An quod in positione debili correpta syllaba productae praefertur? Praeferri aliquatenus video, nec tamen eatenus, ut 315 correptis 23 productae respondeant; demonstrant hoc numeri in § 47 allati, ex quibus apparet productas in positione debili syllabas correptarum a quadrante ad semissem efficere. Immo subest rei arcana quaedam lex non extrinsecus data sed intrinsecus nata; nos interea eam, quae apparet, legem notabimus, scilicet:

Legem de vocabulis bacchiomolossicis. Legitimus eis locus est correpta prima in secundo pede, non producta in quinto.

Atque haec sunt, quae de positione debili in trimetri Euripidei evolutione invenisse mihi videor.

CAPUT VIII.

De deperditarum tragoediarum chronologia.

53. Sed jam satis sevimus; adest metendi tempus. Quamquam enim pro satis ampla messe nobis erant evolutionis leges, quas in inquirendo subinde invenimus, tamen non eo consilio hanc operam suscepi, ut inventis acquiescerem, sed ut inventarum ope ad deperditarum tragoediarum tempora accuratius definienda uterer. Valet hoc in omnia capita praeterquam in ultimum; nam quae ibi apparuerunt leges, amplio rem trimetrorum copiam desiderant, quam quae nobis in fragmentis suppeditatur.

Ipsum consilium ne cui temerarium videatur, monendum est non eam fore methodum nostram, ut e. g. solutionum modulo in 'Antiopa' vel 'Phaethonte' deducto, et cum illo, quem § 5 ex superstitibus tragoediis deduximus, comparato continuo de aetate earum conjecturam faciamus; fallax haec sane esset in tanta versuum paucitate procedendi via. Nec tamen omnino neglegenda; utcumque enim est, defectus solutionum in majore trimetrorum numero probabilem reddit severiorem, largior earum copia liberum tragoediae stilum, nostra autem philologorum opera saepius in probabilitate sectanda consistit, quam fateri assueti sumus. Verum nos praeter solutionum modulos, de quibus multos cogitasse verisimile est, etiam alias leges haud paucas adhibere possumus, qualitativas praesertim, quae a numero minime pendent; sciendum autem est duas probabilitates de eadem re diversis viis inventas verisimilitudinem, duas verisimilitudines certitudinem efficere, eam dumtaxat, ultra quam aspirare operis nos nostri conditio vetat.

Quibus praemonitis jam ad fragmenta perlustranda accingamur, alphabetico ordine Nauckiano utpote commodissimo procedentes. Vix opus est addere praeter editionem Nauckianam (cum supplemento) supplementumque Arnimianum paucas tantum, quod dolendum sit, tragoedias complectens etiam alia me quotquot mihi innotuerunt fragmenta adhibuisse. Collegeram ea in sexto volumine »Theatri Euripidei« ab amico meo defuncto Inn. Annenski elaborati; quod volumen jam absolutum editorique Mosquensi ante hos tres annos traditum quando proditurum sit, daemones norunt infelicis illius populi fata regentes.

54. De 'Aegeo' pauca dicenda erunt; exhibet ille in 12 trimetris unam solutionem, *πολέμων* in quarto pede prima percussa. Favent ea fabulae superiori stilo assignandae, quae etiam vulgaris opinio est; 'Medeâ' priorem eam censet Wilamowitzius ratione ductus sane probabili.

Melior est *Aeoli'* conditio. Is in 58 trimetris 6 solutiones exhibet, quod modulum efficit 10% semiseveri signi indicium. Examinemus porro has solutiones: fr. 15, 3 ἀρετή (II), 16, 1 Ἄρεος 3 μεγάλα, 30, 2 πατρίδος, 35, 1 τὸ δέ, 38 διαφέρει. Earum quarta positionem debilem continet, sed levissimam, in severiore stilo tamen raram (§ 12), in semisevero aliquanto frequentiore, in quo etiam hoc ipsum πατρίδος vocabulum primum occurrit; quinta autem legem de polysyllabis violat idque tali modo, qui in severiore stilo plane inauditus (§ 13) in semisevero demum occurrere incipit (§ 21). Iam cum citra *Pacem'* Aristophaneam eam parodia revocet in ea occurens, satis arctis tragoediam nostram terminis circumscribere possumus a. 427—422.

Alexandrum' simul cum *Troadibus'* a. 415 actum esse constat; non igitur legibus nostris ad tragoediae annum indagandum utemur, sed noto anno ad leges ipsas examinandas. Continet illa quidem in 32 trimetris 5 solutiones, h. e. 16%, qui modulus etsi non plane *Troadum'* libertatem (21%) attingit, satis eam tamen prope, si exituum servatorum trimetrorum numerum respicis, accedit. Ipsae autem solutiones hae sunt: fr. 48, 1 Πρίαμ', 60, 2 πόλεμον, 55 ἄδικον (I), 56 δι-αβολαί (II), 58 διά. Gratias nos agere oportet *Fortunae* de quarta solutione conservata; est enim ille ipse paeon primus secunda percussa, qui ante *Troadas'* omnino non invenitur, libero autem stilo adeo familiaris est, ut omnium quotquot legem de solutione initiali violant dimidium occupaverit (§ 30). Nam quinta etsi ipsa quoque legem de polysyllabis violat, lenissima id tamen forma facit, quae, etsi perraro, jam in severiore stilo invenitur.

Anapaestus semel tantum in fragmentis nostris occurrit isque ejus formae, quae omni tragoediarum aetati apta est — πενία (fr. 14, 3).

55. Sequuntur *Alcmeones'* duo, felicissimus legum nostrarum experiendarum campus. Utriusque enim annus

constat: 'Psophidensis' simul cum 'Alcestide' a. 438 scaenam vidit, 'Corinthius' postumae pars fuit trilogiae. Polaris est igitur inter eos divergentia; et si est quidquam in legibus nostris bonae frugis, aut hic aut nusquam id apparebit.

Fragmenta enim, quae est communis citantium negligentia, sub solo 'Alcmeonis' nomine pleraque afferuntur, quo fit ut ad utrum pertineant nesciatur. Illustravi ut potui has tenebras disputatiuncula a. 1922 'Mnemosynae' inserta, qua quid leges nostrae doceant simpliciter edixi, de singulis ad hanc ipsam disquisitionem lectorem revocans.

Copiosissimum 'Alcmeonum' fragmentum 67 est, septem versus continens, qui nobis omnes afferendi sunt:

ὁ φόβος, ὅταν τις σώματος μέλλῃ περί
λέγειν καταστάς εἰς ἀγῶν' ἐναντίον,
τό τε στόμ' εἰς ἐκπλήξιν ἀνθρώπων ἄγει
τὸν νοῦν τ' ἀπείργει μὴ λέγειν ἃ βούλεται.
τῷ μὲν γὰρ ἐνὶ κίνδυνος, ὁ δ' ἀθάστος μένει.
ὁμῶς δ' ἀγῶνα τόνδε δεῖ μ' ὑπερδραμεῖν
ψυχὴν γὰρ ἄλλα τιθεμένην ἐμὴν ὀρώ.

Fragmentum ne lemmate quidem pleno ἀκμ' citatur, quae res ansam dedit Engelmanno (Arch. St. z. d. Trag. 52 sq; cf. Nauck, Trag. dict. ind. XV) ad 'Alcmenen' id trahendi; quod qua re fieri non possit, apparebit, cum ad 'Alcmenen' venerimus. Ceteri 'Psophidensi' assignant; cum enim matricidii causam dicturus esse videatur Alcmeon, probabilius erat recenti id eum etiamtum re in 'Psophidensi' fecisse, quam tot annis praeterlapsis in 'Corinthio'. Ego de argumento ad commentationem meam revoco lectorem; hic ea tantum affero, quae ad trimetri artem pertinent.

Solutiones enim, quae in hoc fragmento inveniuntur, ita sunt comparatae; ut et universae et binae et singulae severioris stili leges violent; atqui tenendum est Alcmeonem Psophidensem' a. 438 cum 'Alcestide' actum huic ipsi severiori stilo assignari. Primum enim quatuor sunt in septem

versibus, cum ibi centeni quinas vel senas patiantur. Tum v. 5 duas exhibet, quae cumlatio in severiore stilo adeo rara est, ut singulae tragoediae binos non amplius tales versus contineant. Tum tribrachys fractus ὁ φόβος legem de primo pede violat; quae violatio in severiore stilo plane inaudita (§ 8), in semisevero admodum rara (§ 26) in libero demum aliquoties apparet (§ 26), in liberrimo saepius (§ 36). Tum solutio ἐν legem quae est de polysyllabis violat, cujus violationis in severiore stilo nullum extat exemplum (§ 13). Tum neglecta post solutam III arsin semiquinariā lex VI tollitur (§ 10). Sed omnium gravissima est legis de polysyllabis ignoratio bis fracto IV pedis anapaesto ὁ δ' ἄδῶ(ος); tales enim ante Helenam non occurrunt. Ceterum etiamsi non fractus esset hic anapaestus, a severioris stili usu tamen respueretur (§ 9).

Haec omnia efficiunt, ut a severioris stili tragoedia, qualis fuit Alcmeon Psophidensis, plane abhorrere videantur hi trimetri. Brevius de aliis aliquot fragmentis agere poterimus. Fr. 68 Nauckius adeo confidenter 'Psophidensi' attribuit, ut etiam Phegei regis nomen praeponeret; sed dactylus μητέρα in primo pede vehementissime severiorem de eo pede legem infringit neque ante liberum stilum tollerari potest. 'Psophidensi' citationis auctor assignat corruptum fr. 71, quare excluditur Gomperzii in primo pede αἵματι conjectura. Contra fr. 80

φεῦ φεῦ, τὰ μεγάλα μεγάλα καὶ πάσχει κακὰ

propter duplicem solutionem 'Corinthio' assignabimus, cujus aequalis 'Baccharum' fabula v. 971 similem sententiam continet. Tum fr. 84

ἢ τι πλέον εἶναι παῖδας ἀνδράποισ, πάτερ

in primo pede bis legem, quae est de eo pede, itemque de polysyllabis legem violat, qua re 'Corinthio' est dandum; Amphiloichi sunt verba, sive ad Creontem ante, sive ad

Alcmeonem post anagnorismum. Novum deinde Reitzensteinii ex Photio fragmentum

A. ὡς ἄμπελον, ᾧ δύστηνε, σῶμ' ἔχεις σέθεν.

B. ἐν τοῖςδ' ἄησιν καὶ θερος διέρχομαι

etsi critico loco corruptum est, tamen quoniam sine solutione vix restitui potest (*ἀμελής* Schwartz, *ἄπεπλον* Wilamowitz), propter liberam primi pedis conformationem (Corinthio) potius attribuendum videtur.

56. Alcmeone' in 23 trimetris unam exhibet solutionem eamque in nomine proprio, quo neque carere poterat tragoedia neque integra arsi uti: fr. 89

οὐ γὰρ ποτ' εἶων Σθένελλον εἰς τὸν εὐτυχῆ

Quare eam nostro jure inter severioris stili recipiemus fabulas.

De Alope' judicium ex fr. 112 pendet:

ὁ χρόνος ἅπαντα τοῖσιν ὕστερον φράσει,

quod lege de primo pede violata (cf. quae de ὁ φόβος in Alcmeone' modo diximus) tragoediam libero stilo vindicat modo certum sit ex Alope' id depromptum esse! Nauckius quidem in Supplemento Hensio assentitur Aeolo' id assignanti rationibus nequaquam certis; equidem malim de Alope' verum esse, cum in semisevero stilo, cui dandum vidimus Aeolum', hanc primi pedis libertatem aegre ferendam esse censeam.

Anapaestus autem qui initio sequentis versus legitur *λάλος ἐστὶν οὗτος* Canteri conjecturae debetur, cum codices *ἄλλος* habeant. Ille vero ne in liberrimo quidem stilo ferri posset, ut huic sane criterio nihil tribuendum esse videatur.

Andromedam' aequalem fuisse Helenae' (a. 412) constat; quodsi in 55 trimetris 13 solutiones continet, h. e. 23,6%, cum Helena' 29,4% exhibeat, non obliviscendum

est Helenam' aetati suae praecurrere, cum insequentes fabulae, Iph. Taurica' et Ion', 22,5% et 24% ostendant, ut quantitativa analysi plane contenti esse possimus. Sunt autem solutiones hae: fr. 124, 2 *διά*, 3 *πόδα*, 126 *ἄπορος*, 127, 1 *κρεμαμένην* (IV), 128, 1 *ὦ ξένε* (I), 132, 2 *εἴτ' ἄλοχον* (I), 134 *ἔλαβον* (II), 136, 2 *τὰ καλά*, 1 *χάριτας*, 140, 2 *μέγα*, 141 3 *ὄ σε*, 144 *τὸν ἐμόν* (I), 154 *τὸ κατά*. Legum de primo pede et de polysyllabis violationes tot et tales sunt, ut severiori stilo tragoedia nullo pacto assignari possit, sed *ὄ σε* etiam in semisevero vix esset ferendum.

Anapaestus occurrit unus isque legitimus: fr. 149 *νεότης*.

Antigona' in 36 trimetris 8 continet solutiones, qui (22,2%) liberi est stili modulus: 158, 1 *εἴτ' ἐγένετ'* (I), 163, 1 *ἀμαθίας* (IV), 167, 1 *πατράσι*, 168 *ὀνόματι* (I), *τὸ νόσον*, 170 *ἱερόν*, 173, 2 *πόλεμος* (I) 176, 3 *σκοπέλον*. Liberum stilum arguit primi exempli dactylus ponderosa longa et elisione notabilis; proceleusmaticus primi pedis *ὀνόματι* etiam in semisevero displiceret.

Anapaesti fr. 162 *ἀφύλακτος*, 176, 1 *θάνατος γάρ*, 176, 4 *ὀδύναισι* et numero et cónformatione — loquor de tertio typo *θάνατος γάρ* ante Troadas' rarissimo — ipsi quoque liberum redolent stilum.

57. Ad Antiope'n' pervenimus, quae propter rationes chronologicas antiquitatis testimonio fultas ultimae poetae aetati assignari solet; equidem a. 410 crediderim. Cum igitur inter Iph. Tauricam' (22%) et Phoenissas' (29%) acta sit, in 202 trimetris 30 solutiones continet, h. e. 15%, semiseveri paene stili modulum, quae res propter trimetrorum numerum solito majorem etiam magis notabilis est.

Sed videamus de singulis. Habemus I pedem solutum 198, 4 *φύλακα*, Supplem. C 42 *πεδία* (nam quod gravissimum esse poterat, 182 *ἀμφ' ὀδόν*, de ejus sede non constat); II — 184, 1 *ἄτοπον εἰς*, 185 *ἀμελείς*, 201 *βίοτον εἰ*, 203 *θαλάμοις*, 215, 2 *ἀλόχων*; III — 179, 2 *-ω πεδία*, 185, 3 *-μω διαπρέπεις*; 186, 3 *-τω δυνάμενον*, 187, 2 *-κούς ἀμελία*, 188, 2 *πολεμικῶν*(?),

200, 2 *αὐ πόλεμον*, 4 *-ω δ' ἀμαδία*, 209, 1 *-ξείν ἔμαδον*, 219 1 *-γή στεγανός*, Sppl. A 9 *-α πολεμίων*, 13, 8 *δορυφόρου*, 13 *-τε περίβολον*, C 37 *-της ἄλοχου*, 39 *-σᾶς Ἄρεος*, 40 *-κης ὄνομα*, 42 *-βης ὕδασιν*, 93 *δᾶν ὄσιος*, 48 *-ω διά*, 69 *Ἄρεος*, 71 *-γη πεδία*; IV — Sppl. C 19 *διαφορομένη*, 46 *πολεμίων*. Omnes igitur sunt tales, ut vel severissimis legibus, quales cap. II enucleavimus, satisfaciant. Duas in uno versu solutiones semel habemus Sppl. C 42

πεδία τὰ Θήβης ὕδασιν ἐξάρδων ἀεί

quod ne ipsum quidem in tanto versuum numero offensionem est. Prorsus mira autem videbitur severitas, si legem de polysyllabis respicimus. Ejus enim violationum numerus in liberi stili tragoediis paene quartam partem efficiebat; hic in 30 exemplis ne semel quidem violata est.

Videamus nunc de anapaestis. Duo soli inveniuntur, quod ipsum quoque severitatem arguit: fr. 201, 4 *ἀκόλαστον*, IV Arn. IV 82 *ἴτε νῦν*. Prior severo stilo accommodatus est, sed posterior omnes quotquot innotuerunt libertate superat.

Quid igitur hac tragoedia faciendum est? Iterum eandem habemus difficultatem, quae jam in *Electra* nos suspensos tenuit: externa testimonia fabulam posteriori anno assignant, interna structura priorem prodit. Credo etiam solutionem eandem esse debere; non eodem anno, quo scaenam vidit, etiam scripta esse debuit. Nos certe utrumque concidere praesumimus; num communi poetarum usu ducti? At si e. g. Grillparzerum spectamus, qui nos commentariis suis de fabularum origine et incremento certiores facit, videbimus eum saepius tragoediam incohasse, tum seposuisse, tum aliquot annis praeterlapsis relégisse; quod nimis humanum est, quam ut antiquos poetas semper electum thema intra paucos menses absolvisse putandum sit. Sit haec plerumque praesumptio nostra; sed sit quoque exceptioni locus, ubi annus indicatus et interna criteria in diversa nos ducunt.

'Antiopen' vero eo probabilius est per plures annos poetae mentem occupasse, quod haec revera ipsius animi tragoedia fuit; omnes enim scimus eum in Amphione suam imaginem populo monstrasse. Valet hoc imprimis in duorum fratrem agone; ex hoc nobis plurima sunt servata fragmenta, eaque maxime sunt severitate sua insignia. Multo liberior est ultimarum scaenarum structura, quas facile credimus extrema aetate a poeta elaboratas esse.

58. 'Archelaum' in Macedonia scriptum a. demum 407—406 Dii scaenae commissum esse constat: liberrimi igitur fuit stili tragoedia. Eidem aetati eum etiam trimetri in fragmentis structura vindicat. Continent enim, 69 numero, 19 solutiones, quod 27,5% efficit; qui modulus si non plane 'Orestae' vel postumarum fabularum licentiam aequiperat, gnomologico plurimorum fragmentorum characteri dandum est, praesertim cum non adeo magna sit differentia. Ex his vero 69 trimetris quattuor binas exhibent solutiones:

- 228, 1 Δαναός ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ
 248, 1 οὐκ ἔστι πενίας ἱερὸν αἰσχίστης θεοῦ
 255, 5 ὁπότεν ἄφνω μολούσα διολέση κακοῦς
 257, 2 ἢ τ' ἄξυνεσία, δύο κακῶ τοῖς χρωμένοις

quae frequentia ipsa quoque liberrimi stili indicium est.

Iam solutiones hae sunt. In I pede: 228, 1 Δαναός, 4 Αἰθιοπίδος, 252, 2 μεγάλη, 255 μακάριος. In II: 248, 1 πενίας, 257, 1 ἄξυ-νεσία. In III: 228, 5 νόμον, 233, 2 πατέρα, 235 ἀμαθία, 236 τὰ καλά, 239, 2 οὔτε πόλιν, 243 ὀλίγον, 248 ἱερὸν, 255, 1 ξυνετά, 255, 5 διολέση, 257, 1 ὁ μέγας, 257, 2 δύο. In IV: θυγατέρων. Primi pedis solutiones severam normam fere non transgrediuntur, nam tetrasyllabum (μακάριος) jam inde a semisevero stilo invenitur, Αἰθιοπίδος autem, quod solum insolentius est, nominis proprii libertate excusatur. Graviter autem, solutionum initialium lex infringitur in secundo pede pentasyllabi ἄξυνεσία tertia percussa, quae

licentia non invenitur ante Helenam' 493 καλλιδόνακος, tum IT 1284 ναοφύλακες, Ion 54 χρυσοφύλακα, Or. 597 αξιόχρεως (§§ 30, 40). In tertio pede polysyllaborum lex quinquies violata est: νόμον, τὰ καλά, πόλιν, ὁ μέγας, δύο, in quarta igitur solutionum parte; qui modulus et per se liberrimo stilo aptus est, et bisyllaborum. in quibus solutio fit, pondere confirmatur.

In summa, et quantitativa, et qualitativa trimetrorum analysis plane et inter se concordant et cum externis de tempore fabulae testimoniis concinunt, quae res cum legum nostrarum utilitatem confirmat, tum vero de 'Antiopes' conditione majorem scrupulum injicit.

Nam anapaestos fragmenta nostra exhibent duos: 231, 2 πατέρων, 244 ὀλίγοι; numerus is est, quem expectare licebat, structura legitima nil de aetate prodit.

59. Auges' 28 trimetri 11 exhibent solutiones, qui modulus (39%) summa cum probabilitate eam aut liberrimo aut — paucitatis ratione habita — libero stilo assignat. Ex his trimetris unus duas solutiones anapaesto cumulat, 265, 2

ἀδικεῖν τὸ δ' ἀδικημ' ἐγένετ' οὐχ ἐκούσιον

quæ licentia ipsa quoque ultimae aetatis est.

Solutiones habemus has. In I pede: 266, 2 κού μυσάρá, 274 τὸ γὰρ ἐπιεικές, inc. 920 ἡ φύσις. In II: 265, 2 ἀδικημ', 275, 2 ὀλίγη. In III: 265, 2 ἐγένετ', 273, 3 διὰ τελους, 275, 3 ὄνομα, 4 μεγάλ', 276, 1 τὰ μέν, 2 Δράσος. Tribrachys triperititus in I τὸ γὰρ ἐπ. primum in 'Phoenissis' occurrit (390 τίς ὁ τρόπος); crasis autem in I pedis thesi κού μυσάρá etsi plane similia exempla in liberrimo demum stilo invenit (Or. 170 κούχ ὑποτρέχων, Bacch. κού Θεομαχίσω, IA 1147 κούκέτι, 925 κούποτε), tamen jam in Ione' 403 μῶν χρόνιος, 853 τοῦνομα necessitudine quadam adjuncta habet. Legis de polysyllabis violationes γὰρ ἐπ', διά, καὶ μέν, Δράσος, φύσις et numero et qualitate ipsae quoque posterioris sunt

aetatis. Unicus qui occurrit anapaestus 265 ἀδικεῖν legitimus est.

Omnia igitur conspirare videmus, ut ‚Augen‘ aut liberrimo stilo, aut liberi proveciori agmini assignandam putemus. -

‚Bellerophon ten‘ Aristophanis in ‚Acharnensibus‘ allusio severioris stili limitibus circumscribit. Ejus 87 trimetri 7 solutiones habent, qui modulus 8%, ipse quoque severioris est stili.

Singulas solutiones si examinamus — 285, 8 δάλαμόν, 15 διά, 287, 7 παραβαίνοντας (II), 289, 1 φόνια, 301, 2 διέφυγον, 3 πολεμίων, 305, 1 Δαναϊδῶν — primum omnes praeter unam in tertio pede collocatas videbimus, quae stricta praevalentia ipsa quoque antiquitatem redolet, tum omnes esse severioris aetatis legibus adaptatas; nam quod semel in διά τέλους polysyllaborum lex violatur, levissima id forma fit, quae a severioris stili usu non discrepat. Aegrius ferimus semiseptenariam in II pede soluto (παραβαίνοντες), verum etiam ea in Hipp. 78 ποταμιάσιν exemplum quo se tueatur habet.

Anapaesti denique duo 285, 5. 13 πενίας, -α legem servant.

‚Dánae‘ in 72 trimetris 3 exhibet solutiones, sive 4%, qui modulus haud dubie est severioris stili. Eodem nos solutionum qualitas ducit — 317, 2 ἀναβολάς, 322, 4 βίοντον, 328, 4 πολέμον — quae omnes sunt in III pede omnesque sinceræ severitatis.

‚Dictys‘ aequalis est ‚Medeae‘ severiorisque ut ipsa agminis. Quapropter in 54 ejus trimetris 3 solae inveniuntur solutiones, qui modulus legitimum 6%, nondum attingit. Ipsae — 336, 1 ὀλίγ‘ 339, 1 πατέρα (I), 340, 3 πόλεμον — omnes severam regulam profitentur.

60. ‚Erechtheus‘ externis testimoniis anno 421 vindicatur. Neque obstant quae in 114 ejus trimetris 19 occurrunt solutiones, quae 16,6% efficiunt modulum semisevero stilo aptissimum.

Ipsae autem sunt hae. In I pede: 349 *Αἰθιοπίαν*, 360, ¹ τὰς χάριτας, 362, ³⁰ ἢ πόλεος. In II: 354, ² ἄδικος, 360, ¹⁹ ἀριθμόν, 362, ³¹ ἀδόκητ'. In III: 350, ¹ πέλανον, 353 ἄδικα, 360, ⁹ διαφοραῖς, ¹¹ πόλεος, ¹³ πατρίδα, ¹⁸ μίαν, ²¹ πόλεος, ²³ πολεμία, ²⁸ δάκρυ', ³³ ἔλαχον, ³⁴ στέφανος. In IV: 351 ἐπίκουρος, 360, ³⁰ δύο δ' ὁμοσπόρω. Lex severior de primo pede bis violata est, sed dactyli ambo fracti sunt, ex monosyllabo levi sequentibusque binis brevibus constantes, quod plane semiseverae legis formae IIIb respondet (§ 16). Lex de quarto pede ipsa quoque ad semiseveri stili normam servatur; habemus unum anapaestum integrum, ut Hec. 276 *ικετεύω*, et unum tribrachyn fractum, qualis est Andr. 555 *τίνι δίκη*. Lex de positione debili ter violata est, levisimo tamen planeque semiseverae regulae adaptato modo: *ἀριθμόν, πατρίδα, δάκρυ'*, nulla graviore copulatione admissa. Idem de polysyllaborum lege valet, cujus duae violationes — *μίαν, δύο* — ne ipsae quidem a semisevera regula recedunt. In summa etiam hic perfectam habemus externi testimonii et internae structurae concordiam.

Nam quod anapaesti novem — 351 *ὀλολύζετ'*, 356 *ὀλίγους*, 360, ^{18, 35} πόλεως, ²⁵ θάνατον πρ., ⁴⁵ προγόνων, ⁴⁹ στέφανοισι, 362, ¹¹ ἀδίκως, ²² ἀκόλαστα — numerosiores sunt, quam pro 114 trimetris in semisevero stilo expectandum erat, casui id tribuendum est; typi omnes sunt legitimi I et II, unum si excipis III *θάνατον πρ.*, sed etiam hic, etiamsi in semisevero stilo rarus apparet, nequaquam tamen ab eo alienus est.

Theseus' propter 'Vesparum' parodiam (a. 422) stilo aut severiori aut semisevero ineunti assignandus est. Hoc potius suadere videntur quae in 26 ejus trimetris inveniuntur 3 solutiones, c. e. 11,5%; nisi quod minor est et hic et ille numerus, quam ut multa inde lucrari possimus. Tamen inter illos trimetros unus est 384, ²

βᾶνῶ δὲ πεδός' ἐγκέφαλον' ὀμμάτων δ' ἄπο

duabus solutionibus insignis, nec minus tamen neglecta

post solutam secundam et ante solutam tertiam semiquinaria et, quod gravissimum est, neglecta de solutionibus initialibus lege; hae libertates, cumulatae praesertim, severiori stilo fabulam assignari vetant. Sit igitur semiseveri una, medio propior quam ineunti.

Corrueret haec argumentatio, si recte se haberet Wilamowitzii sententia, qui hunc *Thesea'* simul cum *Aegeo'* et *Hippolyto priore'* trilogiam effecisse contendit; verum haec sententia, licet apud quosdam (cf. Dieterichii apud P.-Wisowam commentationem) jam in dogma abierit, mihi semper visa est elegantis potius lusus ingenii quam solida argumentatio, nec mihi persuadere potui Euripidem ante *Troadas'* trilogias composuisse.

Thyesten' ante a. 425 actam esse aliunde constat, fragmenta utpote exilia nil contribuunt.

Ex eodem fonte etiam *Ino'* a. 425 antiquiorem esse scimus; ejus tamen etiam trimetri servati sunt 76 cum 3 solutionibus, qui est 4% modulus severiori stilo accommodatissimus. Nec refragatur solutionum forma — 415, 4 *γενεῆ* (II), 420, 1 *διὰ μακρῶν*, 421 *ἄλυχος* — et ipsa hujus stili leges observans.

Hippolytum priorem' utpote priorem severioris fuisse stili patet. Idem fragmenta testificantur in 37 trimetris 2 solutiones (5,4%) exhibentia, quae etiam forma sua — 435 *διαβάλης*, 439, 3 *στόμασι* — severam regulam profitentur.

Cadmus' nullis trimetris innotuit.

Cresphontes' *Nubium'* allusione citra a. 423 consignatus severiorisque stilo addictus in 20 trimetris nullam praebet solutionem.

Cressarum' fabula *Alcestidis'* aequalis (a. 438) in 23 trimetris 2 solutiones continet, qui modulus (9%) severioris stili limites non transgreditur, praesertim si versuum paucitatem respexeris. Ejusdem normae est qualitas earum: 460, 1 *περιπεσεῖν*, 468 *κύλικος*. Accedit *anapaestus* unus — 467 *πελάνω* — legitimus et ipse.

‚Cretensium’ tempus aliunde nobis cognitum non est; propter trimetrorum tamen naturam, qui cum 42 sint, nullam exhibeant solutionem, severiori stilo addicendi sunt, donec aliud probetur.

‚Licymnii’ fragmenta nimis sunt exilia.

61. Sequuntur ambae ‚Melanippae’. Et ‚Sapiens’ quidem in 42 qui ei certo ascribuntur trimetris solutiones habet 7, qui 16,6% semiseveri est stili modulus. Ipsas si spectamus, habemus prol. 10 *Κεκροπίας*, 12 *ὄνομα* (I), 13 *Μελανίππην* (II), 14 *Δυγάτηρ* (II), 482, 2 *σαφείσιν* (II), 484, 1 *κούκ έμός* (I), 487 *ιερόν* (II); suntque tales, ut propiorem libero stilo locum tragoediae nostrae dare cogamur. Primum enim tertii pedis praevaletia sublata esse videtur, quod ex parte casui, ex parte tamen etiam aetati tribuendum est. Positionis debilis in primo exemplo conditio omnibus stilibus convenit; de dactylo tamen in paenultimo idem dicendum est, quod ad ‚Augen’ § 59 diximus, eum vi quadam tragoediam ad posteriora tempora trahere, nec tamen ultra ‚Lysistratae’. Habeat ergo locum suum in ipso liberi stili limine; optime haec conveniunt eis, quae ceteroquin de fabulae ejus aetate conjicere possumus, quaeque partim jam supra (l. I § 72) exposui, cum antidelphicae poetae aetati (a. 431—413) eam vindicarem, partim alio loco data occasione expositurus sum.

Alteram vero, ‚Reclusam’ cum propter argumentum ‚Sapiente’ posteriorem fuisse necesse est, tum propter fragmentorum structuram haud dubie libero est stilo assignanda, ita tamen, ut Aristophanis ‚Thesmophoriazosis’ (411) paulo antiquior fuerit¹. Habet enim in 83 trimetris solutiones 19, h. e. 26%, qui modulus liberi stili classicus est.

¹ Eodem nos fr. 507 deducit *τί τοῦ Δαρώντας οὐκ ἔξς τεθνηκέναι*, quem versum ab Eupolide in ‚Demis’ (a. 412) citatum esse nuper didicimus; nam Roberti dubitationes bene refutasse videtur St. Srebrny (*Demy Eupolisa* [1922] p. 33 sqq.).

Et in I quidem pede fr. 6 Arn. 19 *ιερά*, 20 *ῥοια*; in II 492, 2 *χάριτας*, 5 *ἀριθμόν*, 6 Arn. 16 *ιερω̄*; in III 492, 4 *στόματα*, 493, 5 *ὑγιές*, 8 Arn. 13 *ἔχομεν*, 26 *διορίσω*, 29 *διαφέρουσιν*, 500, 1 *πατέρ*, 2 *μεγάλα*, 504, 2 *ἐγένετ'*, 502, 8 *διαλύσεις*, 495, 3 *πάλιν*, 11 *πίτυλον*, 29 *σοφόνω*, 34 *ῥρεος*; in IV 491, 1 *ἄτεκος*. Quae omnes qualitate non tales sunt, ut de aetate quicquam ex eis colligere possimus. Idem de duobus anapaestis 492, 4 *ἀχάλιν'*, 502, 16 *ἀνόητος* valet.

Meleagri' 59 trimetri cum 16 conspersi sint solutionibus, qui modulus est 26.6%, de libero stilo non est quod dubitemus. Quin adeo duo versus binas exhibent solutiones:

526, 2 *τοῦτ' ἔστιν ἀρετή· τὸ δ' ὄνομ' οὐ διαφθερεῖ*

537, 2 *κάρηνα πυρσαῖς γέννσι Μελανίππου σπάσαι.*

Omnes autem solutiones hae sunt: in II pede 517 *μελέαν*, 518, 5 *βίοτου*, 526, 3 *ἀρετή*; in III — 515, 2 *πεδιά*, 516, 1 *πολύμετρον*, 526, 2 *τὸ δ' ὄνομ'*, 530, *βότρυσι*, 3 *πατρίδα*, 5 *πελέκως*, 7 *ἴχνος*, 531 *ἔλαβε*, 533 *ὁ δ' ὑπό*, 534 *τὸ δέ*, 537, 2 *γέννσι*; in IV — 515, 1 *Πελοπίας*, 537, 2 *Μελανίππου*. Vides satis frequentes esse legum et de positione debili (*βότρυσι*, *πατρίδα*, *ἴχνος*) et de polysyllabis (*ἴχνος*, *τὸ δέ*, *τὸ δ' ὄνομ'*, *ὁ δ' ὑπό*) violationes; inter ultimas duae sunt, quae elisionis ope terna vocabula in singulis arsis collocent, quae res non tam liberi quam liberrimi stili indicium praebet.

Anapaesti duo sunt, alter 518, 5 *ἀνάδημα* legitimus, alter 530, 4 *Κύπριδος δέ* et propter positionem debilem, et propter insolitum III typum insignis, novum posterioris originis indicium addit.

62. Oedipum' 31 trimetri 10 solutionibus luxuriantes (32%) aut libero aut liberrimo stilo vindicant; ipsarum ratio — 540 *ὑπό*, 541, 1 *Πολύβου* (II), 548 *ῥφελος* (I), 549. 554, 2 *μεταβολάς*, 551 *φρένα*, 552 *πότερα* (I), 2 *συνετόν* (I), 553, 2 *ἀμαθές* (II), *τὸ δ' ἐπικρύπτεισθαι* — ea est, ut propter praevalentiae et polysyllabarum leges graviter violatas — vides enim tria vocabula elisionis ope in eadem

arsis collocata τὸ δ' ἐπικρ. — eidem aetati fabulam assignent. Invenitur etiam versus duas solutiones exhibens 553, 2:

εἰς πάντας ἀμαθές, τὸ δ' ἐπικρύπτεισθαι σοφόν.

Anapaesti numero duo, qualitate — 543, 1 *μεγάλη*, 4 *ἀλόχου* — legitimi.

Οeneum' contra Aristophanis in *Acharnensibus*' alusio severiori affigit stilo; quo libentius 21 ejus trimetros nulla solutione mitigari videmus.

Οenomaus' ut *Phoenissarum*' (a. 409) aequalis liberi fuit stili fabula; quod tamen nisi aliunde sciremus, ex ipsis fragmentis concludere non possemus, qui neque multi sunt — non enim plures 24, — et sententiosa gravitate procedentes solutionum libertatem vitant.

Palamedes' ejusdem ac *Troades*' trilogiae ineunte libero stilo a. 415 actus in 23 qui servati sunt trimetris ter solutionem adhibet, qui modulus quod spe minor est (13%) fragmentorum paucitati tribuendum est. Inest tamen praeter liberio rem 583, 2 τὸ σοφόν solutionem etiam versus bis solutus 585, 2.

ἀθάνατος αἰεὶ δόξα διατελεῖ μόνον

in primo pede legem etsi non graviter violans.

Perithous' in 25 trimetris semel tantum — prol. 6 *ὄνομα* (IV) — solutionem admittit, quare ceteris non obstantibus praesumere licet severioris eam fuisse stili fabulam. Nec tamen multum huic praesumptioni tribuerim.

Peliadum' fabula, qua prima poeta a. 455 scaenam temptavit, quod in 23 trimetris unam exhibet solutionem, severiori stilo aptum est. Est 606 *ἄδικ'*; nam altera, qua Nauckius per conjecturam hunc versum ditavit, solutio in tam antiqua tragoedia ferri non potest.

Pelei' nimis pauci sunt servati trimetri.

Plisthenes' ne ipse quidem multis innotuit, 13 solis, sed in eis tres habet solutiones, praeter 626, 6 *παρά* duas uno versu conjunctas 625:

οὐ τὸν σὸν ἕκταν πατέρα, πολέμιόν γε μὴν,

quare non injuriā hanc tragoediam libero tribuimus stilo.

Confidentius Polyidum' huic libero stilo assignabimus, qui in 34 trimetris 9 solutiones (26,5%) inque eis tres uno versu conjunctas exhibet 641, 3

πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε διὰ τὸ συγγενές

anapaesto praeterea variegato. Ceterae 6 hae sunt: 636, 2 νομάδα, 642, 3 δύναμιν, 643 βαρὸ τό (I), 645, 2 θάνατον, 3 πολέμιόν (IV), 3 ἀσυνετώτεροι (IV). Inter eas admodum dura est primi pedis solutio bisyllabi ultimam cum insequentis vocabuli articulo in una arsi collocans; verum etiamsi Wagneri paene necessariam conjecturam βαρὸ τι recipimus, structuram tamen primi pedis insolitam nanciscimur neque ante liberrimum stilum analogiis firmatam.

Anapaestos praeter jam allatum 641, 3 πενία invenimus 636, 3 ἀλιαίετον, 640, 2 δαπάνας, 644, 3 παράδειγμα, legitimos illos quidem, sed numero ipsos quoque posteriorem originem arguentes.

Protesilai' 14 trimetri etsi solutionibus vacant, pauciores tamen sunt, quam ut inde quidquam concludi possit.

Idem de Rhadamantho' dicendum est dubiae praesertim originis, cujus in 10 versibus 2 sunt solutiones ceteroquin legitimae, ὑγιές et βίσιος.

Stheneboeam' a. 422 priorem etiam 59 trimetrorum structura in 5 solutionibus 8,4% modulum servans severiori stilo vindicat, idque eo magis quod omnes — prol. 10 ἰκέτην (II), 22 ἰκεσίου, 31 ἐπ' ἀρετήν, 34 ἀπιέναι, 667 ξεναπάτην legitimae sunt. Fuerit igitur etiam tempore haec μισογονίας Euripideae testis cum ejusdem inclinationis documento Hippolyto' conjuncta.

Telephus' Alcestidis' aequalis si solutionum modulo 11% — nam in 45 trimetris 5 solutiones habet 686, 4 Ἀλέου (II), 6 Παρθέμιον (I), 700 Λύκιε, 705, 2 πολέμιον, 706, 1 πέλεκυν — severiorem stilum paulisper transgreditur,

nominibus propriis id dandum opinor in prologo praesertim inevitabilibus.

Temenidae' contra cum in 31 trimetris 9 solutiones ostendant (30%) inque eis duas uno versu conjunctas 736, 4:

κᾶν ὁμόθεν ὥσι' τὸ γὰρ ἔχειν πλέον κρατεῖ

liberrimo sese adjungunt stilo. Solutiones legitimae sunt pleraeque 728, 1 πόλεμος, 729, 2 πατρίδος (I), 730 Πελοπόννησος (II), 732 ἀμαθής (II), 735, 1 ἀσύνετος (I), 736, 3 σπάμιον (I), 4 κᾶν ὁμόθεν (I), τὸ γὰρ, 739, 4 ἀναμετρούμενος; vides tamen tertii pedis praevalentiam non apparere, tum autem primi pedis legem penitus sublatam esse in κᾶν ὁμόθεν, monosyllabo in thesi per crasin formato. Minime igitur dubitandum est de liberrimo stilo.

Anapaesti duo 734, 1 ἀρετή, 736, 6 ἀπόλωλ' legitimi sunt.

De Temeno' etsi quae sub ipsius lemmate servata sunt fragmenta nihil produnt, desperandum tamen non esse videbimus, cum infra (§ 65) de fr. inc. 1083 tractabimus.

63. Sequitur Hypsipyle' eodem quo Antiopa' testimonio ultimis poetae annis addicta. Accuratioꝛ ratiocinatio eam una cum Oreste' a. 408 vindicabit; utut est, liberrimo assignanda est stilo. Videamus nunc, num etiam interna indicia eodem ducant.

Continet ea in 138 trimetris 39 solutiones, sive 28,3%, qui modulus etsi non plane liberrimi stili est, satis ei tamen est vicinus. In eis 8 binas exhibent hi:

- I, 1, 6 τί τῶνδε μελάδρων δεόμενοι προσήλθετον
 » 4, 17 ἄπορος, ἀνερμήνευτον ἀπορίαν ἔχων
 » » 25 ὄλβια Λυκούργου μελάδρα κλήζεται τάδε
 » » 29 χέρνιβα θεοῖς ἴν' ὄδιον ὡς χρῆσαιμεθα
 » » 39 κατάγειν θέλοντες φυγάδα Πολυνείκην πάτρας
 LX 1, 25 ᾧ πρὸς σε γονάτων ἰκέτις, Ἀμφιάρεω, πίτνω
 » » 31 ὄσια δὲ πράξεις ὄσιος ὦν προδοῦς δέ με
 LXIV 4, 43 μούσαν με κιθάρας Ἀσιάδος διδάσκειται

Totus autem catalogus hic est [uncis inclusi eas, quae in versibus mutilis extant extra supradictum trimetrorum numerum].

In I pede: I 5 ὦ μακαρία, 17 ἄπορος, 25 ὄλβια, 29 χέρ-
νιβα, 34 ὄρια, [44 ὦ μεγάλα], XVIII 5 ποιμένες, [X ποῦ μάλα],
[XXII 7 κἄν διαριθμῆσαι]. LX 20 ἄγετε, 31 ὄσια, 50 ὦ ξένε,
[78 Ἀρχέμορος]. In summa 9 + 4.

In II pede: I 6 μελάθρον, 8 δυνατόν, 30 ὑδάτων, XX—XXI
7 θανάτω, LX 25 γονάτων, 28 διά, 30 γόνασιν, [28 γε- νό-
μενα], Lyd. 1 παραφρόνημ', LXIII 43 κισάρας, 44 Ἄρεως.
In summa 10 + 1.

In III pede: I 6 δεόμενοι, 10 τὸ δέ, 25 μέλαθρα, 29 ὄδιον,
79 φηγάδα, XVIII 8 φύλακα, LX 10 ὄν ἐπ', 17 διά, 21 κενά,
25 ἰκέτις, 31 ὄσιος, 96 κατά, [LXIII 3 ἀνέθεσαν], LXIV 18
πατέρα, 37 ἔθαν', 43 Ἀσιάδος. In summa 15 + 1.

In IV pede: I 4, 17 ἀπορίαν, 30 Πολυνείκη, 753 N. Ἄχε-
λῶρον, [XXXII 5 περιέχουσ'], LX 46 διαφέρονθ', [LXIII 1 κα-
τέφυγεν]. In summa 4 + 2.

In V pede: I 4, 30 Δαναϊδῶν: 1. In summa summarum
39 + 8.

Omnia hic liberrimo stilo conveniunt. Primam legem si respicis, (§ 34), binarum solutionum modulus est 5,8%, legitimo 3,9%, adeo major. Si secundam (§ 35), tertii pedis ad ceteros relati (15:24 sive 16:31) fractam videmus, quae usque ad Phoenissas tamen steterat. Si tertiam, 4 habes in primo pede tribrachos et 9 dactylos, qui proprius est Orestae modulus (§ 36); in dactylis rursus quattuor integros, praeterea autem talem qualis est κἄν δια(ριθμῆσαι), crasi insignem ultimae demum aetati conveniente. Si quartam, unum tamen quintum pedem solutum exhibent fragmenta nostra. Si quintam, ut in Oreste praevalet in quarto pede tribrachii. Sexta et septima fructus non pollicebantur, nisi quem semiquinaria in Lyd. 1 neglecta tangit; sed octava, quae est de solutionibus initialibus, proceleusmatici secundâ percussâ in II pede violatur γε- νόμενα. Nona, quae est de positione debili, leves tantum neque

eas multas habet exceptiones — neque id mirum, ut quam liberrimi stili aetate ad semiseveri normam rediisse sciamus (§ 41). Decima autem in 47 solutionibus 8 habet exceptiones, sive 17%, qui modulus sane liberrimo minor est (§ 42); bis *διά*, tum *κατά*, *κενά*, *ξένε*, *ἔσαν* et fractae τὸ δέ et ὄν ἐπ'.

Conveniunt etiam anapaesti et numero — sunt enim septem — et structura; nam praeter legitimos typos I et II (I 1, 10 *ἑσόμεσθα*, LXIV 8 *ἀπέδωκα*, XXVII *ἀρετήν*, LX 56 *ἀγρίως*, 62 *στρατιάς*, 103 *στεφάνους*) illegitimus extat III: I 1, 9 *ἔχομεν δ'*; notanda est etiam dura positio *ἀγρίως* ante liberrimum stilum in anapaestis inaudita (§ 46).

Quae omnia talia sunt, ut etiam nullis extrinsecus argumentis et testimoniis adjutos liberrimi stili aetati *Hypsipyle* assignare cogent.

64. *Phaethon* in 85 trimetris 19 solutiones ostendit, qui classicus est liberi stili 22,4%. Sunt autem hae:

In I pede: 771, 3 *Ἥλιος*, 774, 3 *σφαλερός*, 779, 49 *ἄλλ' ἔσιδ'*, 782, 2 *δένδρεα*. In II: 779, 9 *θαλάμοις*, 35 *ὑμεναίοισιν*. In III: 771 *Μέροπι*, 776, 2 *τίποτε*, 3 *ὅτι*, 779, 1 *Λιβυκόν*, 6 *πτεροφόρων*, 13 *ὀνόματ'*, 41 *τέμενος*, 47 *φλόγα*, 48 *μέλανος*, 56 *μέλαθρον*, 784, 3 *παραδίδωσι*. In IV: 779, 51 *Φαέδοντος*, 785 *γυμνάσια δ' οἰχοίατο*.

Libero stilo conveniunt 1) duo integri dactyli in I pede *δένδρεα* et *Ἥλιος*, rarissima in semisevero, 2) ibidem fractus dactylus cum elisione *ἄλλ' ἔσιδ'*, ante liberum inauditus, 3) semiseptenaria soluta II arsi *ὑμεναίοισιν*, singularis in superiore, rara in semisevero et in libero demum frequens, *Herc.* 10 et *IT* 367 in hoc ipso vocabulo, 4) maxime vero initialium solutionum lex in *γυμνάσια* neglecta, qui paeon quartus tertiâ percussâ post praecox *Hecubae* temptamen in libero demum agmine occurrit. Haec omnia eo vergunt, ut libero sit stilo haec tragoedia assignanda.

Philoctetes, *Medeae* aequalis in 34 trimetris 2 solutiones habet, sive 6%, quem modulum etiam in *Medeae*

observavimus. Ipsae tamen natura sua severiorem I pedis legem violant; sunt enim 793, ¹ μακάριος et 793, ² ἀθάνατος, duo proceleusmatici pro tribrachis. Videtur igitur poeta, ut in *Medea* bis secunda in *πατέρα* percussa, posteriori legis violationem praecepisse. Unicus anapaestus 792 φαγέδαν' legitimus est.

Phoenix *Acharnensium*' allusione intra severioris stili carceres recluditur, cui attributioni etiam 40 trimetrorum structura favet unam solam 816, ⁴ θάνατον solutionem exhibentium eamque legitimam.

Phrixum' 4 solutiones in 45 trimetris occurrentes, qui est 9% modulus, severiori etiam nunc stilo assignant; cui assignationi ne qualitas quidem earum — 819, ⁵ πεδία, ⁷ Κιλικία, 821, ² διά, 824, ¹ ὑγιές (II) — obversatur.

Ultimus *Chrysiippus* *Phoenissarum*' aequalis 8 trimetris innotuit, qua in paucitate nil probat solutionum absentia.

65. Atque haec quidem erant certarum tragoediarum fragmenta; possumusne etiam in incertis methodo nostra uti? Hactenus, opinor, ut exorta dubitatione huc vel illuc examen inclinare liceat. Quod ipso usu demonstratum iri spero.

Sub num. 857 Nauckius fragmentum affert genuinae *Iph. Aulidensis*' exodi ab Aeliano servatum. Habemus hic in secundo pede *δυ-γάτερα* proceleusmaticum secunda percussa, liberrimo stilo familiarem; atqui liberrimo etiam ipsa *Iphigenia*' assignatur. Credo hac coincidentia haud mediocriter Aeliani fidem augeri. Idem de anapaesto valet *ἐλαφον δ'*, qui tertium typum monstrat a severiore usu abhorrentem.

Deinde fr. 864

παίζω μεταβολὰς γὰρ πόνων αἰεὶ φιλῶ,

Herculis verba puerum manibus gestantis, a Wilamowitzio *Augae*' vindicatum erat, quam conjecturam merito probavit Nauckius. Confirmatur ea secundâ in paeone primo

με-ταβολάς percussá, quae II pedis licentia ante liberum stilum inaudita est: atqui libero etiam Augen' supra (p. 222) vindicavimus.

Multo tamen graviora sunt, quae de fr. 953 dici possunt — famoso illo, sive infamem mavis dicere, Smodregate'. Referebatur a Weilio ad Temenidas', a Bergkio ad Cresphontem', a Köckio ad Archelaum' a Wecklinio ad Dictyn', a Wilamowitzio denique ut Euripide prorsus indignum ad Smodregatem, cum Nauckius inter hunc et alios vacillans geninum illud quidem, sed adulteratum esse censeat. Fingamus tamen genuinum esse. Cum in 44 trimetris 18 solutiones exhibeat, i. e. 41%, soli liberrimo stilo attribui potest; qua re cognita concidit non modo Dictys', sed etiam Cresphontes', severioris uterque stili; optio datur inter Temenidas' et Archelaum'. Binas solutiones copulatas habemus

25 τῶν μὲν ἀγαθῶν μοι τὸ μέρος ὧν εἶχεν λαβεῖν

32 ἐκείνος, ἑτέρῳ; μέχρι πόσου τὴν τῆς τύχης.

Ceterum solutus est I pes: 1 ᾧ πάτερ, 7 οὐκ ἐμέ, 16 τῆ δ' ὄσ' ἄν, 17 γέγονεν, 25 τῶν μὲν ἀγαθῶν, 26 συναπορηθῆναι; II: 15 δι-ὰ τέλους, 32 ἑτέρῳ; III: 5 τά γε, 9 τυχόν, 25 τὸ μέρος, 30 ἀποβάλλη, 32 μέχρι, 34 τότε, 38 τὸν ἴδιον; IV: 11 ἀνόητος, 13 τί μ' ἀδικεῖ, 29 δυναμένης. Ac primi quidem pedis libertas in τῆ δ' ὄσ' ἄν liberrimi est stili, τῶν μὲν ἀγαθῶν) vereor ne plus quam liberrimi; nam quod proxime accedit IA 541 ὡς ἐπ' ἐλαχίστοις, sensum si spectamus, procliticam tamen, non encliticam habet cum sequentis vocabuli primá sub unius arseos jugum ductam. In II pede secunda in δι-ὰ τέλους percussa Bacch. 940 πὰ-ρὰ λόγον in memoriam revocat. Positionem debilem semel habemus in μέχρι, quae sobrietas ipsa quoque, ut vidimus, liberrimi stili est. Contra polysyllaborum lex, in plus dimidia solutionum parte violata, ipsa quoque liberrimo stilo liberiores inclinationem prodit. Idem de anapaestis dicendum 12 περὶ τῶν, 21 ἵνα μὴ, 31 ἑτέρῳ bis IV typum exhibentibus.

Thesei verba fr. 964 propter Terentii in *Phormione*, h. e. Apollodori Carystii imitationem, apud quem similibus Demea peregre rediens philosophatur, ad Hippolytum priorem refero; unica solutio *παρὰ σοφοῦ* severiori tragoediae stilo plane accommodata est.

Fr. 969

*οὐ βούλομαι πλουτοῦντι δωρεῖσθαι πένης,
μή μ' ἄφρονα κρίνης, ἢ διδοῦς αἰτεῖν δοκῶ*

secundum Dicaearchum Euripides oblique Archelaum regem, hospitem suum, alloquebatur; cui si fides habenda est, Macedonicis tragoediis assignandi sunt hi versus et potissimum ipsi *Archelaos*, cui etiam propter argumentum accommodatissimi sunt. Egregie haec suspicio primi pedis solutione commendatur, dactylo fracto cum elisione, ante liberum stilum non obvio, sed vel in eo rarissimo.

Fr. 981

*εἰ δ' ἔ<τι> πάρεργον χρή τι κομπάσαι, γύναι,
οὐρανὸν ὑπὲρ γῆς ἔχομεν εὖ κεκραμένον,
ἴν' οὐτ' ἄγαν πῦρ οὔτε χεῖμα συμπίτνει
ἂ δ' Ἑλλάς Ἀσία τ' ἐκτρέφει κάλλιστα, γῆν
δέλεαρ ἔχοντες<τήνδε> συνθηρεύομεν.*

Ut non loquamur de prima solutione quippe conjecturali, in quinque versibus quattuor habemus interque eas duas uno versu conjunctas, praeterea dactylum integrum in primo pede, rarissimum etiam in semisevero stilo. Aegre haec ferremus in *Erechtheo*, si quidem ea fabula a. 421 acta est, vel in *Theseo* a. 422 priore; cum autem haud dubie de Attica sit oratio, putanda est episodica quaedam tragoediae liberi stili persona hos versus pronuntiare. Id enim semper mente tenendum est; quod nisi nobis servata esset *Medea*, vix quisquam divinatus esset in ea Aegei partes fuisse. Obiter moneo in voce *συμπίτνει* legem de sextae theseos positione debili violatam esse; nec tamen inde de tempore conjectura capi potest.

Celcbrem versum fr. 1018

ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστὶν ἐν ἐκάστῳ θεός

libera anapaesti in quarto pede structura libero stilo vindicat. Possis de ‚Melanippa reclusa‘ cogitare, in qua similis est sententia fr. 506.

. Fr. 1027 propter γε-νόμενος in secundo pede solutionem liberi stili tragoediae assignandum est; nomen incertum remanet.

Fr. 1052 in 9 versibus 4 solutiones continet, ex quibus duas uno versu conjunctas

τὸ διαβῖῶναι μόνον αἰεὶ δηρωμένη

praeterea στέφανος et σκότος. Tribrachys in primo pede fractus, polysyllaborum lex bis in ponderosis vocabulis violata — vides omnia ita esse comparata, ut ultra liberi stili limen releganda sit tragoedia. Propter argumentum de ‚Archelao‘ (cf. fr. 245) cogitare pōssis.

Fr. 1083 de Heraclidarum sortitione in 11 versibus neque eis integris 5 exhibet solutiones, ex quibus duas uno versu continuatas:

κοιλὴ γὰρ ὄρεσι περίδρομος τραχεῖά τε

praeterea ἄροτον (II), πολεμίους, ποταμόν. Non credo tam liberos versus ex ‚Cresphonte‘ peti potuisse, quae severioris fuit stili tragoedia; relinquitur igitur ‚Temenus‘, quare et de argumento fabulae et de tempore aliquatenus certiores fimus. Fuerit igitur prima ‚Macedonicae trilogiae‘ a. 407 tragoedia ‚Temenidis‘ et ‚Archelao‘ cōtinuata.

Fr. 1132 conclamatum ‚Danaes‘ prologum continet; solutiones falsarius prudenter vitavit, quattuor enim solas in tot versibus admisit. Et ter quidem — ἐρύματα χῤ. (IV), 4 Ἀκρίσιος (I), ἐκ Διός — ei satis feliciter res cessit, sed in quarta ὠ-νόμασε ictum edidit et per se in omni Euripidis poesi rarissimum, et in severiore agmine, ex quo erat ‚Danae‘, prorsus inauditum.

Novi Reitzensteiniani ex Photio 103, 17 fragmenti

ἄνδρα δ' ἠκηκῶς ἀναξ
κρωπὸς Ἄμμων δάπεδα θεσπίξει τάδε

si quis sedem quaerere velit, is se liberi et liberrimi stili limitibus tenere debet, cum et duas in sesquiversu solutiones habeamus, et in priore mediae cum ρ copulationem ante liberum non occurentem. Quo confidentius Andromedae hoc fragmentum assignare licebit.

Bruti Ἡράκλειον adesp. 374

ὦ τλήμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ' ἐγὼ δέ σε
ὡς ἔργον ἦσκουν' σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχη

disputatiuncula, quam symbolis Casimiro Morawski septuagenario oblatis inserui, Euripidis Augae vindicavi solutionum maxime structura ductus; illud addere omisi fieri non potuisse, quin fragmentum Stoicorum maxime scriptis celebratum tempore procedente moribundo attribueretur Herculi. Quis enim ex iis, Romanis praesertim, ipsam Augen legeret? Quominus mirandum est Senecam, Stoicum et ipsum, Hercule Oetaeo similem sententiam moribundo heroi dedisse — v. 1171 *o misera virtus!* — missa tamen ea, quae apud Euripidem gravissima erat, virtutis et fortunae comparatione.

Adesp. 494

οὐδείς παρανομῶν πρὸς θεοὺς ἐχέγγυος

Euripidis Polyidō olim assignabatur; ego id tantum moneo paeonis primi παρανομῶν ictum huic sententiae prorsus favere.

66. Restat ut breviter quid de chronologia nunc statui possit indicemus, quod quattuor tabellis facere placet ad singulos stilos accommodatis. Tragoediarum indices in tres columnas dispersiti sumus. Earum prima eas continet fabulas, quarum annus notus est; ad eam igitur solam anni

in sinistro margine ascripti pertinent. Secundâ eas collocavimus, de quarum ordine dumtaxat conjecturam probabilem capere possumus; tertiâ eas, quas certo utique stilo assignare licet. Satyrica dramata procul habuimus. Superstites ipsas quoque catalogo inclusimus, diductis litteris titulos imprimentes.

I Severioris stili aetas (455—28).

455	Peliades		
442	<i>Prima</i>		Alcmena
	<i>victoria</i>	Rhesus	Ino
438	Cressae		Danae
»	Alcmeon Psoph.	Perithous	Cresphontes
»	Telephus		
»	Alcestis	Aegeus	Crete
431	Philoctetes		
»	Dictys	Hippolytus I	Stheneboea
»	Medea		Bellerophontes
		Heraclidae	Phoenix
428	Hippolytus II		Oeneus
		Phrixus	Thyestes

Ex 28 annis igitur 25 solae tragoediae innotuerunt; nec multo augebitur earum numerus, si ex indefinitarum catalogo haec vel illa accesserit, velut Protesilaum' verisimile est huic aetati ascribendum esse. Neque id tamen mirum est. Facile credimus post Peliadum' repulsam aliquot annis quievisse poetam sive sua sponte, sive archontis, a quo chorus petendus erat, diffidentia; tum de juvenilibus pleraque intercisisse probabile est, sive poeta ipso ab editione abstinente sive temporum injuriâ. Velut Peliadum' quae aequales fuerunt, earum nomina sola ex didascaliiis nota fuisse antiquis philologis crediderim, nobis ne nomina quidam afferre licet

II Semiseveri stili aetas (427—416).

Andromache	Aeolus
Theseus	[Electra]

	Supplices	Melanippa
421 Erechtheus		Sapiens
	Hecuba	[Antiopa]

Quas uncis inclusi tertiae columnae fabulas, eas ex magna parte hac aetate scriptas suspicor, scaenae sunt certe posteriore commissae. Ne hic quidem magnus est numerus; ceterum fere certum est ex indefinitis plerasque ad hanc aetatem pertinere, cum juvenilibus eâ quam modo attuli ratione excludantur, posteriorum autem aetatum, ut continuo videbimus, completi sint ordines.

III Liberi stili aetas (415—409).

415 Alexander		
» Palamedes		
» Troades		Oedipus
	Hercules	Antigone
413 Electra		Melanippe
		Reclusa
412 Andromeda		
» Helena		Phaethon
	Iphigenia Taur.	Auge
409 Oenomaus	Ion	Antiope
» Chrysippus		Polyidus
» Phoenissae		Plisthenes

Unam si addere possemus, cunctas haberemus 21 septem trilogiarum fabulas.

IV Liberrimi stili aetas (408— ex).

408 Orestes	Hypsipyle	Meleager
407 Archelaus	Temenus	
post. Bacchae	Temenidae	
» Alcmeon Cor.		
» Iphigenia Aul.		

Extra ordines remanserunt hae: ‚Alope‘, ‚Ixion‘, ‚Cadmus‘, ‚Licymnius‘, ‚Mysi‘ (?), ‚Peleus‘, ‚Protesilaus‘, ‚Rhadamanthus‘, ‚Scyrii‘; eas plerasque probabiliter semisevero agmini ascribi jam supra monui. Utut est, paene omnium aetatem aliquatenus definivimus; accuratius id fieri posse confido argumento sub examen vocato. Quod ex parte saltem in sequentibus libris me facturum esse spero.

LIBER TERTIUS.
DE IPHIGENIAE ET DANAES MYTHO-
POEIA TRAGICA.

CAPUT I.

De Iphigenia anteaeschylea.

1. Quod in hujus libri indice has potissimum heroides composuimus, quarum nec personae nec fata quicquam simile ostendunt, non ideo factum est, quod ambae parallelis Sophoclis et Euripidis tragoediis argumenta dederunt — nam id quidem in plures valet et a me, nisi quid inciderit, infra accuratius tractabitur, — sed, quod peritiores praesensisse opinor, propter memorabilem casum, quo in Palatino Euripidis codice et Iphigeniae Aulidensis' exodus inde a v. 1570, et Danaes' initium usque ad v. 34 eadem a codicis librarii alienâ manu perscripta sunt. Quod cur his potissimum tragoediis evenerit quidve significet cum mihi perspexisse videar, non tamen alio modo demonstrare possum quam totâ utriusque mythi in tragoedia evolutione expositâ; spero tamen hanc expositionem etiam alias ob causas non inutilem fore.

Qua in expositione tamen ea, quae jam aliorum usu trita pertrita sunt, properante passu percurrere licebit; neque magis meum esse duco eam 'litteraturam', quam lector multo commodius in lexicis, enchiridiis et annuis

relationibus inventurus est, aut discutere aut etiam afferre. Studui quidem qua optima fide potui, ne quid me fugeret; repetere vero ab aliis dicta et infinitum et infructuosum duxi.

2. Velut prima statim quae oboritur quaestio, notumne fuerit Homero Aulidense Iphigeniae sacrificium, jam inde ab antiquitate multorum ingenia exercuit. Nunc fere ab omnibus negatur; vereor tamen ut satis circumspicte. Est enim, de quo nemodum cogitasse videtur, media quaedam inter *Etiam* et *Non via* eaque haud scio an recta.

Sane I 145 Agamemnon tres sibi filias in thalamo crescere dicit Chrysothemiam et Laodiceam et Iphianassam; licetne inde colligere eandem fuisse Iphianassam atque Iphigeniam, quam cum decimo belli anno vivam repraesentet poeta, procul ab eo haberi sacrificii notitiam? At Sophocles, qui de sacrificio non dubitat, nihilominus Iphianassam inter superstites regis filias numerat¹; cur igitur nobis Homerum ad nostrum potius quam ad Sophocleum arbitrium effingamus?

Tum autem in ipso Iliadis initio duo leguntur loci, quibus nisi vis afferatur, aegre Iphigeniae sacrificium a poetae mente alienum fuisse contendas. Nihil hic novi dicturus sum. Prior enim celeberrimus est ille de Calchante locus A 70, ὃς ἤδη τὰ τ' ἐόντα τὰ τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα, καὶ νήεσσ' ἠγήσατ' Ἀχαιῶν Ἴλιον εἰσω ἦν διὰ μαντοσύνην, τὴν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων². Intellego Calchantem, cum Achivis Dianae voluntatem interpretatus esset, quae Iphi-

¹ El. 158 οἶα χρυσόδεμις ζώει καὶ Ἰφιάνασσα. Hic hexameter e lyricis versibus emergens eo magis Homericam suam originem probat; recte hactenus critici. Modo ne hac re demonstrari putarent eandem esse Iphianassam Homericam atque Iphigeniam; equidem contrarium ea demonstrari puto.

² Notum est Aristarchum (cf. Lehrs, Arist. 92, (87)) hoc loco usum esse, ut ignotum fuisse Homero demonstraret mythum de Telepho, quem οἱ νεώτεροι Achivorum ad Trojam ducem fuisse finxerunt. Re quidem vera Calchantis in sanando Telepho partes parallelae fuerunt

geniam sibi mactari poscebat, navibus Trojam iter aperuisse; sine hac praesumptione laudem Homeri non intellego. Alter locus irati Agamemnonis ad eundem Calchantem verba continet, ut Chryseis patri sacerdoti reddatur postulantiem: A 106 *μάντι κακῶν, οὐ πώποτε μοι τὸ κρήγγον εἶπας, αἰεὶ τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι, ἐσθλὸν δ' οὔτε τί πω εἶπας ἔπος οὔτ' ἐτέλεσσας*. Rursus intellego Calchantem vatem malorum, qui semper calamitatem ei praesagierit, ab Agamemnone dici sacrificii Aulidensis memori; quod autem aliud infelix verbum ei — de se enim loquitur rex — panxisse dicatur vel dici possit, non intellego.

Quaerat tamen quispiam, cur non disertis verbis poeta sacrificium Aulidense commemoret; nam occasionem ei non defuisse vel allati demonstrant loci. Et mihi quidem pergratum accidit, quod unicum responsum, quod salva ratione dari possit, plane cum eis concinit, quae de simili poetae reticentia alibi enuntiavi. Cur, inquam, Iphigeniam a patre mactatam esse tacet? Eandem ob causam, ob quam Agamemnonem ab uxore, Clytaemnestram a filio occisam non commemorat¹. Haec tria nefaria Atridarum domus scelera artissime inter se cohaerent: filiae enim ultrix mater, patris ultor filius extitit. Omnia vero eadem crudelitatis notâ insignita erant, quae a concilianti Homericæ poeseos animo prorsus erat aliena; conferatur e. g. pacis et pietatis plena Pelopidarum B 100 sqq. historia, quae cui tandem lectori, nisi aliunde instructo, de cruentis eorum et gestis et fati vel minimam injiceret suspicionem?

Quare ita hanc veterem controversiam componere velim: Iphigeniae sacrificium Iliadis poeta noverat ille quidem quippe quod ipso antiquius fuerit, attamen consulto a mythopoeia sua procul habuit.

ejusdem in mactanda Iphigenia partibus. Recte tamen haud dubie Aristarchus: Telephi gesta duplicem Aulidem involventia ab Homericæ mythopoeia prorsus abhorrent.

¹ Cf. commentationem meam »Die Orestessage und die Rechtfertigungsidee« Ilbergi Neue Jahrbucher 1899 I 20 sq. insertam.

3. Series haud dubiorum de sacrificio Aulidensi testimoniorum, quae quidem nobis innotuerint, a cyclico Cypriorum carmine incipit. Procli excerptum est: 1) τὸ δεύτερον ἠθροισμένον τοῦ στόλου ἐν Αὐλίδι Ἀγαμέμνων ἐπὶ Δῆρας βαλὼν ἔλαφον ὑπερβάλλειν ἔφησε καὶ τὴν Ἄρτεμιν, 2) μὴνίσασα δὲ ἡ θεὸς ἐπέσχεν αὐτοῖς τοῦ πλοῦ χειμῶνας ἐπιπέμπουσα, 3) Κάλχαντος δὲ εἰπόντος τὴν τῆς θεοῦ μῆνιν καὶ Ἰφιδγένειαν κελεύσαντος Δύειν τῇ Ἀρτέμιδι, 4) ὡς ἐπὶ γάμον αὐτὴν Ἀχιλλεῖ 5) μεταπεμφόμενοι, 6) Δύειν ἐπιχειροῦσιν. Ἄρτεμις δὲ αὐτὴν ἐξαρπάσασα εἰς Ταύρους μετακομίζει καὶ ἀθάνατον ποιεῖ, ἔλαφον δὲ ἀντὶ τῆς κόρης παρίστησι τῷ βωμῷ. Quae singula nobis discutienda erunt.

1) De Agamemnonis culpa. In hoc uno loco tamen duo inclusi sunt singillatim nobis tractandi a) culpa per se, qualiscumque fuit, hunc habet effectum, ut Iphigeniae sacrificium expiatorium fiat. Ut infra visuri sumus (p. 254), minime constans fuit de hac re antiquitatis opinio; fuerunt enim, qui negarent ullam fuisse Agamemnonis culpam inque expiatorii sacrificii locum placatorium substituerent, quo scilicet perpetrato gratia deae temptaretur prosperaque Achivis Trojam navigatio et in bello victoria impetraretur. Nec tamen perinde est, quomodo Agamemnon deae iram moverit. Secundum Cypria, si Proclo fides datur, gloriatus est rex se eam jaculando superasse, nil amplius¹; est tamen quare de excerpti plenitudine

¹ Etiam in hac jactatione tamen ambigna est mythopoeia, 1) »Iaculando Dianam superavi« — hic unus est locus saepissime etiam in aliis mythis occurrens (de Actaeone, Cassiope, Euryto, Thamyride, Niobe, Proeti filiabus; cf. L. Schmidt, *Ethik d. alten Griechen* II 11 sq.), quorum in uno expiandi causa etiam filiae sacrificium imperatur, Andromedae nimirum. Repetunt hoc Schol. Eur. Or. 658 εἰπόντος μηδ' ἂν τὴν Ἄρτεμιν οὕτως βαλεῖν et Venet. A ad A 108 οὐδὲ ἡ Ἄρτεμις οὕτως ἂν ἐτόξευσεν. 2) Aliter Apollod. epit. 3, 4 exc. Sabb.): βαλὼν ἔλαφον εἶπε, οὐ δύνασθαι σωτηρίας αὐτὴν τυχεῖν οὐδ' Ἀρτέμιδος θελοῦσης. Cum autem in epit. Vat. simpliciter dictum sit βαλὼν ἔλαφον εἶπε, οὐδὲ ἡ Ἄρτεμις et Tzetz. in Lycophr. haec totidem repetat, R. Wagner (Curae mythogr. (92) jure conjecisse videtur excerptorem Sab-

dubitemus. Ut enim jamdudum animadversum est, proxime Cypria Sophocles in *Electra* accedit, apud quem ita filia (v. 566):

πατήρ ποδ' οὐμός, ὡς ἐγὼ κλύω, θεᾶς
παίζων κατ' ἄλσος ἐξεκίνησεν ποδοῖν
στικτὸν κεράστιν ἔλαφον, οὐ κατὰ σφαγὰς
ἐκκομπάσας ἔπος τι τυγχάνει βαλῶν,
κὰκ τοῦδε μηνίσασα Λητώα κόρη
κατεῖχ' Ἀχαιοῦς, ὡς πατήρ ἀντίσταθμον
τοῦ Δηρὸς ἐκδύσειε τὴν αὐτοῦ κόρην.

Secundum haec verba non simplex, sed duplex fuit Agamemnonis culpa. Primum enim in deae luco cervam occidendo asyli jus violat¹; tum vero jactando eam offendit². Ac primo quidem obtutu suspicari quispiam possit nos hic eandem *conduplicationem* habere, de qua supra in l. I. I. egi, idque eo magis, quod Procli excerptum solum posteriorem locum continet (jactantiam), non priorem (sacrilegium). Nec tamen ultra primum obtutum. Primum enim culpa cum poena conexus multo est artior atque rationalior secundum priorem locum: pro cerva — virgo; cernitur in hac vice talio quaedam sincerâ antiquitate non indigna. Idque ipse poeta spectasse videtur, cum virginem

baiticum suo Marte pulcrâ Apollodori aposiopesin explesse; memor fortasse fuit sacrilegae Ulixidis jactationis 525 ὡς οὐκ ὀφθαλμὸν γ' ἴησεται οὐδ' ἐνοσίχθων.

¹ Hic locus unus, sine jactatione, quod memorandum sit, apud Dictyn Graecum occurrit, nisi quod ibi pro cerva capra inducitur (in Schol. Ven. A ad A 108 genuina Dictyis fama διὰ τὸ φανεῖσθαι αὐτὸν τὴν ἱερὰν αἶγα τὴν τρεφομένην ἐν τῷ ἄλσει αὐτῆς contaminata est cum vulgata additis verbis καὶ πρὸς τοῦτο καυχησάμενον εἰπεῖν ὅτι οὐδὲ ἡ Ἄρτεμις οὕτως ἂν ἐτόξευσε 1. Cf. Ferd. Noack. *d. griech. Dictys* (Philol. Sppl. VI [1891—98] 421; 493).

² Eandem *conduplicationem* etiam apud Homerum habemus in Ajacis Locri morte enarranda δ 499 sqq. Erat jam invisus Minervae (v. 502) haud dubie propter *noxam et furias* in ejus templo, nam aliam causam nemo excogitaverit; tamen eum servasset Neptunus, nisi gloriatus esset ἀέκητι θεῶν φηγεῖν μέγα λαῖμα θαλάσσης.

a dea ἀντίσταθμον τοῦ θηρός imperatam esse dicit¹. Tum autem etiam exitus rei eundem nos locum supponere jubet: »pro virgine — cerva«; eadem est mutatio, vice tantum inversa. Sequitur originarium utique priorem de sacrilegio locum fuisse, posteriorem de jactantia ex similibus mythis esse illatum; quodsi ille in Procli excerpto non apparet, non tamen ab ipsis Cypriis abesse potuit.

Sequitur conduplicationem, de qua agitur, jam in Cypriis locum habuisse; quae res rursus nos rudimentalem de sacrilegio locum antiquiori carmini assignare cogit. Rursus igitur alia via eodem devenimus: Iphigeniae sacrificium cum antiquissima belli Trojani fama conjunctum ab Homero non tam ignoratum quam reprobatum esse.

4. 2) De priore Dianae poena: navigando Achivos prohibuit tempestatem eis mittendo' legimus apud Proclum. Hic ultima verba premenda sunt: non igitur detinuit ventos, sed adversos excitavit, qua re non omnis navigatio, sed Trojam tantum impedita erat. Hoc ideo moneo, quia hic locus postea mutatus est.

3) De posteriore Dianae poena: Iphigeniam sibi mactandam poposcit', ipsius edito nomine, si Proclo fides habenda est. Postea enim etiam hic in diversa abierunt auctores, quibus fontis rerum oblitis quidnam rei dea cum Iphigenia habuisset obscurum remanebat. Cum enim Agamemnon solus deam offenderit, solum consentaneum erat in oraculo nominari, puellae autem electionem interpretibus permitti. Ita creata sunt oracula: inter Agamemnonis filias pulcherrima' vel maxima natu'². Eodem

¹ Technicum, ut videtur, vocabulum; cf. *ισομέτρητος* Plat. Phaedr. 235.

² Apollod. epit. 3, 26: *εἰ μὴ τῶν Ἀγαμέμνονος θυγατέρων ἡ κρατιστεύουσα κάλλει σφάγιον Ἀρτέμιδι παραστή.* Nimis properasse puto R. Wagnerum (*Curae mythogr.* 192), cum multis Apollodori cum Proclo coincidentibus nisus hunc quoque locum communi fonti, Cypriis ascriberet; adeo saepe fontes compilavit Apollodorus, ut cautiore esse

modo etiam Polyxenam Achilli mactandam primo nominatim in oraculo indicatam esse vidimus, postmodo periphrasi obscuratam (p. 20). Iphigeniam autem inde ab initio nominatim indicatam fuisse inde sequitur, quod ea, quae in aliquot Graeciae civitatibus colebatur, Diana ipsa Iphigeniae nomine indigitabatur¹; mythum enim a cultu profectum esse verisimile est.

4) De simulato Achillis conjugio. Nimis de hoc loco brevia et indefinita sunt excerptoris verba; nobisque, donec alia accedant, quaerere potius quam respondere licet. A priori enim tria cogitari possunt. *a*) Aut Atridae disertis verbis Achilli virginem sponponderunt, non illam solum, sed etiam eum frustraturi; *b*) aut cum eo societatem inierunt, ut ejus permissu nomine ejus ad eliciendam puellam abuterentur; *c*) aut ignaro ipso nominis ejus insidias puellae struxerunt. Quid Cypriorum auctor ediderit, nondum liquet, nobisque ad hanc quaestionem redeundum erit; utut erat, non minus rudimentale fuit in hoc carmine Achillis cum Iphigenia conjugium ('consilium irritum') quam apud Homerum I 139 sqq.: efficax fuit unice in Euxinica de insula Leuce² fama.

5) De Iphigenia Aulidem arcessita. Uno haec quaestio verbo tangitur in Procli excerpto, ut etiam hic quaestionibus proponendis aequiescendum sit. Sunt autem duae: *a*) quemnam de amicis suis Agamemnon ad arcessendam puellam Mycenae miserit? *b*) solane an matre comitante Aulidem aspexerit? Variasse enim etiam hic traditionem in eis, quae postea nobis perpendenda erunt, videbimus.

praestet. Dictys (Noack l. c. 423) τὴν πρώτην τοῦ Ἀγ. θυγατέρα, *filiam natu maximam* latine, biblicum potius quam antiquum inducens morem.

¹ Cf. Paus. II 35, 6 (de Hermione), VII 26, 5 (de Aegiris), II 22, 6 sq. (de Argis).

² Cf. Nicandrum apud Anton. Liber. 27 et I. Tolstoji librum 1918 rossice editum 'de Leuce insula et Taurice' p. 14.

6) De Iphigenia salvata: Cervâ in ejus locum suppositâ Diana ad Tauros eam transfert ibique immortallem reddit'. Haud facile crediderim Cypriorum componendorum et aetate et loco, h. e. VIII saec. in Cypro insula, de historicis in chersonneso, quae Ponto imminet, Tauris notitiam extitisse; neque intellegitur, cur eo potissimum transferenda fuerit puella, si immortalis reddenda erat. Immo hac ἀπαθανάτῃσει evidentissime declaratur fuisse Taurorum terram secundum poetae mentem arva quaedam beata Hyperboreorum instar, quo Apollo homines ab sese amatos transfert, ut eos immortalitate et aeterna beatitudine donet. Quodsi nobis insolentior hic exitus videtur, obliviscendum non est, Euripidis Iphigeniâ Tauricâ' priores famas superatas et in oblivionem transitas esse, ejus autem tragoediae mythopoeiam, ut quae ab Atticis cultibus pendeat, anteattica aetate existere non potuisse.

5. De ceteris admodum pauca addenda erunt.

Hesiodum scimus in 'Mulierum catalogis' etiam de diva Agamemnonis filia verba fecisse eamque Hecatae nomine indigitasse², h. e. divinae ejus protectricis epitheto.

Idem etiam Stesichorus in 'Oresteia' retulisse dicitur³; neque id mirum, quippe cui in hoc carmine de Agamemnone ab uxore occiso dicendum erat, quod scelus illa filiae morte ulciscendâ excusabat. Ita etiam Pindarus

¹ Cf. Tolstojum l. c. 120 sq., cujus ego rectissimam esse puto sententiam de mythico hujus dumtaxat Tauricae gentis caractere, quae a posteris demum in Chersonnesi Tauricae regionem translata sit.

² Paus. I 43, 1 de Megarica, quae erat de Iphigeniae morte, fama verba faciens: οἶδα Ἡσίοδον ποιήσαντα ἐν καταλόγῳ γυναικῶν (fr. 100 Rz.) Ἰφιγένειαν οὐκ ἀποθανεῖν, γνώμῃ δὲ Ἀρτέμιδος Ἐκάτην εἶναι. Sterilia judico omnia, quae quis de hoc mythologemate comminisci possit.

³ Philodemus π. εὔσεβ. p. 24 a Nauckio restitutus: Στη(σίχορος) δ' ἐν Ὀρεστεί(α κατ) ακολουθήσας (Ἡσιό)δῳ τὴν Ἀγαμέμνονος Ἰφιγένειαν εἶναι τῆν Ἐκάτην νῦν (ὀνομαζ)ομένην, nisi quod in papyro pro -δῳ (fr. 38 B) ΤΩ scriptum est.

Stesichorum secutus¹ Iphigeniae sacrificium cum Clytaemnestrae parricidio conjunxit.

Atque haec omnia sunt, quae de Iphigenia anteaeschylea dici possunt²; ex quibus, quamvis sint pauca, id certe sequitur, Iphigeniam post irritum sacrificium sive apud Tauros, sive sine Taurorum mentione, deae vi et beatitudine donatam esse. Id quasi dogma fuit illius aetatis, Iphigeniam eandem fuisse atque ipsam Dianam nondum oblitaе.

CAPUT II.

De Iphigenia Aeschylea.

6. In Aeschyli arte tragica singulariter effloruisse videtur de Iphigeniae sacrificio mythopoeia; quamquam enim ex 'Iphigenia' ejus unus, non amplius, versus servatus est, tamen de argumento ejus satis multa erui posse videbimus.

Quorum ne quid nos fugiat, duo ante omnia tenenda sunt.

1) Primum, quod jam alibi monui, unius cujusque trilogiae tragoediae, donec contrarium probetur, argumenti unitate inter se conexas esse putandae sunt; hoc enim probabilitatum calculus a nobis postulat, qui omnem nostram philologorum argumentationem, sive ejus rei consocii sumus, sive non sumus, gubernat et regit. Ex sex enim, de quibus constat, trilogiis quinque, 'Thebaidem' dico, 'Prometheam', 'Oresteam', 'Lycurgeam' et 'Danaidem' (nam eam confidenter addere possumus), regulam servant, una — ea nimirum, ex qua nobis 'Persae' servati sunt, — eam

¹ Pyth. XI 34; a Stesichoro eum pendere ex v. 48 sequitur cum Stes. fr. 39 B comparato.

² Quae admodum hucusque sterilia esse confiteor. Nec sum nescius Wilamowitzium (Herm. XVIII 249 sq.), cum hanc Iphigeniam-Hecaten illi adjungeret, quae Thesei et Helenae filia fuisse dicitur, ambabusque Nemesin Rhamnuntiam superadderet, poema symbolicum effinxisse lectu sane non injucundum; non tamen dicere possum mihi id ad persuadendum aptum visum esse.

infringit. Verum 'Persae' cum historica sit tragoedia, peculiarem in Aeschylī dramaturgia locum occupat, ut quae nullo trilogico vinculo cum aliis tragoediis conjungi poterit; quare sunt singulares quoque tragoediae apud Aeschylum supponendae, exceptionum tamen, non regulae loco. Hoc igitur nobis — ut jam dixi, donec contrarium probetur — constet, ut plerasque tragoedias, ita etiam 'Iphigeniam' trilogico argumenti nexu cum duabus aliis tragoediis conjunctam fuisse; hanc suppositionem abunde probatam videbimus.

2) Si 'Iphigeniam', cujus argumentum ex Cypriis sumpsum est, cum duabus aliis tragoediis argumenti unitate conjuncta fuit¹, necesse est has tragoedias ipsas quoque Cypriis deberi. Quod si ita est, eo quodammodo jam probatur suppositio nostra, quod ex omnibus Aeschylī tragoediis tres dumtaxat e Cypriis profluxerunt, 'Telephum' dico et 'Iphigeniam' et 'Palamedem'. Probabile est igitur eas ipsas trilogiam, de qua quaerendum est, effecisse.

Quoniam igitur mos fuit antiquis praeter singulas tragoedias etiam trilogiis Aeschyleis certa nomina dare, nos nostram 'Agamemnonidem' appellabimus. Quod nomen cur prae ceteris elegerim, ex eis, quae mox dicturus sum, apparebit.

¹ Welckerus cum et ipse trilogicum nexum postulet, in avia mihi tamen abiisse videtur, cum 'Iphigeniae' 'Sacerdotes' et 'Thalamopoeos' adjungit. Manifestus est error in hac posteriore suspitione. Cum enim constet Achillis nuptias merum fuisse commentum, cui tandem thalamo in campo Aulidensi locum fuisse dicemus? Quem ne in veris quidem nuptiis quisquam sanus sponso in bellum profecturo exstructurus fuit. Praeterea 'Thalamopoeos' in catalogo Mediceo neque extare neque extare potuisse constat, ex quo colligere possumus hunc secundarium indicem fuisse — ut nunc plerumque creditur; tragoediae *Αἰγύπτιοι*, secundae in 'Danaide' trilogia, quae G. Hermannī conjectura a Nauckio (TGF 4) repudiata a Dieterichio (Rh. M. XLVII 141 sq.) confirmata est, 'Sacerdotes' autem rectius mihi videor ad 'Heraclideam' trilogiam retulisse (Eos 1921—22 p. 67). Ceterum eam quae hic proponitur trilogiam agnoscit etiam G. Schmid in Christiī litteratura Gr. ⁵ p. 288.

Incipimus ergo a Telepho'. Res agitur Argis ante regiam Atridarum. Adest saucius Mysorum rex a vulneris auctore Achille medicinam petiturus — ut *ικέτης* igitur; cui hicesiae ut pondus addatur, Clytaemnestrae reginae monitu — aliter enim id fieri non poterat, — Oreste puero arrepto in foco domestico, vel potius, ut scaenicis conditionibus satisfiat, in ara considit. Haec hicesia cum puero', jamdudum ex scholio in Aristophanem nota¹ nuper felici invento ita comprobata est, ut omni dubitatione superior haberi possit.

Jamdudum tamen etiam aliud animadversum est: hanc Telephi Aeschylei hicesiam proxime ad eam accedere, qua Themistoclem ab Admeto Epiri rege salutem adeptum esse a Thucydide (I 136) accepimus; sed conclusum est inde Thucydidem veterem de Telepho locum ad Themistoclem transtulisse*. Inventum tamen de quo modo dixi

¹ Acharn. 332 *ὁ Τηλέφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχη παρὰ τοῖς Ἑλλήσι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών.* Vateri et Bakhuyzeni dubitationes pro Aeschylo Euripidem inserentium quamvis Nauckio, Roberto (*Bild und Lied* 146) et aliis probatae nunc cecidisse putandae sunt. Euripides hactenus mythum novavit, ut primus Orestae Telephum, si repudiatus esset, mortem minantem induceret, ipsa pacifica Telephi cum puero hicesia, quam musei Britannici pellice Nr. 450 repraesentat (cf. Pollak, *Zwei Vasen aus der Werkstatt Hierons* 1900 tab. VI), Aeschylo debetur. Omnino mythi de Telepho evolutio nunc haec fuisse apparet: 1) Telephus Cypriorum: solemnis hicesia Graeca sine puero; illustratur cylice Hieronis bellorum Persicorum aequali Aeschyloque antiquiore (Pollak l. c. tab. I). — 2) Telephus' Aeschyli: pacifica cum puero hicesia, sine minis — 3) Achivorum 'sylogus' Sophoclis Cypriorum famam renovasse videtur (cf. rossicum meum Sophoclem III 280). — 4) Telephus' Euripidis Aeschyleum reposuit, ita tamen ut puer pro praede haberetur eique mors immineret.

² Acerrime hoc Wilamowitzius contendit (*Aristoteles und Athen* [1897] I 150 sq.): ich bin an dem Glauben (Thucydidem vera narrasse) irre geworden, weil die Scene am Hofe des Admetos ein altes Sagenmotiv auf neue Personen überträgt: das ist Telephos in Argos. Quod nunc vertere licet, postquam edocti sumus ab Aeschylo demum novatam esse puerilem hicesiam. Originariam autem fuisse hicesiam

una cum aliis argumentis nobis persuadet non a Thucydide Telephi mythum ad Themistoclem, sed ab Aeschylo Themistoclis historiam ad Telephum translata esse. Cum autem Themistoclem exulem, a. demum 465/4 ab Artaxerxe rege hospitio exceptum, non ante hunc annum antiquum cum amicis Atheniensibus commercium renovasse consentaneum sit, colligendum est Telephum Aeschyleam unaque totam ejus Agamemnonidem circa a. 460, h. e. brevi ante Oresteam scaenae commissam esse.

Nunc autem hoc monitum velim. In Agamemnonis parodo, primae Oresteae tragoediae, Aeschylus de viatico augurio narrat Atridis oblato, cum Argis profecturi erant, h. e. eo ipso temporis momento, de quo in Telepho agebatur. Hoc augurium Calchas ita interpretatus est, ut iratam esse diceret Dianam eis, qui Trojanae urbi exitium pararent, seque vereri, »ne aliud, horribile sacrificium dea eis imperaret«. Sequitur de Aulide Iphigeniaque mactata narratio. Hinc colligimus 1) Telephi mythopoeiam apud Aeschylum elementum continuisse — augurium Argivum — quo Iphigeniae mythopoeia praecipiebatur, et 2) Agamemnonis parodum Telephi et Iphigeniae mythopoeias conjungere, quod pro novo est argumento habendum trilogici harum fabularum apud poetam conexus.

De cetera Telephi actione suspicari tantum possumus. Primas haud dubie Agamemnon agebat, qui si Telephum repudiasset, actum erat de expeditione, quippe quam nisi Telepho duce omnino fieri non posse Calchas cecinerit. Et quidni repudiaret, quem Helenae causâ longinqua temptare etiam cives aegre ferrent (Ag. 709 sqq.)? Sed enim debilitatur ejus voluntas duobus contra eum conjurantibus,

Themistocleam etiam eo probatur, quod Thucydides postquam eum regina suadente puerum arripuisse narravit, haec addit: καὶ μέγιστον ἦν ἰκέτευμα τοῦτο. Externus igitur Graecisque ignotus fuit hic mos (cf. Plut. Them. 24 ἰκεσίαν τῶν Μολοσσῶν); nec sane usquam praeterea in Graecia invenitur.

Clytaemnestra de sorore, Menelao de uxore sollicitis; medius inter fratrem et uxorem non fortior erat Amphiarao, qui ipse quoque nequiquam contra conjunctas Adrasti et Eriphyles vires luctabatur. Clytaemnestra Telepho puerilem hicesiam suggerit, qua re Agamemnonis constantia frangitur. Fuerintne in hac re aliquae etiam Iphigeniae partes, quam posterioris aetatis vascula ipsam quoque hic repraesentant, scire non possumus.

Sed sanare Telephum solus Achilles poterat, qui ei propter Patroclum in pugna ad Caicum vulneratum infestissimus erat. Conciliatâ igitur Agamemnonis voluntate quaestio oriebatur, quo tandem promisso Myrmidonius heros adduci posset, ut inimici sui morbo mederetur.

Quo promisso? Consentaneum est incertum consilii Agamemnonem uxori hanc quaestionem proposuisse; nec minus consentaneum uxorem ei muliebri consilium dedisse: »filiâ nostrâ Iphigeniâ ei in matrimonium promissâ«. Hoc fuisse videtur dramaticum inter Telephum et Iphigeniam vinculum.

Utut est, mos Telepho geritur; sanato duce exercitus Argis proficisci potuit. Ecce autem a deis augurium ambiguum profecturis offertur, aquilae praegnantem leporem devorantis. A Calchante interpretatio petitur: dummodo ne aliud, horribile sacrificium a Diana imperetur! Hoc prodigio commotos futurique anxios nos Telephus dimittit.

8. Secundae tragoediae scaena Aulidem transfertur; de argumento nos eadem Agamemnonis parodus docet. Nulla erat Mycenensium regis culpa — nam hic quoque Aeschylus a Cypriorum auctore dissentit. Diana intimo naturae suae sensu¹ infesta est patris sui volucris canibus, qui

¹ Ag. 135 οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἀγνά πτανόσιν κυσὶ πατρός. Insolita est locutio, sed pulchra: οἴκῳ ἐπίφθονός ἐστι idem est quod οἰκεῖον φθόνον τρέφει; germanice diceret »ist von Haus aus feindlich gesinnt«. Utique et ex Calchantis vaticinio v. 126 sq., et ex ejus eventu Aulide 183 sq. manifestum est nullam fuisse Agamemnonis culpam.

praegnantem leporem discerpserint; eadem cum Aulidis domina sit, invisas sibi aquilas in potestate sua habet. Includit ergo reges portu Aulidensi¹; qui si navigare volunt, necesse est Iphigeniam dominae mactent. Non igitur expiatorium fuit secundum Aeschylum Iphigeniae sacrificium sed placatorium².

Sequitur apud poetam (v. 228 sqq.): λιτάς δὲ καὶ κληδόνας πατρῶους παρ' οὐδέν αἰῶνα παρθένειον ἔθεντο φιλόμαχοι βραβῆς, φράσεν δ' ἀόζοις πατήρ μετ' εὐχὰν δίκαν χιμαίρας ὑπερθε βωμοῦ πέπλοισι περιπετῆ παντὶ θυμῷ προνωπῆ λαβεῖν ἀέρδην, στόματός τε καλλιπρώρου φυλακᾶ κατασχεῖν φθόγγον ἀραῖοι οἴκοις, βία χαλινῶν τ' ἀναύδῳ μένει, κρόκου βαφὰς δ' ἐς πέδον χέουσα ἔβαλλ' ἕκαστον θυτήρων ἀπ' ὄμματος βέλει φιλοκίτῳ... ἐπεὶ πολλάκις πατὴρ κατ' ἀνδρώνας εὐτραπέζους ἔμελψεν³... τὰ δ' ἐνθεν οὔτ' εἶδον οὔτ' ἐννέπω. Hinc colligere licet Iphigeniam invitam esse mactatam; idem de Cypriis valere manifestum est; nec de eis

Parum est dicere altum de ea servari silentium; ne si velis quidem, quoquam eam intrudere possis. Idem ex Sophoclis oppositione El. 563 sq. collegeris, ex illa paene dixi pertinacia, qua Cypriorum mythopoeiam in integrum restituere studet; quovis pacto videtur eam ab antecessoris immutationibus servare velle.

¹ Nec tamen absentia ventorum eos navigatione arcet, sed ventis contrariis immissis: Ag. 192 πρῶαί δ' ἀπὸ Στρυμόνος μολοῦσαι. Haec eadem ἀπλοία dicitur v. 187. Consentit in ea re Aeschylus cum Cypriis; v. supra § 4 p. 2. Primus Sophocles hoc mythologema immutasse videtur.

² Quare v. 227 προτέλεια ναῶν appellatur. Vicit hic color quamvis repugnantibus et Sophocle et Euripide; cf. Lucr. I 100 *exitus ut classi felix faustusque daretur*; Verg. A. II 116 *sanguine placastis ventos et virgine caesa*; Hor. Sat. II 205 *ut haerentes adverso litore naves eriperem, prudens placavi sanguine divos*. Notandum est hactenus sane praevaluisse mythopoeiam Aeschyleam.

³ Non potuit hoc fieri nisi convenientibus Argos ducibus; i. e. dum res in 'Telepho' descriptae geruntur. Quo magis sunt memorabiles Iphigeniae in hac tragoedia partes: canentem eam vidit Achilles, visam in matrimonium petivit.

solum, sed de universa traditione et litteraria et figurata, unica excepta ‚Iphigenia Aulidensi‘ Euripidea.

Quaeritur tamen, quomodo ‚virgo Aulidem arcessita sit. Simulatum cum Achille conjugium ut apud ceteros, ita apud Aeschylum necessario locum habere debebat; quod quam bene ‚Telephi‘ ultimis scaenis *προοικονομηθῆναι* potuisset supra § 7 vidimus Num igitur ipse quoque eidem atque Iphigenia fraudi succubuit?

Credo equidem ita hoc a poeta institutum esse; servata sunt enim hujus mythopoeiae vestigia in traditione figurata, pugna scilicet inter Achillem et Agamemnonis milites commissa, in qua vulneratus est juvenis¹. Apud Euripidem rudimentum tantum hujus pugnae remansit², quo duae simul res probantur, 1) neque ab eo profectam esse traditionem illam, quippe qui commissam esse pugnam neget, 2) et habuisse eam apud antecessorem ejus locum, quippe cujus rudimentam ab eo servatum sit (cf. lib. I § 48). Sophocles porro duas potissimum ob causas illius de pugna traditionis auctor extare non potuit 1) propterea quod apud eum permisisse videtur Achilles Atridis, ut nomine suo ad eliciendam Iphigeniam abuterentur (v. infra), ut nulla discordiae inter ipsum et illos causa extiterit, et 2) propterea quod apud eum Clytaemnestra Argis remansit, cum figurata illa traditio

¹ Cf. Brunn, *Urne etrusche* I tab. XXXV—XLVII, in summa 26 anaglypha inter se fere consentientia nec nisi figurarum numero diversa. Nobis maxime sunt memorabilia NNr. 8—11 et 20; certo non *animo deficit prae aegritudine* Achilles, ut Brunn interpretatur, sed capite lapide ioto procidit, quippe qui et ipse lapidem dextra tenet.

² V. 1349 sq. AXI. *ἐς Δόρυβον ἐγὼ τε καὶ τὸς ἤλυθον... ΚΑΥ. τίν' ὦ ξένη; AXI. σῶμα λευσοθῆναι πέτροισι.* Ex hoc solo indicio homo rudimentorum tractandorum peritus colligere debet huic periculo in fabula exemplari rem gestam respondisse; anaglyphis etruscis hoc revera ita fuisse discimus. Prima hoc evicit Tatiana Lewicka, seminarii mei Petropolitani socia, commentatiuncula rossice *de Iphigenia Sophoclea* scripta et Ministerii Instructionis publicae Annalibus 1913, philol. class. 335 sqq inserta.

mactatae eam filiae Aulide assistentem repraesentet. Cum autem jam supra (v. pag. 254, n. 2) mythopoeiam Aeschyleam praevaluisse viderimus, nil mirum si etiam pugnae inter duces commissae vetus poeta auctor extitit.

Pugna autem si fuit, necesse est sponsâ fraudatum esse Achillem; nam psychologica Euripidis explicatio nimis subtilis est, quam ut eam apud sinceræ antiquitatis poetam, qualis fuit Aeschylus, supponere possimus; etiam hoc loco afferri possunt illa, quae Dio Chrysostomus (or. LII 4) enotavit, τοῦ Αἰσχύλου μεγαλοφροσύνη καὶ τὸ ἀρχαῖον, ἔτι δὲ τὸ αὐθαδὲς τῆς διανοίας. Quamquam etiam ex illa Euripidis subtilitate aliquid de Aeschylo discere possumus. Vides enim quantopere apud eum laboret juvenis, ut ex nominis sui umbra, quae puellae fatalis extiterit, justam causam eliciat manus cum Atridis conserendi; hoc totum quid est aliud, nisi antiquioris famae rudimentum, secundum quam et promissa est optima fide Achilli Iphigenia Argis etiam tum morantibus ducibus, et adempta Aulide majore necessitate urgente?

9. Hoc erat igitur Iphigeniae Aeschyleae argumentum. Ducibus Aulidem congregatis et adversis ventis laborantibus Calchas Dianae de Iphigenia sibi mactanda voluntatem aperit; qua comperta Agamemnon Necessitatis jugum patiens nuntium uxori mittit, ut cum puella Aulidem veniat: quippe urgeri se ab Achille, qui se belli comitem recuset, nisi desponsa sibi Iphigenia nullâ morâ intermissâ nubat. Nuntium Ulixes perfert Talthybio quasi imperatoriae voluntatis praede comitante¹. Nil mali suspiciens Clytaemnestra, ut quae ipsa filiam Achilli desponderit, eam

¹ Apollod. epit. 3, 22 (Sabb.): πέμψας Ἀγαμέμνων πρὸς Κλυταμνήστραν Ὀδυσσεῖα καὶ Τηλεδάμειον Ἰφιγένειαν ἤγει. Haec utrum ad Cypria an ad Aeschylum pertineant incertum est; nam de Sophocle infra (§ 16) videbimus. Sed etiamsi ad Cypria pertinent, non video, quid inde Aeschylus mutare potuerit.

Argis Aulidem devehit¹. Ibi demum — credo ab ipso marito potius quam servi ope — deceptam se esse ab eo et nuptiarum loco crudele sacrificium instare comperit.

Fracto igitur animo inopsque consilii se ad eum convertit, quem Ulixi, a quo decepta erat, inimicissimum esse norat, ad Palamedem² — atque hic est ille locus, quo Iphigeniæ' tragoedia ad tertiam trilogiæ fabulam, ad Palamedem' prospicit, qua re intimus trium tragoediarum conexus corroboratur. Ita igitur Palamedem de filiae salvatione consultit, hoc quidem satis certum est; qui quale ei consilium dederit, ex eis quae consecuta sunt colligi potest. Necessesse enim est non solum ad Achillem

¹ De Cypriis in hac quidem re nil nobis certi proditum est; cum autem Sophocles in aliis post Aeschyli novationes ad ea reverterit, credibile est ibi Iphigeniam solam a Clytaemnestra Aulidem missam esse, cum ipsa Argis remanserit (cf. Apollod. epit. Vat. 3, 22: Ἰφιγένειαν ἔπει... Πέμπσ' ἄσης δὲ ἐκείνης Ἀγαμέμνων τῷ βωμῷ παραστήσας. Ab Aeschylō autem ita esse rem institutam, ut Clytaemnestra filiam in Achivorum castra comitaretur, ex his sequitur: 1) cum Aulide, non Argis (ut apud Sophoclem) res ageretur, si matrem domi reliquisset, actionis eam participem reddere non potuisset; 2) nusquam nisi Aulide nasci potuit illa παλινόροτος μνάμων μῆνις τεκνόποινος (Ag. 154), qua Oresteae' actio gubernatur; 3) anaglypha, Etrusca etiam Clytaemnestram inter sacrificii testes habent; ea autem cum neque ab Euripide pendeant, apud quem Achilles non vulneratur, neque a Sophocle, qui reginam Argis relinquit, vix alio quam ad Aeschylum referrī possunt; 4) idem de speculo Etrusco valet, de quo in insequente nota agendum est; 5) unicum, quod ex Aeschyli Iphigenia' servatum est fragmentum, de lite est cum mulieribus' instante, fr. 94: οὗτοι γυναίξι <χρη> κυδάσσομαι, τί γάρ.

² Hanc scaenam repraesentatam videmus in speculo Etrusco (Gerhard, *Etrusk. Spieg.* 4, 5 p. 4 tab. 385. A sinistra Clytaemnestra (*Clumstra*) cum Palamede (*Talmitha*) colloquitur, a dextra Menelaus (*Menle*) cum Ulixe (*Uthsta*). Eisdem quattuor figuras etiam vasculum Etruscum exhibet, cf. Brunn, *Bullet. del Instit.* 1865, 243 sq. De Aeschylō auctore non est quod dubitemus; apud eum solum aptas huic scaenae condiciones habemus; Clytaemnestram porro cum Palamede colloquentem inducere vix cuiquam in mentem venire potuit, nisi qui Iphigeniam' cum Palamede' trilogico nexu junxerat.

totam rem detulerit, sed etiam animum ejus contra injuriae auctores exasperaverit, qua re factum est, ut ei certum esset sponsam suam quovis pacto, quin etiam manu armata salvare.

Subsistamus hic paulisper, ut Iphigeniae' peripetiam cum Telepho' comparemus. Jam enim illic in eo res erat, ut recusante Agamemnone ad irritum redigeretur Trojana expeditio; quod si fieri passa esset regina, nullum filiae ejus periculum ostendebatur. Verum enim vero non est passa; tantus erat Helenae sororis recuperandae amor. Ipsa cum Menelao contra mariti voluntatem conjuravit, ipsa Telepho Orestem filium in manus tradidit puellumque inscia inscium in sororis vitam supplicem induxit, ipsa denique, ut ultimum objicem frangeret, Iphigeniam Achilli desponderi voluit. Factum est secundum voluntatem ejus; nunc autem omnium prima amarus cupiditatis suae fructus colligit, filiae sanguine sororis reditum redemptura. Non tulit hanc pestem maternus ejus animus; *πάθει μάδος!* Retexere ergo studet, quae tam subtiliter antea contexit, a Menelai societate desciscens Palamedis, inde Achillis opem implorat. Grave oritur discidium, gravis in Agamemnonis animum impetus.

Nam ne Menelaus quidem sibi defuit; a Clytaemnestra destitutus novum sibi socium parat Ulixem¹ — hunc ipsum Ulixem, qui invitus quondam a Palamede ad belli societatem vocatus erat. Ita illudit fatum imprudentium hominum consiliis, qui id acerrime adipisci conantur, quod maximo sibi damno futurum sit. Amborum opibus con-

¹ Ut enim Clytaemnestram cum Palamede, ita Menelaum cum Ulixem colloquentem induxit speculi Etrusci in superiore nota commemorati artifex. Ejus colloquii rudimentum etiam apud Euripidem in Iph. Aul. servatum est v. 412 sq., ubi Menelaus Agamemnoni, a quo se relictum censet, *ἐγὼ δ' ἐπ' ἄλλας εἴμι μηχανάς τινας φίλους τ' ἐπ' ἄλλους*, quae tamen minae Iphigeniae adventu intercipiuntur. Omnino arcanae Ulixidis in hac tragoedia partes (vv. 107; 524 sqq.; 1362 sqq.) hac Aeschyleae Iphigeniae' conjuratione praeparantur et explicantur.

junctis resistere non potest Mycenensium rex¹; iterum ut jam semel in 'Telepho', bellicosa Menelai voluntas praevallet. Repudiatis Clytaemnestrae precibus, victa Achillis vi manu sibi sponsam vindicantis ipsoque vulnerato Iphigenia mactatur. Salvatam eam esse a Diana² nemo scire videtur praeter Calchantem, cujus de ea re obscura vaticinia solos certiores reddunt spectatores. In ultimis tragoediae scaenis necesse erat Achillē cum regibus reconciliari³.

10. In tertia tragoedia, 'Palameden' dico, scaena, ut par est, Trojam transfertur. Ulixes tantopere de Atridis

¹ Menelaum mordicus retinet traditio ut verum mactatae Iphigeniae auctorem; demonstrant hoc ambō juniores tragici. Et Sophocles quidem in traditionem invehendo: ejus Clytaemnestra ad se excusandam hoc loco utitur, scilicet Menelao maritum suum gratificatum esse (El. 537 sq.), sed a filia continuo repellitur Cypriorum aetiologiam renovante de patris culpa deque expiatoria, non placatoria sacrificii ratione (576 sq.). Omnino tota Electrae cum Clytaemnestra disputatio, verum si spectas, Sophoclis est cum Aeschylō contentio. — Euripides ipse quoque diserte Menelao sacrificii culpam et invidiam imputat: Andr. 624, IA 37; cui imputationi si ipse Menelaus IA 359 obloquitur, dissimulatae invectivae rudimentum (cf. lib. I cap. VI) facile agnoscimus. Necesse est igitur ab Aeschylō primo Menelaum ut verum sacrificii placatorii non expiatorii auctorem inductum esse.

² Quo salvatam quemque ad finem induxerit, nondum liquet; nec tamen est quod dubitemus, quin Cypriorum famam de virginis in fabulosa Taurorum terra apotheosi retinuerit, siquidem Tauricam sacerdotem novisse nondum potuit (cf. infra). Nec tamen eo minus a Clytaemnestra creditur et mactata esse et ad inferos descendisse (cf. Ag. 1415 sqq.; 1555 sqq.).

³ Scheerius (apud Foersterum Herm. XVIII 477) hujus reconciliationis vestigia sibi agnovisse videtur in obscuris Lycophronis verbis Alex. 325 sqq. *σὲ* (sc. Polyxenam) *δ' ὠμὰ πρὸς νυμφεῖα καὶ γαμηλίου ἀξίει* *Δηλὰς στρυγνὸς Ἰφίδος* (sc. Iphigeniae) *λέων* (sc. Neoptolemus)... *λύκοις* (sc. Achivis) *τὸ πρῶτόσφακτον ὄρκιον σχάσας*. Hoc ita interpretatur: cum Achilli ejus sponsam Polyxenam mactaret, filius ejus Neoptolemus Achivorum votum solvit, quo se Aulide Iphigeniam mactantes obligaverunt, scilicet se Achillis damnum ex praeda Trojana compensaturos esse. Admodum hoc verisimile est, verisimilius certe quam Wilamowitzii (ibid.) interpretatio.

meritus meritorum mercedem efflagitat, mercedem autem reputat inimici Palamedis sanguinem. Credo haud gratam venisse Agamemnoni hanc necessitatem veteris sui amici vitam novi amici odio sacrificandi; tertius fit in animum ejus impetus, in quo par est Menelaum Iphigeniae memorem Ulixis socii sui studia adjuvisse. Instruitur iudicium; Ulixis artibus circumventus sapientissimus Graecorum innocens condemnatur, condemnatus ab exercitu lapidibus coniectis occiditur. Pater ejus Nauplius sero in castra venit; quidquid delirant Achivi, plectitur rex. Injusti iudicii invidiam solus Agamemnon, qui id invitus admiserat, sustinere debet. Oratione perquam memorabili eum detestatur Nauplius (fr. 181 N) eaque detestatione concluditur et tragoedia et tota trilogia.

Quam cur 'Agamemnonidem' appellaverim, ex eis, quae dicta sunt, manifestum est. In unaquaque enim de tribus tragoediis duae potentiae in regis animo confligunt, ut ipso conflictu ejusque funesto successu *πάθει μάθος* doctrinam illustrent; in unaquaque recalitrantis cervici *Ἀνάγκης λέπαδνον* imponitur, quod post tertiam adeo firmiter ei insidit, ut jam nullo pacto effugere possit. Nauplii diris fati securis in eum acuitur, quae uxoris manibus vibrata quandoque ei vitam ablatura est.

De singularum igitur fabularum inter se conexu nemo jam dubitabit; non minus autem manifestus est universae trilogiae cum 'Orestea' conexus. Ut enim Nauplii diras 'Oresteam' prospexisse necesse est, ita etiam 'Orestea' parodum 'Agamemnonidem' respexisse supra vidimus. Quocum optime concinit, quod etiam tempore hae duae trilogiae artissime cohaerent, cum priorem non ante a. 460 actam esse viderimus, posteriorem a. 458 actam esse sciamus. Hexalogiam igitur habemus, cujus duae partes annuo fortasse interstitio divisae erant. Neque eam apud Aeschylum unicam fuisse putandum est. Eodem enim modo ab 'Argiade' prospici 'Thebaidem' et alii conjecerunt et ego credo; neque quidquam obstat, quominus

eodem modo ‚Hectoridem‘ (i. e. ‚Myrmidones‘, ‚Cares‘ et ‚Lytra‘) cum ‚Achilleide‘ (i. e. ‚Memnone‘, ‚Psychostasia‘ et ‚Nereidibus‘), ‚Pentheidem‘ (i. e. ‚Pentheum‘, ‚Xantrias‘ et ‚Bacchas‘) cum ‚Lycurgea‘ (i. e. ‚Edonibus‘, ‚Bassaris‘ et ‚Juvenibus‘) cohaesisse arbitremur.

Favet universa conceptio; favent etiam singula momenta, quae quo accuratius nobis repraesentamus, eo magis conjecturam nostram commendant. In ‚Agamemnonide‘ tempestas sensim super caput imprudentis regis colligitur: Telephus receptus, Iphigenia mactata, Palamedes condemnatus — haec est Ἀτης τρικυμια (Sept. 758 sq.), quae postmodo in prima ‚Oresteae‘ tragoedia Agamemnonem obruit. ‚Oresteae‘ rursus heroem etiam in duabus ‚Agamemnonidis‘ tragoediis offendimus, in quibus infans bis patrem et pro Telepho et pro sorore implorat (cf. Eur. IA 1241 sq.) Justum porro ‚Eumenidum‘ iudicium injusti ‚Palamedis‘ iudicii tensionem solvit; Furiae, quae jam ‚Iphigeniae‘¹ et ‚Palamedis‘ catastrophas truci voltu comitatae erant, quaeque etiam Agamemnonem et Clytaemnestram occidentes viderant, in ‚Eumenidibus‘ tandem placantur. Nec facile nunc quisquam dixerit, quot quamque pulchrae ‚Oresteae‘ cum ‚Agamemnonide‘ relationes nos nunc priore trilogia amissa fugiant. Jam vidimus poetam in ‚Telephum‘ suum tragici affectus plenum recepisse ex vita exulantis sui imperatoris et amici Themistoclis momentum; quicumque vivo animo vivae antiquitatis gesta recoluit, nullo negotio sibi totius theatri commotionem super hac scaena repraesentabit. Quid ‚Palamedes‘? Num omisisse credemus severum poetam ultro oblatam occasionem, ut injusto de Graecorum sapientissimo instructo iudicio Athenien-

¹ Moneo Furias in anaglyphis Etruscis (v. supra p. 257) inter eos esse, qui mactandae Iphigeniae assistunt. Quin porro aut Palamedes condemnatus, aut pater ejus Nauplius eas invocaverit, non dubitabit qui Ajacis ante mortem preces perlegerit (Soph. Aj. 835 sq.).

ses de ipsorum erga Salaminium victorem injuria admoneret? ¹.

Et de 'Agamemnonide' quidem satis dictum est ².

11. Priusquam tamen ad Sophoclem ejusque 'Iphigeniam' transeamus, haud inutile erit locos ab Aeschylo mutatos eodem ordine, quo supra § 3 et 4 in Cypriis tractandis usi sumus, sub lectoris aspectu ponere.

1) Agamemnonis igitur culpa tota ab Aeschylo sublata est. Quae cum nulla fuerit, ne expianda quidem fuit Agamemnoni; Iphigeniae ergo sacrificium, quod ex rerum memoria nec potuit tollere nec voluit poeta, non expiatorium, sed placatorium fuit.

2) Prior Dianae poena Trojae venturo exitio offensae contrariis consistebat ventis, quibus non utique classis Achivorum profectio, sed navigatio Trojam versus prohiberetur.

3) Posterior Dianae poena etiam apud Aeschylum postulatione constituisse videtur, ut sibi non quaelibet Achiva vel etiam regia virgo, sed ipsa Iphigenia mactaretur.

4) Simulatum Achillis conjugium ita in usum suum convertit Aeschylus, ut Iphigeniam jam antea bona fide Achilli desponsam fuisse fingeret, quae prima fuit

¹ V. supra § 7. De amico Aeschyli erga Themistoclem animo cf. Wilamowitz, *Aristoteles und Athen* I 143 n. 36, qui bene recentiorum commenta de 'Persarum' poetae erga Salaminium heroem invidia refutavit. Optimum tamen argumentum, quo ille uti non potuit, 'Telephi' loco continetur.

² Pauca tamen addere liceat. Ag. 799 sqq. chorus regem de expeditione Trojana a se olim reprobata admonet; possumus ergo suspicari hoc ipsum fuisse ultimi in 'Telepho' stasimi argumentum et eodem senes Argivos et hic et ibi chorum composuisse. Ulixes porro v. 841 ab Agamemnone laudatus, ὅς περ οὐχ ἐκὼν ἔπλει (quibus verbis ad Palamedis et dolum et perniciem alluditur) reginam praesentem non mediocriter offendere debuit. Achivorum denique interitus v. 636 sqq. descriptus Nauplii in 'Palamede' diris respondebat.

trium rationum supra § 4 p. 247¹ indicatarum. Quod promissum ab Agamemnone necessitate cogente violatum pugnae causa extitit.

5) Arcessitur Iphigenia in castra Aulidensia per Ulixem et — fortasse — Talthybiū, quae Cypriorum quoque mythopoeia fuisse videtur; nec tamen sola, sed matre filiam comitante.

6) Iphigenia a Diana salvatur, quod ipsum quoque in Cypriis praeformatum erat; alludunt huc chori verba Ag. 247 τὰ δ' ἐνθάεν οὐτ' εἶδον οὐτ' ἐννέπω. Probabile est etiam ea quae sequuntur, scilicet ad Tauros fabulosos delatam immortalitate donatam esse Iphigeniam, retinuisse Aeschylum.

CAPUT III.

De Iphigenia Sophoclea.

12. Ad Sophocleam Iphigeniam' reconstruendam praeter ipsius fabulae fragmenta — pauca illa quidem sed memorabilia — fontes adhibere possumus hos:

1) Indicia in *Electra*' ejusdem poetae extantia. Quamquam enim demonstrari non potest constitisse sibi poetam et hic et illic in Iphigeniae mythopoeia, tamen per se est probabile, ut sine causa ab hanc praesumptione recedendum non sit.

2) Indicia in Euripidis *Iphigenia Taurica*' extantia. Cum enim haec tragoedia utique ante *Aulidensem*', quippe postumam, scripta sit, necesse est de sacrificio mythopoeiam respexerit aut Aeschyleam aut Sophocleam, ut quae Aeschylo vindicari non possint, pro Sophocleis habenda sint.

¹ Siquidem recte supra posui eam jam desponsam fuisse Achilli; alia enim causa, quam deae voluntas, existere non poterat secundum poetae oeconomiam, cur praeter ceteras ad sacrificium deligeretur; cf. Eur. Phoen. 944.

3) Ipsius Iphigeniae Aulidensis' Euripideae loci rudimentales, qui itidem quatenus ab Aeschylo abhorrent, ad Sophoclis tragoediam reconstruendam adhibendi sunt.

4) Traditio mythographica, quatenus a Sophocle profecta esse videtur. Litterariam dico; nam figuratam totam ab Aeschylo pendere vidimus.

De methodo tamen pauca monenda sunt. Forsitan enim nos nimis faciles quispiam dixerit, qui tribus primariis tragoediarum poetis totam tragicam Iphigeniae mythopoeiam contineri putemus, ut quod neque Aeschyleum neque Euripideum sit continuo Sophocleum esse debeat; nonne enim etiam minorum gentium poetas hoc vel illud contribuere potuisse? Sed jam antea monui nos ut semper in quaestionibus philologicis, ita hic probabilitatum calculo gubernari. Certum est praeter illos tres neminem extitisse, cujus quidem ut Iphigeniae' auctoris nomen ad posteritatis memoriam pervenerit (nam Polyidus neque Aulidensem attigit et IV demum saeculo floruit). Probabile ergo ducimus aut omnino neminem extitisse, aut si extiterit, non tantum valuisse, ut ceteris respiciendus videretur esse. Nam si quid ab alio generis scriptoribus, Pherecyde puta, aliter atque in tragoedia proditum erat, potuit id quidem poetas tragicos ad mythum peculiari tragoedia immutandum allicere, non tamen singulis allusionibus ab iis respici, si quidem a populo, non a doctioribus intellegi voluerunt.

Quibus praemonitis, cum de sola Iphigenia' nobis agendum sit nullo trilogico nexu cum aliis tragoediis conjuncta, ita disquisitionem instituemus, ut de sex locis, quibus et Cypriorum et Aeschyli mythopoeiam inclusimus, singulos singulis paragraphis tractemus.

13. 1) De Agamemnonis culpa. Jam supra vidimus (§ 9) Sophoclem in Electra' Clytaemnestrae cum Electra agonem ita instruxisse, ut illam Aeschyli, hanc

Cypriorum mythopoeiam defendentem inducat; itaque cum illa causae suae inserviens (537) rem ita repraesentet, quasi solius Menelai gratiâ Agamemnon filiam mactaverit, cum ei liberum fuerit aut in Menelai liberos pestem avertere, quod proprium est placatorii sacrificii, aut exercitum dimittendo utrosque salvare (quod etsi diserte dictum non est, tamen ex eis, quae dicta sunt, necessario sequitur), Electra de sacrilegio Aulidensi narratione praemissa (566), quasi matri nondum auditâ, quovis pacto necessarium fuisse contendit patri culpam suam filia mactanda expiare, quod nisi fecerit non modo Trojanam, sed omnino nullam ei Aulide profectionem liberam fuisse.

Quodsi quis miretur patris amantissimam filiam, quae omni crimine eum purgare studeat, hanc tamen culpam matre invita ei utique inhaerere velle, ideo id facit, ut levioere facinore admissio, artis jaculatoriae jactandae negligentia, multo graviore, filiae scilicet mactandae cupiditate, eum liberet.

Ita enim est: patrem quovis pacto excusare studet, ut toto sceleris onere in matrem collato etiam Orestae ultionem quantum potuit justissimam apparere faciat. Hoc Delphicus tragoediae color postulabat. Ideo, ut hoc in transitu moneam, ne Cassandrae quidem amoris ullam suspicionem reliquit, contra atque Aeschylus fecerat et Euripides facturus erat.

Ex posterioribus mythographis Hyginus totus¹, Apollo-

¹ Fab. XCVII... *in Aulide tempestas eos Dianae retinebat, quod Agamemnon in venando cervam ejus violavit superbissime in Dianam est locutus.* Propius tamen hanc narrationem Cypria quam Sophoclem accedere ex his patet: 1) Hyginus tempestatem agnoscit, quam Sophocles (v. infra § 14) locum habuisse negat. 2) Apud Hyginum cervam occidit Agamemnon, cum Sophoclem idem de cervo (*στικτὸν κεράστην ἔλαφον*) narret. Non perinde hoc esse ex eis liquet, quae supra (§ 4) de talione exposui: commodius feminae quam maris cum virgine commutatio fiebat. Cur autem Sophocles hanc correspondentiam obscuraverit, statim visuri sumus. 3) Apud Hyginum diserta est culpae Agamemnonis conductio: discernit enim sacri-

dorus autem in relatione principali¹ Cypriorum Sophoclisque famam sequitur.

legium (*violavit*) a jactantia. Hanc eandem conduplicationem etiam in Cypriis locum habuisse vidimus (§ 4), cum Sophocles, utpote qui regis culpam quovis pacto elevare studeat, sacrilegium excusaverit, leviolem jactantiae culpam solam reliquerit.

¹ Epit. 3, 21; ceterum haec narratio accuratiore interpretatione indiget Verba affero Sabbaitici fragmenti, utpote plenioris: *ἀπλοια* (hoc commune est) *οὐκ κατεῖχε τὸν στόλον. Κάλλας δὲ ἔφη οὐκ ἄλλως δύνασθαι πλεῖν αὐτούς, εἰ μὴ τῶν Ἀγαμέμνονος θυγατέρων ἢ κρατιστεύουσα κάλλει σφάγιον Ἀρτέμδι παραστή.* Non igitur nominatim Iphigenia ad sacrificium flagitatur, sed in universum Agamemnonis filia; qui cum plures habuerit, pulchritudine delectum fieri consentaneum erat. Artissime haec cum expiatoria sacrificii ratione cohaerere patet; antiquiorem tamen esse illam de Iphigenia nominatim imperata famam supra (§ 4, p. 3) vidimus. Quaeritur ergo, quis pro illa hanc induxerit. De Aeschylō non est quod cogitemus; qui cum jam pridem desponsam Achilli Iphigeniam finxisset, non facturus erat Atridas turbas turbis cumulantes nisi necessitate, hoc est diserta deae voluntate imperante. Omnia contra Sophocli favent, apud quem jam post editum oraculum nomen tantum praebet Achilles. Idem Sophocles in 'Epigonis' etiam Argivorum voti similem formam finxisse videtur; scilicet pulcherrimam se praedae partem Apollini obluros esse, quod post urbis expugnationem de Manto Tiresiae filia interpretati essent. Confirmatur haec conjectura Euripidis inversione IT 16 ubi licet alio modo *καλλιστεῖον* tamen in Iphigeniam confertur; cum enim Aeschylum secutus sacrilegium Agamemnonis procul habeat, non potuit de sacrificio imperato Sophoclea repetere. — Pergit: *ἔλεγε γὰρ μνήσαι Ἀγαμέμνονι τὴν θεόν, κατὰ μὲν τινὰς ἐπεὶ κατὰ Δῆρμον ἐν Ἰκαρίῳ βαλὼν ἔλαφον εἶπεν οὐ δύνασθαι σωτηρίας αὐτὴν τυχεῖν οὐδ' Ἀρτέμδος θελοῦσης* (de ultimis verbis cf. supra p. 244). Sophocleorum habes ulteriorem evolutionem: jactatio sola relicta est, cerva ne in Dianae quidem luco occisa est, sed in Icario Atticae monte. R. quidem Wagner (Rh. M. XLVI 619) ea, quae gravissima sunt, non animadvertit, cum Homericā scilicet versione Atticā de Diana-Iphigenia *Brauronia* conjunctam esse, quod qui fecit poeta necesse est Euripidis in Iph. Taurica' tramite ulterius sit progressus. Nobis hic certe aenigma offertur. — Pergit: *κατὰ δὲ τινὰς ὅτι τὴν χρυσοῦν ἄρνα οὐκ ἔδυσαν αὐτῇ Ἀτρεΐς.* Hoc alterum est aenigma; agnoscimus notum de auro funesto locum, qui etiam in Phryi auro vellere et in Harmoniae monili apparet. Cupiditate occaecatus Atrous sibi aureum agnum reliquit, qui nunc neptis ejus sanguine luitur; cui tamen

14. 2) De priore Dianae poena. Hic primum Sophocles volens et sciens et Cypriorum et Aeschylī vestigia reliquit. Cum enim illic contrarii venti lique violenti Graecorum classem Aulide retinuerint (supra § 4 et 8), hic Diana omnes ad unum ventos flando prohibet, ut plena tranquillitas Euripi fluctus componat¹. Neque arduum est hujus novationis causam perspicere: ut enim ad minimum reducat Agamemnonis culpam, inextricabili nodo eum constrictum fuisse ait. Apud Aeschylum potuit pater filiam salvare, si exercitum dimittendo Trojanam expeditionem missam fecisset; pro certo hoc colligitur ex monologo ejus Ag. 206 sq. Domum igitur dabatur classi reditus ventis, qui Trojam tantum navigantibus, utpote *πνοαὶ ἀπὸ Στρώμονος μολοῦσαι*, adversi erant. Apud Sophoclem etiam hic exitus ei praeclusus erat, cum sopitis ventis neque ad Hellespontum neque domum — *οὐ πρὸς οἶκον οὐδ' ἐς Ἴλιον* — navigatio daretur.

Data occasione monere liceat non esse hanc rem ex

haec pulchra conceptio debeatur, non facile dixerim, nisi eam in Sophoclis Atreo' inter Thyesteas preces' extare potuisse. De eadem re etiam Pherecydis erat mythologema (fr. 93; cf. R. Wagner, *Curae mythographae* 667), cujus quae fuerint cum Sophocle relationes nondum liquet.

¹ Premendam puto hanc differentiam quamvis obloquente Wilamowitzio (Herm. XVIII 220). Apud Sophoclem enim discrete dictum est El. 564 de Diana *τὰ πολλὰ πνεύματ' ἔσχ' ἐν Αὐλίδι*, quem locum Kaibel recte *ihre vielen Winde zurückhielt* interpretatur; Wilamowitzius autem addit: *Artemis hielt sie zurück, es wehte nur der thrakische Boreas, welcher jede Schiffahrt verhinderte; so erzählt es Aischylos*. Hoc non interpretari est, sed interpolare. Mutatae rei finis ex v. 573 apparet: *οὐ γὰρ ἦν λύσις ἄλλη στρατῷ πρὸς οἶκον οὐδ' ἐς Ἴλιον*, cum apud Aeschylum, ut ex Agamemnonis dubitatione colligimus, navigatio πρὸς οἶκον fieri potuerit. Ita eum Euripides quoque intellexit, idque non minus in Iph. Taurica' v. 15 *δεινῆς δ' ἀπλοίας πνευμάτων τ' οὐ τυγχάνων* (ubi male Wilamowitzius *πνευμάτων τε τ.*) quam in Aulidensi', ubi v. 88 ambiguum *ἤμεσδ' ἀπλοῖα χρώμενοι κατ' Αὐλίδα* lucem accipit ex v. 9 sqq.: *οὐκὸν φθόγγος γ' οὐτ' ὀρνίθων οὔτε θαλάσσης, σιγαὶ δ' ἀνέμων τόνδε κατ' Εὐριπον ἔχουσιν*.

nostra scientia dijudicandam. Nostrum enim quivis maris Aegei forma inspecta sibi facile persuadebit Aulide proficiscentem classem, sive ea Trojam, sive Peloponnesum versus iter factura erat, usque ad Geraesti utique promunturium eisdem ventis egere, qua re 'ventos a Strymone' (Ag. 192) Euripo exeuntibus non adversos, sed secundos esse. Nec tamen obliviscendum est Graecos hac inspiciendi commoditate privatos fuisse; cum enim classis Trojam profectura Aulidem venisset, sponte et apud poetas et apud eorum spectatores opinio oriri debuit diversa esse Aulide spectantibus Trojam et ad Peloponnesum itinera diversisque huc vel illuc opus esse ventis.

Sed haec nostram quaestionem non admodum tangunt; Sophoclis utique et immutatio et sententia ex eis, quae dicta sunt, satis clare patescit.

15. 3) De posteriore Dianae poena. Ab Agamemnone lacessita, ut consentaneum est, Agamemnonis filiam in sacrificium deposcit, El. 572 τὴν αὐτοῦ κόρην; Iphigeniae nomen tacetur. Fuerit ergo causa necesse est, cur praeter ceteras Iphigenia eligeretur. Qua in re bene nobiscum actum est, quod in mythographica traditione praeter illam simplicem (secundum me, Aeschyleam) versionem de Iphigenia nominatim eflagitata etiam illa servata est, qua haec virgo propter eximiam pulcritudinem electa esse dicitur: de qua versione supra p. 266 diximus. Hunc igitur de καλλιστείῳ locum Sophocli tribuere licebit.

16. 4) De Achillis simulato conjugio. Hic repetendus mihi est locus rudimentalis, quem ut talem supra (lib. I § 64) tractavi. Cum enim Euripideus Achilles IA 961 sqq. injuria se ab Agamemnone affectum dicit, quod ille se inscio nomine suo abusus sit, quod si a se diserte poposcisset, non se quidem recusaturum fuisse — ad priorem tragoediam alludit, qua huic humanitatis, si dis placet, conditioni satisfactum erat; haec enim secunda est trium

rationum, quas supra (§ 4) enumeravi. Neque ea tamen Aeschylī fuit Iphigenia: ibi enim Agamemnon non decipiendae uxoris causa nomen ab Achille efflagitat, sed optima fide ei filiam despondet. Sequitur Sophocli hunc locum imputandum esse.

Operae pretium est haec nobis accuratius repraesentare. Venit igitur ad Achillem Agamemnon — sive potius ab Agamemnone missus Ulixes, — dicitque ei proficisci classem Aulide non posse, nisi Iphigenia Dianae immoletur, neque tamen Clytaemnestram filiam suam in Achivorum castra nisi conjugii causa dimissuram esse, conjugium porro nullum nisi Achillis probaturum; concedat igitur imperatori, ut communis utilitatis causa nomen suum ad filiam eliciendam praetendat. Nec sane indignatus haec accipit Achilles; immo postquam cognovit hanc esse necessariam expeditionis conditionem, invitus fortasse, sed tamen morem imperatori gerit. Conveniuntne hae partes Achilli, quem ab omni dolo alienum esse novimus? — Limitanda est quaestio: quaeramus potius, convenientne Sophocleo Achilli. Is quidem in servatis tragoediis non prodit; prodit tamen ejus filius paternaeque simplicitatis heres, Neoptolemus. Etiam ejus ope abutitur Ulixes ad hominem eliciendum, Philoctetam dico; simplexque juvenis communis utilitatis causa morem ei gerit¹. Non usque ad finem tamen; in ultimis enim tragoediis suis et Sophocles et Euripides jam taedium ceperunt dolosae actionis, cui in mediis aliquatenus indulgebant. Neque obliviscendum est in Iphigenia' absente Achille Ulixis dolum ad effectum perducī; ipse ne apparet quidem, totaque res ab Ulixē in prologo Diomedī comiti narrata esse videtur — ut statim visuri sumus.

Ab Iphigeniae inimicis stetisse Achillem in mythopoeia anteuripidea etiam ex IT 531 sqq. apparet, ubi heroina

¹ Quin etiam querenti Philoctetae se commilitonum consensu constrictum esse respondet (v. 926), quae sunt totidem etiam de Achille in Iphigenia' accipienda.

Orestem de Calchantis, Ulixis et Achillis sorte interrogat Achillique 'dolosas' secum 'nuptias' crimini dat.

17. 5) De Iphigenia Aulidem arcessita nos edocet Hyginus, qui post verba supra allata (p. 265 n.) ita pergit: *Is* (sc. Agamemnon) *cum haruspices convocasset et Calchas scelus respondisset aliter expiari non posse, nisi Iphigeniam filiam immolasset, re audita Agamemnon recusare coepit* (cf. El. 575). *Tunc Ulixes eum consiliis ad rem pulcram transtulit* (mira sane locutio). *Idem Ulixes cum Diomede ad Iphigeniam missus est adducendam. Qui cum ad Clytaemnestram matrem ejus venissent, ementitur Ulixes eam Achilli in conjugium dari. Quam cum in Aulidem adduxisset...* Quae ultima verba nullum dubitationi locum relinquunt, quin solus Ulixes, non Clytaemnestra, Iphigeniam Aulidem duxerit. De comite inter Hyginum et Apollodorum dissensio est: is enim pro Diomede Talthybium nominat. Credo autem neminem dubitaturum esse, quin Hyginea versio posterior sit. Talthybius enim nil aliud erat quam Agamemnoneae voluntatis symbolum, plane ut scipio ejus B 186, neque cum eo, qui praeco tantum imperatoris erat, Ulixes ut cum pari colloqui poterat. Alia erat Diomedis conditio, quem ille et in Dolonia, et in Lemnio itinere, et in Palladio rapiendo comitem habiturus erat; is ipsius colloquii causa inductus esse videtur a poeta, cujus id et intererat, et opes suppeditabant, hoc est et dramatico, et trium actorum domino. Quo magis nobis persuadetur ad Sophoclem referendam esse Hygineam versionem, ad Cypria Aeschylumque Apollodoream (cf. supra § 9).

Fide igitur Ulixi habita Clytaemnestra filiam ei tradit, ipsa mariti imperio obtemperans Argis remanet; haec est diserta Hygini versio, quocum etiam Apollodorus concinit: cf. epit. 3, 22 (Sabb.) *πεμφράσης δὲ ἐκέλευς...* Videtur ergo Sophocles ad Cypria rediisse; nam secundum Aeschylum prosecuta est filiam mater in Achaica castra (supra p. 257).

Qua in re cur ab antiquiore poeta recesserit, statim intellegemus: cum enim in Aeschyli tragoedia Aulide res acta sit, Sophocles Argos scaenam transtulit¹. Demonstratur hoc 1) ipsis Hygini verbis, apud quem animo prosequimur Ulixem cum Diomede Argis Clytaemnestram adeuntem; 2) Sophoclis ex Iphigenia fragmentis 286 et 288. Illud:

νόει πρὸς ἀνδρὶ χρῶμα πουλύπους ὅπως
πέτρα τραπέσθαι γνησίου φρονήματος

ab homine esse pronuntiatum videtur vitae vicissitudines experto ad juniorem comitem inque memoriam nobis revocat Ulixis cum Neoptolemo colloquium Soph. Phil. 96 sqq. Multo vero etiam disertius est fr. 288, quod a grammaticis ita inducitur: πενθερά Σοφοκλῆς... εἶπε πενθερὸν τὸν γαμβρόν ἐν Ἰφιγενείᾳ Ὀδυσσεύς φησι πρὸς Κλυταιμνήστραν περὶ Ἀχιλλεύς

σὺ δ', ὦ μεγίστων τυγχάνουσα πενθερῶν.

Vides plane ad Clytaemnestram converti Ulixem (cf. apud Hyginum... *qui cum ad Cl. venissent, ementitur Uliesses eam Achilli in conjugium dari*); id vero, siquidem regina ei filiam Aulidem ducendam traditura erat, nisi Argis nusquam fieri potuit. — 3) Allusionibus, quae in Iph. Taurica² inveniuntur: v. 24

καί μ' Ὀδυσσεώς τέχναις
μητρὸς παρείλοντ' ἐπὶ γάμοις Ἀχιλλεύς

et de Oreste fratre 231:

σύγγονον, ὃν ἔλιπον ἐπιμαστίδιον
ἔτι βρέφος, ἔτι νέον, ἔτι θάλος
ἐν χερσὶν ματρὸς πρὸς στέρνοισι τ'
Ἄργει σκηπτούχον Ὀρέσταν

¹ Hanc gravissimam inter Sophoclem ceterosque poetas differentiam prima animadvertisse videtur T. Lewicka in commentatione supra (p. 255 n. 2) commemorata.

et, quod maximi est momenti, verbis, quae se sub ipso sacerdotis cultro pronuntiasset meminit, de matre Argis relicta 364 :

ὦ πάτερ, νυμφεύομαι
 νυμφεύματ' αἰσχρὰ πρὸς σέθεν μήτηρ δ' ἐμὲ
 σέθεν κατακτείνοντος Ἀργεῖαί τε νῦν
 ὑμοῦσιν ὑμέναοισιν, αὐλείται δὲ πᾶν
 μέλαθρον.

Non quadrat haec repraesentatio cum Aeschyli Iphigenia', apud quem mater filiam Aulidem prosecuta erat, suam autem Euripides nondum scripserat; sequitur ad Sophocleam eam referendam esse, quae tum animis hominum obversabatur. Filiâ ergo dimissâ Argis remansit Clytaemnestra et gaudii et sollicitudinis plena, de nuptiis nuntium expectans; chorus interea, quem ex Argivis mulieribus constituisse ex hoc Euripideo loco discimus, interstitium stasimo explet, hymenaeo in honorem simulati conjugii. En Sophocleo more fallaci laetitiâ inspiratum carmen, Aj. 692, Ant. 1115, OT 1086, Trach. 633 plane simile. Nam continuo post ultimos felicis augurii sonos nuntius Aulide advenit de finali puellae exitu narraturus.

18. 6) De Iphigenia salvata in Sophoclis tragodia certis vel adeo incertis indiciis destituimur; cum autem neque in mente traditionalem viam relinquere potuerit poeta, neque in fabula humani sacrificii suspicionem Dianae inhaerere pati, nec tamen Clytaemnestra de salvata filia certior facienda fuerit, probabile est poetam itidem ut Aeschylum ad ambiguum Calchantis vaticinium confugisse, quo inter immortales receptam esse virginem gnari spectatores discerent, ipsa mater celaretur. Utut est, non crediderim poetam quidquam in hac re innovasse.

19. Singulis examinatis si universam fabulam respicimus, quatenus ab Aeschylea differat, maximam innovatio-

nem in gravitatis centro ab Agamemnone in Clytaemnestram translato constituisse apparebit. Apud Aeschylum enim Agamemnonem ut totius trilogiae, ita Iphigeniae quoque principem fuisse heroa vidimus, qui totam fabulae actionem animo suo reverberabat; Clytaemnestra etsi aderat, secundas tantum ferebat. Apud Sophoclem contra, qui Agamemnonem patrem et maritum abesse jusserat, omne tragici affectus pondus uxor materque sustinebat.

Sequiturne hinc etiam sympathiâ nostrâ dignam repraesentatam esse heroinam? Credo hodiernum poetam non omissurum fuisse occasionem psychologice evolutionis, quam nobis Odysseae γ 263 sqq. auctor adumbravit, lucidius dipingendae. Vixdum scilicet profecto Agamemnone Aegisthum machinas suas admovisse, ut expugnato reginae amore ultionem suam praepararet; nec tamen quidquam egisse — *φρεσὶ γὰρ κέχρητ' ἀγαθῆσι*, nec defuisse sibi reique commissae sapientem illum vatem, quem proficiscens maritus uxori rectorem reliquerat. Ecce autem dolo malo filia ei elicitur, ecce crudelissime mactatam comperit — jam non potest seductoris illecebris resistere, nec tamen amoris jungendi, sed parricidii unâ instruendi causa opem ejus accipit.

Ita fere haec, inquam, hodiernus instituisset poeta; de Sophocle nihil praeter ea, quae jam dicta sunt, in tenebris discerni posse puto. Sed vel ea sufficere ajo, ut eum in hac tragoedia Clytaemnestrae jus exposuisse intellegamus, cui postea demum in *Electra* Agamemnonis jus opponeret. Haec nimirum est Sophoclea vereque humana duplicis juris notio, quae omnium splendidissime in *Antigona* emicuit — adeo splendide, ut hodieque philologorum aciem praestrinxerit. Immo hodie maxime; nam felici neohumanismi aetate non fugit docilem Schilleri animum, qui inde a *Domino Carolo* ipse quoque duplicis juris in poesi auctor extiterit. Sed haec accuratius tractare non hujus loci est.

CAPUT IV.

De Iphigenia Euripidea.

20. Dilucidatâ, quoad ejus fieri potuit, de Iphigenia mythopoeiae ante Euripidem evolutione, jam eo pervenimus, ut de ipsius innovationibus quaestionem aggredi possimus. Quid ergo novi Aulidensis' ejus Iphigenia' praestitit?

Una in re antecessoris non tam mythopoeiâ quem compositione posthabitâ¹ ad Aeschylum rediit: non enim Argis scaena est, sed in Achivorum castris Aulidensibus. Haec res ei occasionem dedit Agamemnonis tragoediam, quam Sophocles ex oculis removerat ipsam spectatoribus repraesentandi. Is ergo apud eum prioris tragoediae partis (usque ad mulierum adventum) heros est. Habemus igitur et intimatorum animi affectuum inter se rixam, et amborum fratrum certamen. Quod tamen Menelaus minatur, se a fratre destitutum aliorum amicorum opem petiturum esse (413), quas minas apud Aeschylum Menelai cum Ulixæ conjuratio sequebatur (supra § 9), id apud Euripidem irritum remanet; abest enim 'intricatus' dolus ab hujus poetae aetatis tragoediis. Etiam in aliis rebus lene senectutis merum cognoscitur: Menelaus non ille est perfidus et malevolus homo, quem ex 'Andromacha' novimus: non minus fratre movetur Fati crudelitate, cum erepto ex manibus humanis gubernaculo ipsum et solum vitam eorum ad aegritudinem et perniciem ducit.

¹ Illud tamen Sophocleum retinuit, quod etiam apud eum non contrariis ventis Achivorum classis laborat, sed omnium ventorum absentia. Hic locus tamen, qui apud Sophoclem excusandi imperatoris causa inductus erat, totam vim apud Euripidem amisit: illa enim, Aeschylum secutus, actionem instituit, ut penes Agamemnonem stet, utrum desperatâ expeditione suam salvare an mactata filia navigare malit.

Iphigeniam autem Clytaemnestra in castra Achiva committata est; etiam hic Euripides relictis vestigiis Sophocleis ad Aeschyli mythopoeiam rediit. Fecit hoc autem ut Agamemnonis tragoediae tragoediam Clytaemnestrae adderet. Plena inducitur maternae et superbiae et felicitatis; vide modo v. 628. ex intimo antiquorum hominum sensu haustum *μακαρίαν δ' ἐμὲ ξένοισι ταῖςδε πλησία σταθεῖσα δός*. Culmen autem hujus et superbiae et felicitatis gener est Achilles. Amice igitur eum compellat. Brevis est transitus a summa felicitate ad extremum dolorem; cognoscit dolere malo cum filia Aulidem arcessitam esse.

Hucusque in rerum summa Aeschyleam habuimus mythopoeiam; abhinc vero propriam poeta ingreditur viam. Si enim respicimus tres simulati conjugii rationes, quas § 4 p. 247 a priori adumbravimus, apparebit primam initam esse ab Aeschylo, secundam a Sophocle, tertiam ineundam remansisse Euripidi. Videtur poeta magnanimum virginis defensorem, qualem instituerat Aeschylus, reducere voluisse; et recte id quidem, nam Sophocleus disciplinae militaris vindex magis placebat ex oculis sublatus. Nec tamen ausus est eam a patre Achilli desponsam repraesentare; qua in re superiorem meam (§ 7) de Telepho Aeschyleo opinionem approbatam esse video: si enim in Telepho haec sponsio locum habuit, facile intellegitur, cur ab Euripide destructo trilogico nexu abjecta sit. Nec tamen eo minus Achillem puellae patronum induxit, sed psychologica ratione adeo tenui atque subtili, ut ab Aeschyli animo plane abhorruisse debuerit; nam Aeschyli est τὸ τραγικώτερον, ut Dionis verba repetam, Euripidis autem τὸ πολιτικώτερον καὶ ἀκριβέστερον. Censet enim se salutem debere et matri et filiae propter id ipsum, quod suum eis nomen perniciosum paraverit: *τοῦνομα γὰρ, εἰ καὶ μὴ σίδηρον ἦρατο, τοῦμὸν φονεύσει παῖδα σὴν... ἀγνὸν δ' οὐκέτ' ἐστὶ σῶμ' ἐμόν, εἰ δὲ ἔμ' ὀλέεται διὰ τε τοὺς ἐμούς γάμους* (938). Qua in rationatione

non abesse locos rudimentales et ex Aeschylō et ex Sophocle ductos¹ consentaneum est.

Hinc autem post Agamemnonis postque Clytaemnestrae tragoedias tertia efflorescit eademque omnium praestantissima tragoedia Iphigeniae. Ea vero soli Euripidi debetur; apud Aeschylum enim certo scimus Iphigeniam invitam esse mactatam, apud Sophoclem hoc idem praesumere debemus, sive quod is ex oculis removit Aulidense drama, seu quia mythopoeiae ejus heres Iphigenia Euripidis Taurica odii in carnifices suos — patre excepto — plena inducitur. Et memorabile sane est, quam tarde et gradatim haec magnanimae virginis imago ab eo efficta sit: adumbrat Iphigeniam Polyxena 'Hecubae', adumbrat Polyxenam Macaria 'Heraclidarum'. Nec tamen antea plenam omnibusque numeris absolutam habuimus tragoediam: Macaria enim et Polyxena a primis statim verbis ad mortem sunt paratae, non nimis eas allicit exulis servaeve vita. Nil simile in Iphigenia. Plena eam manebat delectationis regalis vita, plena terroris est mortis necessitas; acerrimo juvenilis cupidique animi impetu eam primo detestatur, nec nisi sensim et pedetemptim, et a conscio patre et ab inscio Achille edocta, praeponendas esse cognoscit patriae suorumque res suae ipsius felicitati et sua sponte electionis potestate data mortem eligit. Ex qua decisione mirabilis illa ecstasis religiosa nascitur v. 1475 sqq.: *ἀγέτέ με τὰν Ἰλίου καὶ Φρυγῶν ἐλέπτολαν*, — qua haec tragoedia etiam affectu suo cum aequalibus 'Bacchabus' coordinatur.

¹ Cum enim Achilles 1404 et 1 10 optare se dicit, ut sponsa sibi sit Iphigenia, cum 1354 milites Achivi ei exprobrant, quod *τῶν γάμων ἥσσων* sit, isque nil aliud respondet nisi *τὴν ἐμὴν μέλλουσαν εὐνὴν μὴ κτανεῖν* ... ἢν ἐφήμισεν πατήρ μοι, Aeschyleam habemus conceptionem sive per 'irritum consilium', sive per 'vanam famam' redintegratam. De Sophocleis jam supra (p. 271) diximus. Sed etiam in 926 *καὶ τοῖς Ἀτρεΐδαϊς ἦν μὲν ἠγῶνται καλῶς πεισόμεθ'*, ὅταν δὲ μὴ καλῶς, οὐ πείσομαι 'tacitam' habere videmur 'invectivam' in Sophocleis Achillem nimis illum quidem patienter militari disciplinae deditum.

21. Necessae erat totam de Iphigenia mythopoeiam ante oculos lectorum ponere, ut quid novasset Euripides cognosceretur; his autem cognitis opus erat, ut de tragodia Euripideae exodo recte judicari posset.

Non quo de Euripidea ejus origine vel minima existere possit suspicio; postquam enim ultimus ejus patronus, Henricum Weilium dico, victus adversariorum argumentis ante hos XXV annos manus dedit, jam opus non est rem centies actam denuo agere. Neque quemquam dubitare puto, quin genuinae exodi fragmentum nobis servaverit Aelianus hist. an II 39:

ἔλαφον δ' Ἀχαιῶν χερσὶν ἐνδήσω φίλαις (?)
κεροῦσαν, ἦν σφάζοντες ἀχίησουσι σὴν
σφάζειν θυγατέρα

quod etiam trimetrorum structuram quam aptissimum esse ultimae poetae aetati supra (lib. II § 65) vidimus.

Hoc fragmentum tres propter causas maximi est aestimandum: 1) Demonstratur nobis eo in genuina exodo Dianam 'ex machina deam' Clytaemnestram consolatam esse. Quod ex machina, respondet hoc ultimae Euripideae aetatis consuetudini, praeter 'Phoenissas' nusquam violatae; quod Clytaemnestram, respondet nostrae tragodiae compositioni, in qua regina valere jussu v. 1466 filia ipsa in scaena remansit. — 2) Demonstratur instare demum sacrificium; nam tempore futuro — ἐνδήσω, ἀχίησουσι — utitur dea. Hoc quoque tragodiae nostrae accommodatum est. Ecstaticum enim Iphigeniae carmen una cum chori cantu ultimum efficit stasimon, neque ante ejus finem Iphigenia abit; nullum igitur in tragodia spatium datur patrandi sacrificio, de quo nuntius narrare possit. Hoc ipsum non videtur animadvertisse adulterinae exodi auctor. — 3) Demonstratur fugisse oculos Achivorum deae miraculum, quippe qui non dubitaturi sint, quin Iphigenia ei sit macata: nec potuit aliter res institui, siquidem cognitam virginis salvatione nullus jam ulciscendae locus relinquebatur.

Hoc ipsum autem reprehendendi nobis ansam praebere potest. Secundum enim genuinam exodum ipsa dea reginam de salvata filia certiores facit; quaeritur ergo, quo jure ea post irrefragabile deae testimonium sibi nihilominus injuriam factam esse crediderit mariti sanguine ulciscendam? Hoc revera omnium Weillii contra Aelianeam exodum argumentorum speciosissimum erat. Quaeritur tamen, quid tandem eo demonstratur. Ex rerum utique natura Aelianei versus removeri non possunt; fuit ergo tragoedia, in qua Diana Clytaemnestram de filiae fato consolabatur. Si autem cujusquam luit, cur non Euripidis? De eventu dubitari potest. Potuit, qua erat acerbitate, etiam deae verbis fidem denegare regina, Agavae aequalis suae ut alius in rebus — quippe illa religione suadente filium, haec filiam amiserat — ita etiam in hac extrema pertinacia non dissimilis; potuit poeta in artum deductus hunc locum omnino silentio pressisse de eis, quae extra tragoediam erant, plane securus. Quid enim? Num curavit Medae? auctor ope Aegeo a Medea atque invicem promissa tolli Aegei apud Pittheum commorationem unaque Thesei originis?

22. Sed jam a genuina exodo ad adulterinam transeamus. Extat in utroque codice textum tragoediae exhibente, Laurentiano scilicet (plut. XXXII 2, in: XIV saec. = L) et Palatino (287, XIV saec. = P); nec tamen eadem remanent palaeographicae ejus conditiones. In utroque sane exodi initium (1532—69) ab eodem quo priora librario scriptum est; sed a v. 1570 turbae incipiunt in utroque peculiare.

In L enim post 1569 librarius notam addidit, qua reliquos versus desiderari significasse videtur. Et revera ei qui sequuntur duo versus cum dimidiato (1570—72^a) a posteriore manu additi sunt, postmodo autem prior manus quinque versus cum dimidiato (1572^b—77) addidit, quo facto illam de lacuna notam delevisse videtur. Totus tamen exodi finis (1578—1629) a posteriore manu est scriptus.

Explicatio est P conditio, quam post accuratam Wuenschii¹ inspectionem optime nobis repraesentare possumus. Librarius omnia una manu transcripsit usque ad 1569, qui versus antepaenultimam versae paginae (fol. 146^v) lineam occupavit. Cum porro tragoediae finem in originali suo desideraret, vacuas reliquit et duas ultimas ejus paginae lineas et tria, quae insequabantur, folia (147—149), nondum abjecta videlicet inveniendi spe. Post eum nescio quis de tribus vacuis foliis duo (148 et 149) abscidit. Exeunte denique saec. XVI alius librarius, quem Marcum Musurum fuisse probavit Wuenschius, Laurentiani apographum nactus ea, quae deerant, adscripsit, scripturâ suâ et ultimas 146 v. lineas occupans et duas fol. 147 paginas; quae cum non sufficerent, duo folia in abscissorum locum addidit (hodierna 148 et 149) eisque extremam exodum mandavit. Quo facto cum vacuae remanerent 35 fol. 149^v lineae, eis ad transcribendum Danaes' exordium usus est.

De Danae' alio capite (V) agetur, hic de sola Iphigeniae' exodo agendum est. A limine fatendum est non omnes, quas in ea invenimus, difficultates ad liquidum perducere posse. Harum autem difficultatum tria genera sunt.

1) Difficultates palaeographicae. In L prior manus usque ad v. 1577 procedit, quamquam jam a v. 1570 titubare coepit; in P non ultra v. 1569. Solvi potest haec difficultas, si archetypum post v. 1577 desinere supponimus ultimis 8 versibus tamen parum accurate exaratis.

2) Difficultates criticae. Usque ad v. 1577 versus habemus si non admodum elegantes, at puros et numeros, et sermone; post 1577 autem, qui ne ipse quidem

¹ In commentatione s. t. *Der pseudoeuripideische Anfang der Danae* Rh. M. LI (1896) 138 sqq. Omnia, quae palaeographiam concernunt, inde mutuatus sum.

legitimam exhibet caesuram: coacervantur et metricae et grammaticae mendae.

Haec duo igitur genera si junctim respicimus, fatendum erit de posteriore vv. 1578—1629 (non 1570—1629) origine, cum nihil dum impediatur, quominus priorem exodi partem, i. e. 1532—77 vel pro Euripidea habeamus. Quo ne acquiescamus, tertio difficultatum genere monemur — difficultatibus compositionalibus. Eae cum satis numerosae sint, singillatim nobis tractandae erunt.

23. a) De interstitio. Jam supra monuimus nuntii de peracto sacrificio orationem non posse conciliari cum universa tragoediae compositione, deficiente interstitio inter abductam Iphigeniam et adventum nuntii. Nam per se *ῥῆσιν ἀγγελικῶν* in exodis Euripideis ferri posse 'Andromache' demonstrat et 'Helene' cum 'Iphigenia Taurica'; quamquam vix casui dandum existimo, quod in omnibus his tragoediis hanc *ῥῆσιν* dei ex machina adventus sequitur. Sine eo Sophocleo est accommodatior mori, ut tres Thebanae tragoediae demonstrant.

b) De Clytaemnestra domo evocata. Primo statim versu nuntius (1532) spreto praesente choro absentem Clytaemnestram appellat: *δόμων ἔξω πέρασον*; quae absentis appellatio praecedentis scaenae compositioni aperte refragatur. Ibi enim regina valere iussâ filiâ (1466) in scaena tamen remanserat: alloquebatur eam Iphigenia divino furore concitata (1488), neque per se probabile est eam filiae aspectu usque ad supremum temporis momentum frui noluisse. Quae res quam bene cum genuina Euripidis exodo, dea scilicet apparente, concilietur, supra (§ 21) vidimus. Ab Euripide igitur descivit adulterinae exodi auctor; neque tamen Aeschilo carmen suum accommodavit, apud quem, si anaglypha Etrusca respicimus, mactatae filiae astitit mater. Proxime contra Sophoclem accessit, apud quem cum Argis remansisset, non aliunde de filiae morte edoceri poterat nisi ex nuntii oratione.

c) De Agamemnonis habitu. Non negaverim pulcritudine certā commendari falsarii de Agamemnone versus (1549):

*ἀνεστέναξε κᾶμπαλιν στρέψας κᾶρα
δάκρυε, πρόσθεν ὀμμάτων πέπλον προδείς.*

Nec tamen cum Weillio dicere licet inde pendere nobilem Timanthis picturam. Timanthes enim cum tota traditione figurata Iphigeniam anteeuripideam repraesentavit, invitam indignatamque victimam, qua re non potuit exodus nostra, etiamsi Euripidea esset, ei materiam suppeditare. Quodsi nihilominus inter eos, quos exscripsi, versus picturamque ejus certus animadvertitur consensus, eundem fontem habet atque ipsorum versuum pulcritudo; eum nimirum, quod auctor eorum antiquiorem poetam — sive is fuit Aeschylus, sive Sophocles, nullo autem modo Euripides — secutus est.

d) De Iphigeniae ad patrem oratione (1552—60). Ea vero haud dubie ab Euripide pendet, cum voluntariam sacrificii rationem diserte asseveret. Neque id tamen mirum est; cum enim Euripidis tragoediam exodo sua exornaret, non potuit falsarius, nisi plane caecus fuit, aliter de virginis sacrificio judicare. Ea enim, quae et hucusque attulimus et in sequentibus allaturi sumus, ita sunt comparata, ut hominem minus diligentem fugere possint; hac vero in re totius tragoediae cardo vertitur, ut nullo pacto, etiamsi in ceteris ab anteeuripidea traditione pendebat, Iphigeniam querentem aut maledicentem inducere potuerit. Neque abhorret a verisimilitudine eum, quod jam alii animadvertunt, Polyxenae in *Hecuba*' (547 sqq.) sacrificium ante oculos habuisse.

e) De Achillis partibus. Postquam Calchas virginis capiti coronam imposuit (1568):

*ὁ παῖς δ' ὁ Πηλέως ἐν κύκλῳ βωμὸν θεᾶς
λαβὼν κανοῦν ἔθρεξε χέρνιβας δ' ὀμοῦ
ἐλεξε δ' ὦ παῖ Ζηνός, Ἄρτεμις θηροκτόνε,*

τὸ λαμπρὸν εἰλίσσουσ' ἐν εὐφρόνῃ φάος,
 δέξαι τὸ δῶμα τὸδ' ὃ γέ σοι δωρούμεθα
 στρατός τ' Ἀχαιῶν Ἀγαμέμνων ἄναξ δ' ὁμοῦ,
 ἄχραντον αἶμα καλλιπαρθένου δέρης,
 καὶ δὸς γενέσθαι πλοῦν νεῶν ἀπήμονα
 Τροίας τε πέργαμ' ἐξελεῖν ἡμᾶς δορί.

(Versus ut sunt a prima manu scripti, ita refero). Haec vero acriter cum Euripideis pugnant. Primum enim secundum Iphigeniae visionem (1470) non Achilli, sed Agamemnoni ara obeunda erat; tum autem hocine Achilles sponsae suae promiserat? Immo cum armis sese arae astiturum esse, ut simulatque ense aspecto se appellasset, opem ei ferre posset (1426); hic vero non dubie a carnificum ejus partibus stat. — Quodsi quaerimus, quemnam Achillem nobis hic exodi locus ostendat, de responsu non diu ambigemus: habemus enim Sophocleum. Aeschyleus enim manu armata sponsae opem tulit, Euripideus opem promiserat; solus Sophocleus, cum ab initio nomen suum imperatoribus commodasset, eadem patientiâ etiam hic sacrificantis munere fungi poterat. Neque nos offendit pro patre aram circumiens; cum enim Agamemnon prae animi aegritudine caput velasset, consentaneum erat Achillem, qui in hoc opere secundas ferret, ejus munus exequi.

Non abs re erit monere nos hucusque si non Euripideum, at antiquum habuisse carmen; inde a 1578 autem male tornatos Byzantini continuatoris versus habemus.

f) De Dianae miraculo. Accurate id vv. 1581—89 describitur idemque tamen perquam inepte; totus enim exercitus miraculi textis extitit, quo admissa tota posterior de ultione mythopoeia dissolvitur. Sed haec inconcinnitas haud dubie continuatoris stupori debetur; apud antiquum poetam sola Diana, inter homines autem voluntatis ejus interpres Calchas de miraculo scire poterat. Quaeritur tamen, quod Sophoclis fuerit de miraculo mythologema, quippe qui neque Dianam, ut Euripides, neque Calchan-

tem, ut Aeschylus, in scaenam producere potuerit soloque usus sit nuntio Aulide Argos misso. Talibus in rebus gratum nobis accidit, si ad analogiam recurrere licet. In Ajace' itidem habemus deae voluntatem, Minervae nimirum, et nuntium, cujus ore de ea certiores fimus. Quomodo ergo instituit rem poeta? Calchas seductum Teucrum (743) de deae consilio edocet, Teucer vero nuntium mittit ad Tecmessam et commilitones, ut eos de Calchantis revelatione certiores faciat. Credibile est poetam etiam in Iphigenia' talem rationem adhibuisse. Nam et necesse erat spectatores de Iphigeniae salvatione edoceri, neque res aperte geri poterat. Ecce autem peracto sacrificio seducit Calchas Agamemnonem seductumque de filiae salvatione certiolem facit; Agamemnon autem nuntium — Talhybium fortasse — uxori mittit, ut eam consoletur. Sane Clytaemnestra consolanti nuntio fidem aut habere aut non habere poterat; quod nisi magnopere fallor, hoc illo ei potius fuit.

Ornino si mihi diu de Sophoclis mythopoeia meditato quid de ea sentiam exponere licet — ita tamen, ut haec probabilia ab illis, quae mihi supra demonstrasse videor, secernantur. — duplicem fuisse crediderim Aulide ad Clytaemnestram nuntium. Prior, quem de eis unum dixerim, qui a regina jussi puellam comitati erant, de fraude eam et instante sacrificio edocuit; qua re cognita adeo exasperatus est reginae animus, ut se ulturam juraret filiae mortem et — si non inepta sunt quae supra conieci (§ 19) — jam tum cum Aegistho consilia sua consociaret. Cui frementi supervenit Talhybius de virginis fato eam consolaturus, nec tamen fidem apud exasperatam invenit. Analogiam si quaeris, non male ad Trachinias' recurrere possumus, ubi missum ab Hercule Licham eodem fere modo praeoccupat nuntius voluntarius.

g) De victima combusta. Mirifice ab Euripidea mythopoeia aberravit falsarius 1606. Humana enim victima tota comburi debebat; hic autem omnes viderunt pro vir-

gine cervam suppositam esse. In animalibus autem immolandis duplex mos servabatur, prout expiatorium an placatorium erat sacrificium. In expiatoriis utpote scelus secum tollens totum comburebatur, in placatorio certae tantum partes, ceteris neque eis deterrimis in hominum usum selectis, qui ita dei convivae fiebant. Quid ergo falsarius?

ἐπεὶ δ' ἅπαν

κατηνδρακώσθη θυμὸν ἐν Ἡφαίστου φλογί.

Expiatorium ergo habemus sacrificium. At hanc Sophocleam fuisse vidimus (supra § 13) conceptionem et ab Aeschylea et ab Euripidea diversam.

h) De posterioribus Iphigeniae fatiis. Hac in re gravissime Euripides traditionem mutavit. Non est hujus loci quaestionem movere totane ei debeatur de Iphigenia Taurica mythopoeia — capite enim VI de ea videbimus. Utut est, plane excluditur Electra' Sophocleâ tantoque magis ejusdem poetae Iphigeniâ'. Euripidea autem Iphigenia Taurica' tantam de traditione victoriam reportavit, ut post eam prior de apotheosi mythopoeia oblivioni traderetur et virginis apud Tauros sacerdotium in dogma abiret; quid quod Hyginus, qui in universum Sophoclem sequitur, hac una in re ab eo ad Euripidam declinat? Postquam enim (*fab. XCVIII*) de sacrificio retulit, ita pergit: ... *Diana virginem miserata est et caliginem eis objecit cervamque pro ea supposuit Iphigeniamque per nubes in terram Tauricam delulit ibique templi sui sacerdotem fecit.* Quid falsarius? Ter quaestionem nostram tangit. Primo loco (1607) nuntius reginae balbutiens sane dicit:

ἐγὼ παρὼν δὲ καὶ τὸ πρᾶγμ' ὄρων λέγω
ἢ παῖς σαφῶς σοι πρὸς θεοῦς ἀφίπτατο.

Secundo chorus ejus dicta approbat (1614):

ζῶν δ' ἐν θεοῖσι σὸν μένειν φράζει τέκος.

Tertio ipse Agamemnon uxorem consolatur (1621):

γυναῖ, θυγατρὸς ἐνεκ' ὀλβιοὶ γενοίμεθ' ἂν
ἔχει γὰρ ὄντως ἐν θεοῖς ὀμιλίαν.

Ter igitur anteeuripideam de apotheosi mythopoeiam a Cypris usque ad Sophoclem solemnem restituit, Euripideae de sacerdote Taurica tragoediae plane oblitus.

24. Ut igitur ea, quae priore paragrapho singillatim eruta sunt, complectamur, hoc effecisse videmur: unum de voluntario sacrificio locum si excipis, qui nullo modo mutari potuit ab Euripidis continuatore, omnibus mythopoeiae suae locis falsarius relicto Euripide ad Sophoclem revertitur.

Si hoc de sola Byzantinae aetatis exodo valeret, non difficilis esset solutio; concludendum esset falsarium hypothese aliqua usum esse, quae ad Sophocleam 'Iphigeniam' pertineret, cum prono errore ad Euripideam eam referret. Sed vidimus etiam antiquam exodi partem non minus Byzantinâ mythopoeiâ Sophoclea inniti; quaeritur igitur, quomodo haec coincidentia explicanda sit.

Neque nos hanc quaestionem declinabimus. Verum tamen eâdem manu, cui in P Byzantina exodus debetur antiquae continuationi addita, etiam tragoediae exordium adscriptum est sub 'Danaes' indice. Ad hoc igitur exordium nunc transeundum est.

CAPUT V.

De Danaes mythopoeia.

25. Eadem qua hucusque via procedentes etiam Danaes mythum ab origine, quatenus ea nobis nota est, repetemus.

Canonicam ejus formam anteeuripideam nobis Pherecydis fragmentum (26 M.) suppeditat e. l. II ab Apollonii Rhodii scholiasta (IV 1091) excerptum; cujus hic est tenor. Acrisius Eurydice, Lacedaemonis filia, uxore ducta filiam ex ea genuit Danaen. Cum autem oraculum de filio consuleret, deus ei Delphicus respondit non ei, sed filiae ejus filium nasciturum esse, a quo ei mortem impendere. Ὁ δὲ ἐπαελλθῶν εἰς Ἄργος θάλαμον ποιεῖ χαλκοῦν ἐν τῇ αὐλῇ τῆς

οίκιας κατὰ γῆς¹, inclusamque in eo cum nutrice Danaen diligentissime servat, ne infantem procreare possit. Jupiter autem amore virginis captus in imbrem conversus ἐκ τοῦ ὄροφου² ad eam manavit sinuque ab ea exceptus est. Tum sese ei ostendit et amoris opus cum ea patravit. Filius inde ortus est Perseus, quem Danae nutrice adjuvante clam Acrisio educavit. Tribus vel quatuor annis, expletis Acrisius vocem ludentis audivit Danaenque cum nutrice per famulos arcessivit. Nutricem necari jussit, filiam autem cum puero ad Jovis familiaris aram adduxit. Ibi remotis testibus ex ea quaesivit, a quo puerum procreasset; respondit ab Jove. Ille autem incredulus cista inclusam in mare projici jussit. Fluctibus ad Seriphum insulam appelluntur. Extrahit cistam Dictys piscator Peristhenis filius. A Danae imploratus cistam aperit et origine amborum comperta domum ductos ut consanguineos servat.

Hoc prius est Pherecydis de Perseo fragmentum solumque, quod ad nos hic pertineat.

26. Quaeritur inde, quae hujus canonicae formae origo fuerit. Mythos de Perseo jam Phidonea aetate carmine conjunctos fuisse censet O. Gruppe (*Griech. Myth.* 187), cujus postea memoria evanuerit; qua re tamen vereor ut quidquam proficiamus. In Perseide enim distinguendum est inter singulos mythos et genealogicum eorum nexum, cujus adeo evidens est ratio, ut nondum intellectam esse jure mireris. Ius enim et Jovis in septimo gradu nepos est Acrisius; ejus filiae Danaes iterumque Jovis in secundo Electryon; ejus denique filiae Alcmenae tertiumque Jovis filius Hercules. Ter igitur infuso divino sanguine opus

¹ Ultimis his verbis docemur hunc thalamum ejusdem fere fuisse generis atque Antigoniae hypogeum, h. e. 'thesaurorum' Mycenensium non dissimilem.

² Mirum sane; quinam enim in hypogeó esse poterat ὄροφος? Expectamus διὰ τοῦ στομίον; quod tamen et ipsam apertam relinquere imprudentis erat. V. infra.

erat, ut ἀθανάτοις τε θεοῖσιν ἀνδράσι τ' ἀλφειστῆσιν ἀρῆς ἀλκτῆρ nasci posset. Paulum immutato modo eandem sententiam de Achillis origine mythus exprimit: ab Jove et Aegina Aeacus; ab Aeaco et Endeide Peleus, a Peleo et Thetide Achilles. Hic quoque ter temperatur ensis, quo fati nodus discindatur. Quod si genealogorum fuit commentum, antiquâ tamen et antethaleticâ sapientiâ in comminiscendi opera movebantur Hesiodus ceterique religionis Graecae prophetae, quorum aetas sub Apollinei oraculi radiis securam aedorum aetatem exceperit.

Nec tamen quiescunt infestae potestates; immo quavis ratione futurum salvatorem in ipso germine ad nihilum reducere temptant. Io crastini diei incerta vagatur et extremas injurias perpetitur; Acrisius filiam primo sterilem consenescere cogit, tum compressam matremque factam una cum puero fluctibus mergere conatur; ipsum Perseum innumera pericula exercent. Omnium autem laborum finis est Hercules. *Heraclea* igitur necesse est fuerit carmen, in quo hic genealogicus nexus quamvis breviter explicatus esse debuerit.

Singulos porro mythos si respicis, aliqua ratione et ipsos compositos esse videbis, ea nimirum, ut qui fabulari insigniti sunt caractere Perseum potissime haberent heroa. *Perseidem* igitur ipse quoque extitisse crediderim; nec tamen quidquam de ea addere possum. Unum tamen quovis pacto contenderim in Hesiodi *Catalogis* Persei matrem abesse non potuisse; quae suspicio eo confirmatur, quod et in *Homerico catalogo* *Hesiodei characteris* (O 319) et in *Herculis scuto* apparet et a Simonide (fr. 37 B) Pindaroque (P. XII 17) celebratur. Qua in re memorabile est omnia haec testimonia optime cum *Pherecydea* fama conjungi posse, unde ex uno omnia hausta esse fonte colligere possumus. Qui si *Hesiodus* fuit, nihil est, quod ultra quaeramus.

Si porro remotâ ad tempus mythopoeiâ tragicâ a mythorum auctoribus ad mythographos transimus, eandem

ubique traditionis stabilitatem inveniemus. Omnia enim frustula facile cum Pherecydea fama coalescunt, nisi quod mater Danaes est ubi alio nomine appelletur, vel variae instar lectionis non ab Jove, sed a Proeto patre, quo nihil absurdius, compressa esse dicitur puella¹. Verum in hac absurditate pro miraculo fraudem supponente ejusdem allegoristae operam agnoscere licet, qui etiam aureum imbrem de custodia auro corrupta interpretatus est².

27. Hanc stabilitatem si respicimus, modicam a priori esse credemus in Danaes mythopoeia conformanda tragicorum poetarum operam, quibus nemo audacius traditas formas mutavit. Quo magis mirandum est totum triumviratum in illa vires suas exercuisse.

Et Aeschylō quidem Welckerus totam trilogiam ascripsit, 'Dictyulcos' scilicet (de Danaes et periculo et salvatione), 'Phorcides' (de Persei laudibus) et 'Polydecten' continentem. Fatendum tamen est hanc trilogiam admodum debili fundamento niti nexumque ejus plane dilaceratum esse, ex quo 'Phorcides' satyricum fuisse drama cognitum est³. Jam cum de 'Dictyulcis' nihil constet, solus remanet 'Polydectes', speciose sane a Welckero ut fati tragoedia reconstructus. Hic autem praesumptionem nostram non refutat, sed potius confirmat; nam in hac ipsa 'Perseidis'

¹ Haec varia lectio (ὡς ἔνιοι λέγουσιν) apud Apollod. II 34 invenitur. Superat tamen fidem meam in his ἐνίοις etiam Pindarum fuisse, ut schol. Ven. A in O 319 affirmat. Piumne poetam, qui adeo ad Hyperboreos Perseum misit (P. X 50), de divina ejus origine dubitasse?

² Cf. Hor. e. III 16 et Mythogr. Vat. III 3, 5 De fonte nil constat.

³ CIA II 273 = Wilhelm, *Urkunden dram. Auff.* 40. Titulus a. 340 est, ex eo igitur tempore, quo singula dramata satyrica trilogiarum certamini praemittebantur. Auctoris nomen, quod delendum sit, in titulo non est conservatum; cum autem nulli alii praeter Aeschylum 'Phorcidum' drama vindicetur, admittendum est, donec contrarium probetur, eum ipsum satyrici illius dramatis auctorem fuisse.

parte, quae magni illius mythologi operam experta est, plurimas habemus traditae memoriae fluctuationes. Ceterum nil certi de hac Aeschyli tragoedia pronuntiare possumus. Fueritne ignoto nobis trilogico nexu cum ignotis aliis fabulis conjuncta, an inter paucas, quas tamen trilogico nexu orbatas fuisse necesse est, dici omnino non potest.

Utut est, Danaes thalamo vel cistâ inclusae fata Aeschylum persecutum esse non crediderim.

28. Ad Sophoclem transeuntibus non dubia occurrit Danaes tragoedia eaque, ni magnopere fallor, trilogico nexu cum duabus aliis conjuncta¹; scilicet 'Acrisius'. In ejus fragmentis, quae quidem intellegibilia sunt, nihil invenitur, quod Pherecydae famae refragetur; non idem tamen de brevi recapitulatione valet, quam poeta 'Antigoniae' stasimo inseruit (944):

ἔπλα καὶ Δανάας οὐράνιον φῶς
 ἀλλάξαι δέμας ἐν χαλκοδέτοις αὐλαῖς²
 κρυπτομένα δ' ἐν τυμβήρει θαλάμῳ κατεξέχθη,
 καίτοι καὶ γενεᾷ τίμος, ὦ παῖ, παῖ,
 καὶ Ζηνὸς ταμείεσκε γονὰς χρυσόρυτους.

H. e.: Necesse fuit etiam Danae relinquere caelestem lucem, quae ei in aenea aula fulgebat²: abscondita enim in

¹ 'Perseidem' Sophocleam tragoediae effecisse videntur 'Acrisius', 'Danae' et 'Larisaei'. In prima enim tragoedia oraculo actio movebatur, quod Acrisius de morte acceperat sibi a nepote imminente; cum igitur hoc oraculum non ante 'Larisaeos' expletum sit, ex machina autem deo Sophocles in illius praesertim aetatis tragoediis ad exitus hiatum resarciendum uti non sit solitus, non video, quomodo 'Acrisius' sine 'Larisaeis' in scaenam prodire potuerit. Sed de hac re alibi dicturus sum.

² Ita haec enim jungenda esse opinor: (τὸ οὐράνιον φῶς (τὸ ἐν χαλκοδέτοις αὐλαῖς. Vulgo haec ultima cum ἀλλάξαι junguntur et αὐλαῖς de hypogeo accipitur, qua re in sequente versu intolerabilis oritur tautologia. De ceteris argumentis, quibus mea ratio commendatur, infra dicendum erit.

sepulchrali thalamo jugum est passa. Atqui et origine erat clara, et Jovis fovebat aurifluum semen¹. Satisne diserte a poeta dictum est jam accepisse Danaen utero aureum Jovis imbrem, cum hypogeo inclusa esset¹, non igitur sub terra sed super terram nuptias ejus passam esse?²

Videamus nunc, quomodo haec chronologia cum Pherecydea fama conjungi possit. Acrisius igitur de filio oraculum consultit, responsum accipit de nepote; quid ergo facit? Id quod homo prudens: filiam includit, ut ab omni virorum commercio segregetur. In hypogaeum igitur? Hoc inepti esset; quasi vero volare soleant viri! Immo in parthenonem aeneis portis munito, ut cujusvis amatoris cupiditati fores effringere parati resistere possit. Ita a mortalium virorum oculis remota est Danae, non tamen ab oculis Jovis, qui superne videre poterant in parthenonis peristylio ambulantem. Cum autem etiam aerearum viarum periculum expertus esset rex, veritus ne eisdem viis etiam puer sibi eriperetur sub terram filiam condidit. Ita triplicem migrationem passa est infelix: post oraculum acceptum ex libertate in aeneum parthenonem, ab Jove com-

¹ Jamdudum hoc animadversum esse video ex Wunderi memorabili ad hunc locum adnotatione: *Vehementer errant, qui hoc dicere his verbis Sophoclem putant, Danaen tum demum, cum jam gravida facta esset, a patre in domum illam aeratam inclusam esse. Immo secutus ille communem omnium famam Danaen detrusam in conclave sepulchrale ait, quamvis esset dilecta Jovi, a quo, cum ibi lateret, gravida facta sit.* 'Harmonisticae' est critices exemplum non minus luculentum quam illud Wilamowitzii de ἀπλοία Aulidensi (supra § 7): invitis poetae verbis vulgata opinio ei obtruditur. Vicit tamen haec perversa sententia, nisi quod ultimis temporibus E. Bruhn (1904) justissime monuit: *das Imperfect (ταμείεσκε) zeigt, dass, Zeus ihr gehabt war, bevor sie eingeschlossen wurde.*

² Credo in genuina fama per ὑπαιθρον in Danaes sinum manasse aureum Jovis imbrem, atque ita intellegendum esse Pherecydeum ἐκ τοῦ ὀρόφου; comoediam enim sapit per tecti rimas transfluens imber, quasi senio laborante regiâ, quod inventum Menandro dignius est quam Sophocle.

pressa ex parthenone in hypogeum, puero edito ex hypogeo in cistam.

Haec igitur Sophoclis erat in Acrisio' mythopoeia.

29. Ea num etiam aliis indiciis confirmari possit videndum est.

1) In Pherecydis fragmento nos nunc fortasse offendet *Ἰαλαμον ποιεῖ χαλκοῦν ἐν τῇ αὐλῇ τῆς οἰκίας κατὰ γῆς*. *Χαλκοῦν* enim, ut *χαλκοδέτος* apud Sophoclem, de claustris accipiendum esse videtur; quibus ex aere factis quid opus erat sub terra in hypogeo, quo per superum foramen demissio fiebat? Magis superterraneo aedificio aptum esse videtur hoc attributum. Data occasione moneo *αὐλήν* Pherecydeam etiam apud Sophoclem recurrere: *χαλκοδέτοις αὐλαῖς*. Estne credibile in eadem de Danae narratione idem *αὐλῆς* vocabulum apud Pherecydem de superterraneo, apud Sophoclem de subterraneo loco accipiendum esse? Commendatur ergo etiam hinc mea Sophoclei loci interpretatio; ut non dicam *αὐλήν* nusquam hypogeum significare.

2) Jocosam mythi nostri parodiam Menandri q. d. 'Samia' nuper reperta exhibet. Ibi enim Demeas haud sane inhumane Niceratum de puellari ejus filiae peccato cavillatur: quid si ipse Jupiter eam petivit?¹. Neque enim Niceratum ulla in re Acrisio cedere. Videat modo, an aliqua ex parte rimosum sit suum tectum. — Immo usquequaque. — Claram esse rem etc. — Analogia superterraneum aedificium postulat, non hypogeum, cujus nullum est tectum.

3) Est quoque Horatiana (c. III 16) allegoria diligentius examinanda:

Inclusam Danaen turris aenea
robustaeque fores et vigilum canum
tristes excubiae munierant satis
nocturnis ab adulteris.

¹ Cf. Ter. Eun. 588 *deum sese in hominem convertisse ac per alienas tegulas* (vides ne hic quidem locum esse hypogeo) *venisse clanculum per pluvium fucum factum mulieri*.

Nihil est quod non superterranei aedificii signa referat; sufficeret sola *turris* mentio, quam de cavea putei instar in terra defossa accipi potuisse jure mireris.

4) Aenigmatis solutionem nobis Pausanias suppeditare videtur II 23, 7: *ἄλλα δὲ ἐστὶν Ἀργείοις θῆσας ἄξια· κατάγειον οἰκοδόμημα, ἐπ' αὐτῷ δὲ ἦν ὁ χαλκοῦς θάλαμος, ὃν Ἀκρίσιός ποτε ἐπὶ φρουρᾷ τῆς θυγατρὸς ἐποίησε· Περίλαος δὲ καθεῖλεν αὐτὸν τυραννίσας.* Aperte distingui vides inter superterraneum thalamum aeneum eumque custodiendae Danaes causa exstructum et hypogeum subter eum defossum. Haec ergo ipsorum Argivorum de ea re fama fuit. Sophocles, quem Argis fuisse brevis periegesis 'Electrae' exordio inserta demonstrat, hac fama usus Pherecydis relationem corrigere potuit, qui cum *θάλαμον χαλκοῦν ἐν τῇ αὐλῇ τῆς οἰκίας κατὰ γῆς* aedificatum esse dixisset, mira confusione — si modo sana est sententia — ex duobus aedificiis unum idque subterraneum effecerat.

30. Jamque ad Euripidem pervenimus ejusque 'Danaen'.

Fragmenta ex ea servata sunt nec pauca (316—330 N) nec parva; trimetrorum et numerus et qualitas nobis supra (lib. II § 59) argumenta suppeditavit, quibus freti severiori stilo hanc tragoediam ascripsimus. 'Acrisio' tamen posterior fuerit necesse est, siquidem illa tragoedia trilogico nexu cum insequentibus conjuncta inter primas Sophoclis fabulas numeranda est.

Verumenimvero omnia 'Danaes' fragmenta Stobaei anthologio debentur; quare cum gnomicum charactera exhibeant, ad argumentum fabulae reconstituendum nihil conferunt. Quid Euripides de inclusa Danae prodiderit, ex eis non patet.

Aliunde igitur haec quaestio nobis dilucidanda.

Credo equidem demonstrari posse non Sophocleam, sed vulgatam famam secutum esse Euripidem: non triplicem, sed duplicem heroinae migrationem admisisse statim

post oraculum in hypogeum detrusae. Argumentum autem afferre possum hoc.

Si Sophocleam rationem in suum usum convertisset poeta noster, haec ratio utpote sola tragicorum consensu commendata, sola in Asclepiadis 'Tragodumenis' locum invenisset et inde in posteriorem traditionem mythographicam manasset; quod tamen factum non esse videmus.

E contrario Hygini cum Apollodoro de duplici Danaes migratione consensus argumento nobis esse debet eam fuisse stabilitam ab Asclepiade famam; id autem fieri non poterat nisi alterutro de duobus tragicis, qui Danaes inclusae fata fabulis suis persecuti sunt, hanc famam commendante. Sophoclem autem eum non fuisse certo scimus; sequitur Euripidem ea certe in re a rivali suo declinasse. Haec ad argumentum tragoediae definiendum proferre mihi posse videor; quibus absolutis ad adulterinum ejus prologum in codice Palatino conservatum transimus.

31. Formalis ejus cum 'Iphigeniae' adulterinae exodo similitudo continuo legentibus apparebit; eandem habemus et hic et illic rei metricae ignorantiam, caesuras neglectas et illegitimos anapaestos in medio versu admissos. Nobis tamen hic de argumento agendum.

Prologistae munere fungitur Mercurius, protaticon haud dubie prosôpon, ut in 'Ione'; videtur igitur falsarius Euripideam in prologis rationem servare voluisse. Et eam quidem rationem, quam ego secundam appello quaeque in posterioribus fabulis frequentior est quam in prioribus: prologista simpliciter populum alloquitur nullâ precationis vel salutationis formulâ servandî τοῦ πιδανῶν causa praemissâ. Nec tamen sine certo finē caelo descendit: missus enim est ab Jove, ut Danaen consolaretur (45). Occasione data spectatoribus ea, quae adhuc gesta sunt, enarrat. Sunt autem haec.

Acrisius consulto Delphis deo oraculum ab eo accipit, quod etsi inextricabile dicitur, re ipsa tamen facile intel-

legitur: filium scilicet non ipsi fati portendi, sed filiae suae, quam edituram esse 'volucrem leonem' Argis et multis aliis terris imperaturum. Quo oraculo audito, Acrisius 'conjugio abstinet', h. e., ut ex sequentibus apparet, conjugali cum uxore commercio.

Miram sane rem! Unde hoc tam ineptum in proprium nepotem odium? Si enim ipse filium procreare non poterat — in hoc firma erat fati voluntas — laetari debebat tantam deorum in sanguinem suum benevolentiam. At ille omnia, quae penes eum sunt, movet, ne haec benevolentia ad effectum perveniat, suumque ipse genus penitus exterminandum curat! Vides falsarii negligentiam: ea enim, quae summi erant momenti, addere oblitus est, ab hoc scilicet, nepote mortem avo imminere. Hoc vero dirum erat vaticinium. Non quo eo vita consulentis imminuta sit: dum homo provectoris jam aetatis filiam gigneret, dum haec filia nuberet, dum filium pareret, dum hic filius adolesceret, Nestoris facile annos attingere poterat. Attamen hanc longam vitam mors manebat a proprio sanguine accipienda; talis vero mors omnium miserrima esse videbatur (cf. Soph. Aj. 839 sqq.).

Sed nimis jam multa de hac falsarii negligentia. Oraculo igitur accepto uxoris commercio abstinet; aliquando tamen, alter Laius, cupiditate victus ejus amplexus appetit, quo fit ut Danae nascatur.

ἐν παραδειῶσι δ' ἐνδὺς οἷς ἐδείματο
 δίδωσιν Ἀργεῖαισιν ἔμφρουρον κόραις,
 εἰς ἀνδρὸς ὄψιν εὐλαβούμενος μολεῖν.

Nec male ei ad tempus dumtaxat res cedit; aliquando tamen Jupiter virginem conspicit, conspectae amore capitur; in aurum igitur conversus per tectum ad eam demanat. Illa nil fraudis suspicans

κόλποισι τὸν θεὸν εἰςρέοντ' ἐδέξατο.

Gravida inde fit. Ignominiae impatiens fugam temptat;

occupat fugituram Acrisius et futuro prospiciens

ἐγκατάκλειστον δόμοις
ἔργει χολῶδεις καὶ σκότῳ κρήφας ἔχει,

quod obscurum, i. e. subterraneum receptaculum tamen, ut hoc obiter moneam, non appellatur aeneum. Consilium ejus autem id est, ut si, quod suspicatus erat, evenerit, filiam cum puero in mare projici jubeat.

Haec igitur Mercurius προλογίζων; inde ad Danaen abit. Tum chorus advenit fama de graviditate ejus excitatus. Post eum iratus prodit Acrisius et virum quendam minaci oratione alloquitur, cujus secundus versus ultimus est servati carminis.

32. Videamus nunc de singulis, quibus hujus exordii argumentum a vulgata fama decedit.

1) Acrisius non post natam sibi filiam, sed ante Delphis oraculum consulit, postque consultum re venerea abstinet, ut non modo nepotem, a quo mors ei imminebat, sed jam ejus matrem ortu prohibeat. Hunc tam alte providum animum non falsarii deberi negligentiae ipsam constantiam monemur, qua hic locus explicatus est. Quin etiam nominis electio hac re explicatur, aut potius explicanda nobis proponitur: nam ipsa etymologia (Δανάη a θηναίως) in infantilibus falsarii versibus non affertur:

Δανάην δέ πῶς ἠνόμασε τήνδ', ὀδούνεκα
πολὺς παρήλθεν εἰς γονὴν παίδων χρόνος.

Quo magis verisimile fit non a falsario excogitatam eam esse, sed ex fonte haustam. Notandum autem est eum hanc de mature consulto oraculo famam in ea saltem traditione, quae nobis servata est, nusquam invenire potuisse.

Haec tamen discrepantia ejusmodi erat, ut eam ex fonte aliquo antiquo haustam esse suspicari deberemus, fontem autem indicare non possemus. Melior est insequentis conditio.

2) Secundum Pherecyden¹ Jupiter ideo se in aurum vertit, ut per tectum ad Danaen penetrare possit, quod postquam bene ei cessit, rursus priorem formam assumit, ut ejus amore fruatur. Non esse fortuitam hanc duplicem metamorphosin sequentia demonstrant, ubi puella a patre interrogata, a quonam compressa esset, Jovem indicat; quod illa vix sanâ mente facere potuisset, nisi ipsum suis oculis vidisset. — Plane aliud mythologema prologi auctor sequitur, qui ipso fluido auro gravidam esse factam dicit puellam; neque male sibi constitit in sequentibus, ubi Mercurius cum Jovis nuntio ad eam mittitur — secuturum est nimirum consolatorium illud *uxor invicti Jovis esse nescis*. Hoc ipsum mythologema autem Sophocli argumentum praebuerit necesse est, siquidem apud eum Danae Ζηνὸς ταμείεσκε ἑρονὰς χρυσορύτους. Antiquior quin fuerit Sophoclea versio non est quod dubitemus: cū enim Jupiter sub nubis forma Io, sub imbris Danaen gravidam reddit, naturalem agnoscimus religionem ejusque symbolum: ἐρῶ γὰρ ἀγνὸς οὐρανὸς στῶσαι χθόνα. Sed nunc non id agimus, sufficit nobis falsarium contra Pherecydem a Sophocle stare.

3) Maximi autem momenti sunt inclusae Danaes vicissitudines. Ab ipso ortu secundum falsarium in thalamo ad id ipsum aedificato educatur puellarum Argivarum custodia appositâ; aeneum hunc thalamum fuisse etsi diserte non est dictum, praesumere tamen nil prohibet. Hic

¹ Fr. 23 M.: ἐρασθεῖς δὲ Ζεὺς τῆς παιδὸς ἐκ τοῦ ὀρόφου χρυσοῦ παρὰ πλῆσιος ρεῖ· ἡ δὲ ὑποδέχεται τῷ κόλπῳ· καὶ ἐκφύνας αὐτὸν ὁ Ζεὺς τῇ παιδί μίγνυται. Cf. prologi 33: ἡ δ' ἀγροῦσα τὸν κεκρυμμένον δόλον κόλπεται τὸν Δεὸν εἰσρέοντ' ἐδέξατο· χρόνῳ δ' ἑαυτὴν ὡς κατεῖδ' ἐγκύμονα... Pherecydis tamen narratio etiam hic confusionis signa ostendit; quid enim attinuit asseverare Danaen aureum flumen sinu excepisse, si nihilominus Jovi, ut eam gravidam redderet, prior figura assumenda fuit? Credo igitur Sophoclem non tam novasse quidquam quam genuinam Hesiodream famam restituisse; confirmatur id hoc quoque, quod Pindarus, Hesiodi et popularis et discipulus (P. XII 29 πρὸς Δανάας, τὸν ἀπὸ χρυσοῦ φανέν αὐτοῦτον ἔμμεναι) propior est Sophocli quam Pherecydi.

eam Jupiter gravidam reddit; qua re cognita in tenebrosam receptaculum includitur, postmodo in cistam mari mergendam migratura. Hanc ipsam fuisse vidimus Sophocleam versionem, Pherecydeae, quam eandem Euripideam fuisse probabile est, oppositam. Rursus igitur falsarius contra Pherecydem cum Sophocle stat.

Quomodo autem hanc falsarii cum Sophocle necessitudinem explicandam esse dicemus? In eis fontibus, qui nobis quoque servati sunt, mythopoeiam ejus invenire non potuit; nos ipsi eam non invenimus, sed ex Antigonae versibus ad amussim examinatis extraximus adeo reconditam, ut ne nunc quidem in vulgatam de Danae famam pervenerit — quem subtilem interpretandi laborem ab auctoris prologo, cujus negligentiam supra experti sumus, perpetratum esse nemo credit. Ipsam Acrisii tragoediam ab eo inspectam esse ne per somnium quidem asseverare fas est. Restat ut conjiciamus hypothesin aliquam, quae nobis servata non sit, falsarii in manibus fuisse, eam tamen non ad Euripideam, sed ad Sophocleam Danaen h. e. ad Acrisium, pertinentem.

33. Nec tamen acquievit prologi auctor in versibus pessimis pangendis; prologo suo hypothesin praemisit cum personarum indice eorum similia, quae in genuinarum fabularum codicibus inveniuntur. Licetne conjicere ea saltem genuina esse? ¹

Personarum index a Mercurio incipit et Minervā concluditur; ille prologista est, haec dea ex machina erat futura, uterque Euripideo more et haud dubie ad Ionis exemplum, ubi eadem sunt amborum partes; imitatorem haec, non originarium poetam sapiunt. Mediae personae — Danae, nutrix, Acrisius, nuntius, chorus — non eo ordine percensentur, quo in dramate prodire poterant; ibi enim post Mercurium chorus, post chorum Acrisius prodit. Quid

¹ Haec est Wagneri in fragmentorum sylloge Didotiana opinio, Nauckio (p. 716), ut videtur, non admodum probata.

quod chorus in falsarii indice paenultimum occupat locum? Videtur is ignarus fuisse grammaticorum moris, secundum quem personae prodeundi ordine recensentur, qua re omnis de genuinitate suspicio plane excluditur.

Ipsa hypothesis accurate sane prologi servati argumentum refert, de eis tamen, quae futura erant, ignaros nos relinquit statim ad finem properans, i. e. ad verba ἰδοῦσαι δὲ ταῦθ' αἱ Νηρηίδες καὶ κατέλεψασαι τὸ γεγονός ἐμβάλλουσι τὸν (!) κιβωτὸν εἰς δίκτυα Σεριφίων ἀλιέων, κἀντεῦθεν περιεσώθη ἢ τε μήτηρ καὶ τὸ βρέφος, ὅπερ ἀνδρῶδεν Περσεὺς ὠνομάσθη¹. Probabile est falsarium hanc de salvatione narrationem Minervae daturum fuisse, utpote ex machina de eis, quae imminerent, vaticinaturae; sed unde tamen Nereides sumpsit matris et pueri salvatrices? Hoc vero facile ad liquidum perducitur potest: Luciani enim adhibuit dialogos marinos. In uno eorum (12) duae Nereides de Danae in mare cum puero projecta colloquuntur: τί οὖν οὐχὶ σώζομεν αὐτὴν τοῖς ἀλιεῦσι τούτοις ἐμβαλοῦσαι εἰς τὰ δίκτυα τοῖς Σεριφίοις². Vides verbo tenus servatam esse similitudinem.

34. Restat ut, quae de utraque — et Iphigeniae, et Danaes — seorsim examinata mythopoeia indagavimus, una conclusione complectamur; scilicet quod ad adulterina alterius exordium, alterius exodum attinet.

¹ Wuenschius (Rh. M. LI 146) cum hanc hypothesin ex scholio ad Apoll. Rh. IV 1091, h. e. ex Pherecyde manasse conjecit, longe a vero aberravit. In Nereidibus sane ipse offendit, quarum in scholio nullae essent partes; revocat nos ad Promethei Oceanides, ad Nereides spectatrices in Iph. Aulidensi, sed tota ejus sententia una re refutatur, quae eum fugit — Luciani ex Dialogis marinis loco in textu nostro allato.

² Moneo falsarium etiam in prologo verbo tenus Lucianea excipuisse: δεξαμένη δὲ ἐκείνην ἐς τὸν κόλπον καταρρέοντα τὸν θεὸν ἐγκύμονα γενέσθαι — cf. prol. 34 κόλποισι τὸν θεὸν εἰσρέοντα ἔδεξάτο χρόνῳ δ' ἑαυτὴν ὡς κατεῖδ' ἐγκύμονα...; quae res ipsa quoque argumento est et prologum et hypothesin ab eodem homine conficta esse. Addo etiam Lucianum Danaes thalamum aeneum, neque tamen subterraneum appellare.

Quae complexio paucis sane verbis exprimi potest; utrobique falsarius, dum Euripideus esse vult, a Sophocle pendet. Non quo genuinas Acrisii vel Iphigeniae tragoedias inspexisse putandus sit; verum utriusque tragoediae hypotheses ante oculos habuerit necesse est. Et hoc est cur utrumque carmen, quamvis per se nihil valeat, non tamen omni pretio destitutum esse videatur.

Hac similitudine illud quoque probatur ab eodem homine utrumque esse compositum. Scriptum quidem utrumque esse in Palatino codice Marci Musuri manu Wuenschius demonstravit; nec tamen ei concesserim etiam auctorem eum Pseudodanaes fuisse. Quo enim jure praestantissimi philologi memoriam semibarbaris hujus carminis versibus inquinemus? — At tulit eos tamen sua manu in codicem transcribendo. — Verum; sed hoc etiam nostrae aetatis philologi faciunt, quotiescunque lubricae conjecturali viae sese committere nolunt.

Una tamen spina remanet: aequae enim a Sophocle pendunt ambae exodi posteuripideae partes, quas tamen variis temporibus compositas esse vidimus (supra § 22). Et fatendum est ad hoc aenigma solvendum materiem nobis non suppeditari. Duae tamen res perpensandae sunt. Primum: ad temporum rationem ultimam tragoediarum Euripidis fuisse Aulidensem ejus Iphigeniam; ultimum igitur in editione chronologica locum tenere debuisse. Nil igitur mirum, si in codice vel identidem ultima ejus folia interciderunt¹. Credo post primam jacturam antiquis etiam-

¹ Mirum tamen cuiquam videatur in hac mechanica intercideri ratione organicam tragoediae partem interciderisse, scilicet integram exodum. Sed hoc ipsum quomodo pro demonstrato haberi potest? Exodum enim ultimum stasimum praecedat, dubio sane ordine servatum. Antistropa a. 1510 incipiens multo brevior est stropa; strophica ejus responsio non ultra primos versus servatur. Potest igitur fieri, ut ulteriora una cum exodo interciderint; potest etiam, ut ultimi versus non Euripidi, sed antiquo exodi auctori tribuendi sint.

tum temporibus factam a quodam non inficeto poeta resartam esse lacunam; postmodo jam Byzantina aetate cum etiam supplementi novissima periissent, Byzantinum hominem ad idem se opus accinxisse. — Tum autem: antiquam hypothesin ad hanc tragoediam nullam esse servatam. Admodum rara sunt in Euripideo corpore talis negligentiae exempla; praeter nostram enim Iphigeniam¹ unum tantum occurrit — in *Electra*. Memorabilem sane coincidentiam! Hae enim tragoediae inter superstites solae sunt, quae eodem indice etiam in Sophocleo corpore occurrerint. Quid si utrobique Euripideo corpori Sophocleae hypotheses insertae sunt? Si Iphigeniae² Sophocleae hypothesis Euripideae praemissa causa extitit bis Euripideam Sophocleo argumento supplendi? Si postmodo animadverso errore utrobique ejectis advenis similes hiare coeperunt lacunae?

Nolo haec pro verisimilibus, nedum pro veris venditare; satis mihi erit, si inter *δύωτά* recipientur. Illud tamen teneo. utriusque pseudepigraphi carminis argumentum neque falsario, neque Euripidi esse addicendum, sed Sophocli.

CAPUT VI.

De Iphigenia Taurica.

35. Iphigeniae apud Tauros sacerdotis mythopoeiam tragicam ante Euripidem nullam fuisse ab omnibus hodie concedi videtur; de illo tantum ambigitur, utrum eam totam finxerit superstitis tragoediae auctor¹, an primus a templi alicujus aedituo sibi narratam aretalogiam in tragoediam verterit². Fateor mihi quoque quondam imposuisse

¹ Huic opinioni nunc prae ceteris patrocinator Wilamowitzius (Herm. XVIII 257); neque abhorret Weilius (*Sept tragédies* 437). De ceteris cf. Gruppe *gr. Myth.* 703, qui tamen vix recte eam *fast allgemein* appellat.

² Ita praeter ceteros Robertus (Arch. Ztg. 1875, 133 sq.); Gruppe l. l.; Wecklein et Bruhn in editionibus suis.

hanc unanimem sententiam, propter quam in certarum Sophoclis tragoediarum, quas brevitatis causa Tauricas appello, tempore definiendo in devia me abripi non sine magno rei damno passus sum.

Nunc vero diligentius examinatis et ipsa tragoedia superstiti. et tota traditione mythographica, satis certa mihi invenisse videor argumenta, quibus hic quoque eâ, qua solet, libertate antecessoris vestigia pressisse Euripidem demonstratur. Nihil hoc sane ad 'Aulidensis' exodum, de qua jam absoluta est quaestio; attamen ad totam, quae est de Iphigenia, mythopoeiam supplendam non inepte hoc loco etiam 'Taurica' tractabitur.

36. Qua in re incipere placet a Thoantis Taurorum regis nomine et persona. Non diversum eum esse ab alterutro de Thoantibus Lemniis jam antiquis temporibus constabat; videamus igitur de Lemniis.

Ex Baccho et Ariadna nascitur Thoas I; ex Thoante et Myrina — Hypsipyla; ex Hypsipyla et Iasone — Eunêus et Thoas II. Haec est vulgata genealogia; sequitur eam etiam Euripides in 'Hypsipyla'. Multoties eâ antiquior fuisse existimanda est?

Suspectam eam reddit ejusdem nominis iteratio; notum enim est iterata nomina genealogorum plerumque solertiae deberi, minimo ingenii dispendio temporum hiantes lacunas explentium — quales sunt in Atthidibus Cecrops II et Pandion II, ut de ceteris taceam. A priori igitur putandum erit etiâ duorum Thoantum alterum ex altero expressum esse; quaeritur tamen uter utrius ectypon sit. Argumentis uti possumus his.

1) Thoas I Bacchi est ex Ariadnae filius, Thoas II Iasonis ex Hypsipyla. Atqui notum est Bacchum in Graecorum genealogiis posterioris temporis advenam esse; Iason contra cum Hypsipyla dilectissimis et clarissimis fabularis historiae figuris sunt adnumerandi. Eodem etiam alia via procedentes devenimus. Si enim orta erat necessitas Hypsi-

pyleae prolis a Baccho deducendae — quam necessitatem vel Attici Eunidae, Bacchi Melpomeni cultores, excitare poterant — necessarius erat Thoas I juncturam inter deum, patronum et generis autricem efficiens; is igitur facillime ex genealogorum studio oriri poterat. Thoas II contra nullos genealogiarum hiatus explebat; is igitur si extabat, mytho id debebat de duobus fratribus Iasonidis. Ita a priori verisimile est avum ex nepotis conduplicatione ortum esse.

2) Videamus nunc de antiquissimis testimoniis, duobus dico Homeri locis. Alter de cratere est Phoenicio, quem Achilles (Ψ 724) praemium victori proponit:

*Φοίνικες δ' ἄγον ἄνδρες ἐπ' ἡρωειδέα πόντον,
στῆσαν δ' ἐν λιμένεσσι, Θόαντι δὲ δῶρον ἔδωκαν
υἱὸς δὲ Πριάμοιο Λυκάονος ὦνον ἔδωκεν
Πατρόκλῳ ἦρωι Ἰησονίδης Εὐνήος.*

Quisnam hic Thoas fuit, avus an nepos? Illud verisimilius judicat Gruppe (568, 4), qui etsi causam hujus iudicii non affert, ita tamen ratiocinatus esse videtur. Si Thoantis I erat crater, per filiam Hypsipylen filium ejus Eunëum heredem habere potuit; si Thoantis II, non intellegitur, quomodo in fratris ejus potestatem venire potuerit. Hoc ipsum mox videbimus; interim ad alterum locum transimus.

Juno igitur ut invito conjuge Achivis opem ferre possit desilit Olympto (Ξ 230)

Λήμνον δ' εἰσαφίκανε, πόλιν Δείοιο Θόαντος

hic vero, ubi de aequali agitur, Thoas I excluditur; Eunëi haud dubie fratrem habemus. Quod si ita est, etiam de illo loco idem statuendum est. Fratres enim cum fuerint Eunëus et Thoas, probabile est illum in mesogia, hunc in paralia regnasse — etsi enim gemini fuerunt, tamen illum pro majore haberi potuisse Dioscurorum par et lepidum Spartaë ephorum strategema demonstrat. Piratarum autem temporibus haec solemnis erat divisio; ita etiam Cicones montani Ciconibus maritimis opitulantur (ι 39),

ita Seriphi rector Polydectes sibi mesogia servata Dictyi fratri paralam permittit.

3) Quodsi Thoas II priore antiquior fuit, facile etiam nomen ejus explicatur. Frater enim ejus Eunéus suum manifesto 'pulchrae' patris suis navi' debuit; naves autem plus centies apud Homerum *Θοαί* appellantur. Obscurior tamen in Thoantis nomine, quam in Eunéi, patris gloria vigebat; hanc causam fuisse puto, cur avus a genealogis fictus a minore nepote, non a majore nomen acciperet.

37. Conducipato jam Thoante Taurica, quam antiquissimis temporibus cum Lemno conjunctam fuisse verisimile est, ab ea divulsa et in Ponti chersoneso collocata est. Una cum Tauris etiam Thoas Lemno emigrare debuit; facile hoc intellegitur. Sed uter? Secundum Hyginum (fab. XV) prior; fas est tamen admittere mythi auctorem, qui eum Orestis aequalem fecit, generationes melius computasse.

Sed utut se ea res habet, Thoas Lemnius, sive is Hypsipyles pater fuit sive filius, Graecus fuit natione; si igitur fero Taurorum populo imperabat, barbaris imperabat Graecus. Atqui notandum est, quanta cum pertinacia Euripides barbaram ejus prosapiam asseveret (IT 31):

*οὐ γῆς ἀνάσσει βαρβάρουσι βάρβαρος ,
Θόας, ὃς ὠκὺν πόδα τιθεῖς ἴσον πτεροῖς
εἰς τοῦνομ' ἦλθε τόδε ποδῶκειας χάριν.*

Neminem puto, qui primum hujus operis librum attente legerit, dubitaturum esse, quin in his verbis dissimulata invectiva lateat. Voluit profecto poeta Thoantem Tauricum ab ejus Lemniis Graecisque propinquis penitus separare; ideo

1) nomen ejus non a patris, sed ab ipsius qualitate derivat, pernecitate scilicet, parum curans nullum ei in fabula locum esse; ne cui in mentem veniat de Iasone deque ejus 'celeri nave' cogitare!

2) pervicaciter affirmat eum non modo barbaris im-

perare, sed etiam ipsum barbarum esse. Credo igitur poetam de regis sui patre compellatum haud aequo animo Iasonem indicaturum fuisse; planeque ejus animum perspexit Nicander, qui (Anton. Lib. 27) Borysthenis filium hunc Tauricum Thoantem fecit.

Sed cur tandem, quaesierit quispiam, tanta cupiditate Graecam Thoantis sui originem detestatur? Viderint alii, quid ad hanc quaestionem respondeant; mea sententia haec est. Placuisse vidit populo in 'Helena' sua verba barbaro a Graeca sollertia data; quam lepidam conceptionem ut redintegraret neve Graecum hominem callidae sacerdotis dolo succubuisse fateretur, ad Theoclymeni exemplum etiam Taurorum regem ex Graeco barbarum fecit.

Praesumitur in hac interpretatione 'Helenam' 'Iphigeniâ Tauricâ' antiquiorem fuisse, invitis eis, qui plaudente Wilamowitzio contrarium affirmant; verum de hac re, quae nos infra (§ 42) exercitura est, hoc loco disputare nolo.

Ita ex 'Iphigeniae Tauricae' mythopoeia aliam emergere videmus, ipsam quoque Taurorum inducentem regem Thoantem, sed Graecum, Graeci Iasonis filium. Potuitne haec mythopoeia aretalogiae argumentum effecisse aediuorum et poporum industriam in visitoribus stupefaciendis exercentis? Non credo ei tantâ diligentia in origine decepti regis indicanda opus fuisse. Jam haec igitur tragoediam anteuripideam commendare videntur; sed cum validiora nobis praesto sint, haec nimis premere nolim.

38. Jam supra (lib. I § 36) de memorabili affinitate egi, quae Euripidi cum Herodoto intercederet in peregrinorum a Tauris necandorum descriptione; quae major est, quam ut quisquam negare possit Herodotum Euripidis fontem fuisse; cum autem parum probabile esset ipsum esse Herodotum ab Euripide adhibitum, mediam admittendam esse inter utrumque tragoediam a Sophocle, Herodoti et amico et discipulo scriptam, ut ex Herodoto more suo Sophocles, ex Sophocle Euripides hausisset. Vides igitur

etiam hac via nos ad anteuripideam de sacerdote Taurica tragoediam devenire.

Quamquam negari non potest etiam differentiam inter Herodotum Euripidemque observari haud sane contemnendam. Deam enim, cui sacrificium fiat, historicus a Tauris appellari dicit Iphigeniam, Agamemnonis filiam; apud Euripidem autem dea est Diana, Iphigeniae autem sacerdoti ejus est nomen. Necesse est igitur inter Herodotum — seu potius famam, cui is interpret extitit — et Euripidem quandam Iphigeniae Virginis scissionem factam esse, ut scilicet in Dianam deam et Iphigeniam heroinam divisa sit. Quae scissio quomodo explicanda sit, quaerendum nobis est.

39. Respiciamus ab initio de salvata Iphigenia mythi evolutionem. Secundum Cypria Diana eam apud Tauros immortalitate donat, quī Tauri pro fabulosa gente habendi sunt a Hyperboreis non admodum diversa¹. Accuratus Hesiodus et Stesichorus hanc inter deos relatam Iphigeniam definiunt: Hecate enim est, Diana inferorum, tremenda nocturnorum terrorum dea. Quid tandem simile Agamemnonis filiae, tenerae columbae, cum terribilium phantasmatum patrona? Columbam eam tragoedia reddidit; ante eam dirae humanorum sacrificiorum caerimoniae haud sane mitem creabant ipsius deae speciem. Hae igitur ab origine Iphigeniae Hecates cultui adjunctae erant; immo inde de Iphigenia sacrificio oblatā fama nata esse videtur talionis cujusdam jure. Cum enim ipsa necis imminentis timores perpessa sit, hominum in honorem suum necatorum sanguine placari voluit. Et haec causa fuit cur Graeci feram Taurorum Virginem eandem fuisse putarent atque Iphigeniam suam.

Adhuc solam habemus deam Iphigeniam nullādum Iphi-

¹Cf. de ea re supra § 4 et commentationem meam »die Orestes-sage und die Rechtfertigungsidee« in Ilbergi Neue Jahrbucher I (1899) 165.

geniâ sacerdote adjunctâ; quam scissionem Braurone in Attica patratam esse ratio commendat. Luculentissimum ejus rei testimonium in tragoediae Euripideae exodo invenimus. Ibi enim Orestes a Minerva cum sorore et Dianae simulacro in Atticam proficisci jubetur Halisque (sc. Araphenisin) templo condito simulacrum collocare, quod in memoriam laborum ejus, cum per Graeciam vagaretur (περι-πολῶν), ab hominibus Tauro-polae Dianae nomen accepturum esset; caerimoniam autem eam institueret, ut diebus festis deae in suae ipsius (paene) caedis memoriam homini ense ad cervicem adducto sanguis eliceretur. Iphigeniam autem Braurone ejusdem deae sacra procurare jubet, ubi cum post mortem sepulta esset, mulierum in partu mortuarum vestimentis honoratum iri. Mira heroinae a dea separatio varias virorum doctorum conjecturas procreavit; traditioni autem una sola satisfacit, ea nempe, quam jam ante XX annos protuli (l. l. 172 sq.). Initio enim Braurone et deam et sacerdotem fuisse consentaneum est; postquam autem a. 480 signum Brauronium, hegemoniae symbolum ab Atridis Atheniensibus concessum, a Persis Susa asportatum est, Halense in locum ejus successit, ne ab hac parte vaccillaret bellicis laboribus partum imperium.

Cum igitur in Attica haec scissio usu venisset, in litteras tragoediâ interprete manarit necesse est. Nolim asseverare Aeschyli aut Sophoclis 'Iphigeniam' fuisse hanc tragoediam; cum enim pro argumento habuerint sacrificium Aulidense, in ipsa heroinae salvatione acquiescere poterant. Illud dico, eam fuisse tragoediam, quae 'Iphigeniae Tauricae' Euripidis argumentum praebuerit — tragoediam igitur, ut solita brachylogia utamur, ejus tragoediae exemplarem'.

40. Qui autem factum esse dicemus, ut in Pontica praecipue Tauride dea sive sacerdos nostra collocaretur? Nam humanorum sacrificiorum barbariem pluribus locis extitisse consentaneum est.

Vidimus in Cypris Tauros fabulosam fuisse gentem ab Hyperboreis non admodum diversam; probabile est igitur ad Scythas eundem eos poetam transtulisse, qui etiam Hyperboreos eodem transtulerit, Aristeam scilicet Proconnesium in 'Armaspea' (cf. Crusius apud Roscherum I 2806). Reminiscamur etiam Thoantis, Taurorum in Scythia regis. Ejus patriam Lemnum fuisse vidimus; Lemnus igitur Scythicam Tauridem antecessit, hic necesse est ortus sit mythus, qui postea una cum Thoante eo translatus est. Neque id mirum: Lemnus enim in ipsa ad Euxinum via sita erat, ultima Graecorum ante Hellespontum statio.

Euripides sane in tragoedia sua nullam Lemni mentionem facit; in sola versatur Pontica Tauride. Mirandum autem non erit, si apud antecessorem ejus firmiorem invenerimus evolutionis, quam perpeusus est mythus, memoriam.

41. Generosus Iphigeniae in Taurica tragoedia animus semper singulari fuit lectoribus oblectamento. Quamquam nondum eâ valet omnibus ignoscendi facultate, quae 'Aulidensem' insignitura erat; indulgens in patrem, immiti est animo in ceteros injuriae suae participes, Calchantem, Ulixem, Achillem (531.—9). Attamen misericors est (344 sqq.), invita cruento suo munere fungitur, quin etiam deam suam vituperat, quae talem 'stultitiam' admittat.

His tamen lenibus coloribus ab Euripide demum depictam esse Iphigeniam consentaneum est; cujus imaginem si attentius contemplemur, quasi in palimpsesto sub hac posteriore scriptura aliam discernere possumus eamque tetricam et severam. Haec illa est Iphigenia, quae »hanc Aulidem illi opponit« (858), quae »odit Graeciam, quae se perdiderit« (1187), quae diligenter deam colit »memor Aulidensis caedis« (1418). Haec omnia rudimenta sunt, conditionali vel negativo ductu in textum nostrum illata; attamen extant, de priore nos Iphigenia monentia. Quid quod ipsa priores repetit mores, ubi somnio de fratris

interitu certior est facta? Quod simul accidit, nulla jam inter sacerdotem deamque discordia est.

Non diutius in hoc mentis statu permanet, quam ab incognito fratre de vivo nuntium accipit; attamen in eum statum ejus cum juvenibus colloquium incidit, quo apud Orestem opinio confirmatur brevi fore ut ab hac Argiva muliere mactetur. Quo fit ut quasi moriturus Pyladi amico ultionem suam commendet (704):

ἄγγελλε δ' ὡς ὄλωλ' ὑπ' Ἀργείας τινὸς
 γυναικός, ἀμφὶ βωμὸν ἀγνισθεῖς φόνω.

Jam supra (lib. I § 36) de hoc loco egi; vidimus rudimentum esse ex Sophoclis Alete'. — Itane rudimentum? Quid si inverso ordine Sophocles ex Euripidis colore totam tragoediam concinnavit? — Haec mea quondam sententia fuit; abjeci eam praevalentibus in illam partem analogiis. Quod nisi quis meae, quam primo libro peregi, de locis rudimentalibus' commentationi ἀντίσταθμον opposuerit, de locis germinalibus', parendum erit analogiis Sophoclisque Aletes' pro antiquiore habendus tragoedia.

Atqui in hoc Alete', cujus scaena est Delphis, et Tauricum amborum amicorum iter praesumitur, et mactandorum periculum, et una cum Iphigenia in Graeciam salvatio. Sequitur inde hunc ipsum Aleten' Euripidi fuisse in Iphigenia Taurica' componenda tragoediam exemplarem? Nondum hoc affirmo; illud teneo, Sophoclem in mythopoeia Taurica componenda antecessorem fuisse Euripidis.

42. Quae res nos de Iphigeniæ Tauricae' tempore inquirere cogit. Non sane multa sunt, quae de eo dici possint; attamen et tetrametri trochaici usus, et trimetrorum genus (cf. quae libro II diximus) libero stilo hanc tragoediam assignant. Magna similitudo, quae ei cum Helena' intercedit, E. Bruhnum commovit, ut singulis locis collatis ultra utram imitata esset quaereret; ipse nostram antiquiorem fuisse arbitratur. Verum argumenta ejus plane

ejusdem sunt generis atque ea, quibus hucusque desperandam de Euripideae *Electrae* prioritatem thesin defendit, neque opus est nos in his nubibus dissipandis tempus terere.

Firmius esse opinor, quod supra de barbara Thoantis natura monui (§ 37); firmiora etiam, quae hoc loco disputaturus sum.

Aeschyleum de Areopagi iudicio mythologema a Sophocle remotum esse notum est: non debuit usquam reus consistere juvenis dei Delphici voluntatem executus. Euripides contra iudicium illud et in *Electra*, et in *Iph. Taurica* agnoscit, de etymologia tantum dissidens. Accurate de eo in *Electra* agitur; totis enim 26 versibus Orestis fata a relictis Argis ad destinatam Arcadiam persequitur (1250 sqq.). A Furiis agitatus cum Athenas venisset, amplecteretur Palladis signum; id enim ei salutem fore. Esse autem Athenis Martis collem — sequitur 1258—63 de Halirrhothii iudicio fama. Ibi eum paribus suffragiis absolutum iri, idem parium suffragiorum beneficium etiam posteris relicturum; qua re decreta Furias exasperatas sub ipso colle Telluris latebras petituras esse, eum autem in Arcadium urbe ab ipso appellanda domicilium inventurum.

Operae pretium est cum hac accurata descriptione brevem in *Iph. Taurica* recapitulationem comparare. Ita enim Orestes (941):

*μεταδρομαῖς Ἐρινύων
ἠλαυνόμεσθα φηγάδες, ἔνθεν μοι πόδα
εἰς τὰς Ἀθήνας δῆτ' ἔπειμψε Λοξίας,
δίκην παρασχεῖν ταῖς ἀωνύμοις θεαῖς·
ἔστιν γὰρ ὁσία ψῆφος, ἣν Ἄρει ποτὲ
Ζεὺς εἶσατ' ἐκ τοῦ δῆ χειρῶν μιάσματος...*

Admirabile est illud *του*: quasi hoc dicere velit poeta: »propter nefas quoddam, de quo cum fusius egerim in *Electra* mea, hic longior esse nolo«. Longior contra est in Choum aetio describendo (947—960) — nec mirum, nam in *Electra* id ne una quidem syllaba tetigerat.

ὡς δ' εἰς Ἄρειον ὄχθρον ἦκόν, ἐς δίκην
 ἔστην, ἐγὼ μὲν θάτερον λαβὼν βᾶδρον,
 τὸ δ' ἄλλο πρέσβειρ' ἤπερ ἦν Ἐρινύων,
 εἰπὼν δ' ἀκούσας θ' αἵματος μητρὸς πέρι,
 Φοῖβός μ' ἔσωσε μαρτυρῶν, ἴσας δέ μοι
 ψήφους διηρίδμησε Παλλὰς ὠλένης
 νικῶν δ' ἀπήρα φόνια πειρατήρια.

Haec enim communia sunt utriusque tragoediae, fusius in *Electra* tractata, hic vero in brevis coartata. Quae sequuntur, propria sunt *Iph. Tauricae*: Furiarum discidium¹, secunda Delphici oraculi consultatio, Apollinis de Tauris vaticinium.

Clarum hinc fit 1) *Electrae* mythopoeiā Tauricam plane excludi; neque enim discidio locus erat, ubi omnes Furiae terram subiisse dicuntur, neque Tauricum Orestis iter inter ejus absolutionem Atheniensem et Arcadicam μετοικίαν intruseris. Excluditur, inquam, ne per silentium quidem subintelligenda. — 2) *Electrae* contra mythopoeiam utique in *Iph. Taurica* subintellegi. Hic enim breviter et aenigmaticè indicatur Martis et Neptuni iudicium, quippe illic diligentius explicatum; hic verbo attingitur Apollinis testimonium, quippe illic disertè expositum. Patet igitur in *Iph. Taurica* nos δευτερολογίαν habere, quae ideo in com-

¹ ὅσαι μὲν οὖν ἔζοντο πεισθεῖσαι δίκη... ὅσαι δ' Ἐρινύων οὐκ ἐπέσθησαν νόμῳ. Falso haec vulgo accipiuntur de eis, quae iudicio paruerint deque eis, quae non paruerint; quasi vero, postquam iudicium subierunt, liberum eis fuerit re iudicata non stare; neque potest δίκη, quod infra per νόμῳ explicatur, de re iudicata intellegi. Verum sensum nobis ἔζοντο vocabulum aperit cum El. 1259 collatum οὐ πρῶτον θεοὶ ἔζοντ' ἐπὶ ψήφοισιν αἵματος πέρι; non omnes igitur Furiae accusandi apud Areopagum munus acceperunt. Artificiosum hoc sane — neque enim aliter Tauricum mythogema cum Aeschyleo de Areopago conjungi poterat quam per talem conduplicationem — ceterum citra culpam; cum enim Areopagus quasi arbiter ex compromisso constiterit, liberum fuit eis, quae ejus arbitrium declinaverant, in persequendo pergere.

munibus brevior existere potuit, quod accuratior jam in 'Electra' data erat.

Quod quam vere dictum sit, 'Orestes' comparatus docebit, quae tragoedia a. 408 docta quin posterior fuerit et 'Electra' (413 a.) et 'Iph. Taurica' nemo dubitat. Hic ergo tertiam narrationem audiemus — Apollinis ex machina dei (1643):

σὲ δ' αὖ χρεῶν,
 Ὀρέστα, γαίης τῆςδ' ὑπερβαλόνδ' ὄρους
 Παρράσιον οἰκεῖν δάπεδον ἐνιαυτοῦ κύκλον,
 κεκλήσεται δὲ σῆς φυγῆς ἐπώνυμον
 Ἀζᾶσιν Ἀρκάσιν τ' Ὀρέστειον καλεῖν.
 ἐνδένδε δ' ἑλθὼν τὴν Ἀθηναίων πόλιν
 δίκην ὑπόσχεσ' αἵματος μητροκτόνον
 Εὐμενίσιν τρισσαῖς¹ θεοὶ δέ σοι δίκης βραβῆς
 πάγοισιν ἐν Ἀρείοισιν εὐσεβεστάτην
 ψῆφον διοίσουσ', ἔνθα νικῆσαι σε χρεῖ.

Hanc narrationem cum 'Electra' comparanti cuius mirum videbitur Arcadicam *μετοικίαν*, quae illic iudicium sequebatur, hic in tempus inter scelus et iudicium translatum esse, non sine magna verisimilitudinis jactura, cum plane explicari non possit, cur tandem in Arcadia Furiarum pace fruatur. Neque video quid responderi possit praeter unum: quia nimirum post iudicium in Tauros profectus sit, inde Athenas, inde expiato scelere Argos. Non addit haec poeta, ne additis longam orationem longiorem efficiat; at haec est differentia inter 'Electrae' et 'Orestis' silentium, quod illo, ut vidimus, excluditur Taurica mythopoeia, hoc non modo non excluditur, sed etiam postulatur.

¹ De numero si quis cavillari velit, dicat consentaneum esse illo discidio in pares partes discessisse Furias; jam cum Oresten tres persecutae sint (IT 285—90), facile nobis persuaderi tres iudicium subiisse. Sed haec vereor ne argutiora sint quam veriora; apud Euripidem enim solemnissimum est trium Furiarum numerus (Tro. 457; Or. 408), qui neque discidio minuitur neque conjunctione major fit.

Quae omnia si complectimur, fatendum erit, Iph. Tauricam' post Electram' et ante Orestem' scaenae commissam esse, hoc est inter 413 et 408 annos. Cum autem Electram' proxime a. 412 secutae sint Helena' et Andromeda', nisi quis tertiam eis adjungere velit, Iph. Tauricam', posteriorem eam fuisse illis statuatur necesse est.

43. Eodem deducimur alia via non per singulos traegodiarum locos, sed per universam earum indolem procedentes. Quamquam hic plures habemus vias pluribus hujus indolis rationibus respondentes; nos tamen duabus acquiescemus, eis scilicet, quae ad religionem et ad 'intricatum' actionis dolum pertinent.

De Euripidis quam dicimus religiositate plurimae sunt turbae excitatae propterea maxime, quod non satis diligenter homines singulas poetae aetates discernebant; plerumque enim eundem semper remansisse sibi fingeant, nisi quod ultimo vitae anno in Bacchabus' retro vela dedisse quidam arbitrabantur. Equidem video eum belli Peloponnesiaci tempore usque ad infelicem expeditionis Siciliensis exitum infesto erga deos animo scripsisse; hoc autem non ex singulis singularum personarum dictis colligo, sed ex rebellanti totarum fabularum spiritu usque ad finem permanente, qualis est Hippolyti' contra Venerem, Andromachae' contra Apollinem, Herculis' contra Junonem, Electrae' rursus contra Apollinem, ut non dicam de Hecuba' Troadibus'que cunctorum deorum odio flagrantibus. Tum vero contraria oritur inclinatio; quo in novo cursu maxime memorabilis est Ionis' et Iph. Tauricae' similitudo. In utraque heroes primo admodum hostili sunt erga Apollinem animo, Creusaeque in eum ardenti monodiae (859 sqq.) Orestis acerba suspicio respondet (711 sqq.) ideo se a dea in remotam Scythiam esse missum, ut suus interitus oraculique vanitas hominibus incognita remaneret. Verum spectatores has imprecationes audientes jam optime sciunt falli caecutientes homines,

non falli et sapientem et benevolum deum, qui tacite et occulte eorum vitam ad felicem metam ducat. Et haec deorum pax usque ad finem fida poetae permansit; nam etiam deperditae tragoediae, ut nostrâ memoriâ Antiope et Hypsipyle docuerunt, eandem exhibebant inclinationem.

Idem intricati doli apud Euripidem evolutio demonstrat, quem gradatim evanescere videmus. Principio enim victoriam ubique reportat. modo favente, modo invito spectatore, qualis est Medae contra Iasonem, Phaedrae sive Veneris contra Hippolytum, Orestis contra Neoptolemum (in his duabus fabulis amica heroibus dea, Diana et Thetis, quamvis aegre ferens victorem dolum, resistere ei tamen non possunt), Hecubae contra Polymestorem, maxime autem Electrae contra Clytaemnestram et Helenae contra Theoclymenum. Hic vero ad culmen promota arte pigere coepit poetam propositi, quod maxime Iph. Taurica cum Helena comparata demonstrat. Utrobique enim fugae dolus summa arte elaboratus est mirâ utriusque fabulae similitudine: humi jacet torpens socordiâ barbari regis ingenium, navis fugientes accepit, omnia prospere evenire videntur; sed in Helena vento secundo (1612) felix eis fuga datur, in Iphigeniâ adversus ventus retro eos ad iratum regem reducit. Jam atrox eis supplicium paratur, humi jacent dolosae hominum artes, nisi supremo temporis momento Palladis deae interventu servarentur. Neque hic solum, sed etiam in Ione, in Oreste deus ante ipsam perniciem gubernaculum eripit imprudentium hominum manibus. Haec secunda est Euripidis in dolo adoperando ratio; tertiâ ex secunda paulatim emergens ea est, ut non deus, sed ipse homo meliore via cognita bene dolum instructum abjiciat. Haec ex Hypsipyla maxime et Iph. Aulidensi enitescit.

Qua brevi disputatione confirmatum videmus, quod supra posuimus, post Helenam actam esse Iph. Tauricam et ante Orestem, h. e. inter 412 et 408 annos.

44. Sed tempus est jam coronidem operi apponere.

Fuit inter Sophoclis tragoedias etiam Chryses'. Fragmenta ex ea servata sunt admodum pauca; unum tamen eo memorabile est, quod jam antiquis criticis occasionem dedit cum Aristophanis parodia componendi. Ita enim ad Av. 1240:

ὅπως μή σου γένος πανώλεθρον

Διὸς μακέλλη πᾶν ἀναστρέψη Δίκη

scholiasta: τοῦτο φησὶ παρὰ τὸ Σοφόκλειον <έν> Χρῦση, μακέλλη Ζηνὸς ἐξαναστραφῆ¹.

Habemus igitur terminum ad quem tragoediae nostrae: commissa est scaenae ante Aves', hoc est ante 414 a. Jam cum Iphigenia Taurica' utique post illum annum acta sit, sequitur Chrysem' eâ priorem fuisse.

¹ Citationis et fidem et demonstratoriam vim agnoscunt cum aliis et Wilamowitzius (Herm. XVIII 257) et Robertus (Arch. Ztg. 1875, 134). Non dixerim eam ab objectionibus plane tutam esse: poterit quispiam dicere 1) illud έν (Fritzschi) conjecturae deberi, qua abjecta legi posse: ... παρὰ το Σοφόκλειον.

χρυσῆ μακέλλη Ζηνὸς ἐξαναστραφῆ

— quamquam non bene laetum χρυσῆ epitheton cum tristi destructionis instrumento copulatur, et Nauckius recte conjecturam illam recepisse videtur. Tum autem 2) non ad verbum tamen Sophocleum locum ab Aristophane repeti. At difficile est casui tribuere vocabulum μάκελλα per se non admodum frequens utrobique cum Jovis nomine et cum ἀναστρέφω verbo conjungi. Non potest tamen levitatis crimine absolvi E. Bruhn cum in IT editione (p. 17) quaestione posita, quod illius φησὶ subjectum esset et addito dass die Sophoklesstelle mit der des Aristophanes offenbar (!) gar nichts zu tun hat, subjecti loco Asclepiadem (Tragilensem) intrudit, cuius fidem coll. schol. Ran. 1270 et Av. 348 in dubitationem vocare studet. Respondendum est 1) subjectum ad φησὶ non Asclepiadem esse, de quo altum est hoc loco silentium, sed aut Aristophanem aut Irin, et 2) non esse cur fides Asclepiadae deneganda sit. Ex collatis enim locis prior de dissensione est inter Timachidam et Asclepiadem propter Aeschylī locum orta, quem ille Telepho', hic Iphigeniae' assignaverit — prono alteruter errore, siquidem ejusdem trilogiae' erant (supra § 6): posterior de manifesto Asclepiadae eodem tamen veniali errore.

Ipsius fabulae argumentum ducibus Pacuvio in 'Chryse' et Hygino (fab. 120 et 121) ita restituitur¹.

Chryses I rex fuit Chrysaë insulae prope Lemnum idemque Apollinis sacerdos. Cujus filia Chryseis cum ab Agamemnone capta esset, venit in Achiva castra, ut eam redimeret; ab imperatore ignominiose proturbatus tamen deo adjuvante filiam recuperat. Patri reddita — videlicet ut sacerdotium conservare posset — se ab Agamemnone intactam remansisse pronuntiavit; cum nihilominus puerum — Chrysem II — peperisset, se eum ab Apolline concepissee mentita est. Multis annis post verus pueri pater Mycenis ab uxore occisus est; major occisi filius Orestes mortem ejus ultus est, sed ad expiandum parricidii nefas — hic Sophocles propriam 'Electraë' mythopoeiam relinquit — Apollinis jussu ad Tauros profectus est, ut Dianae Tauricae signum in Graeciam asportaret, cujus deae sacerdotem sororem suam Iphigeniam esse nesciebat². Signo Iphigeniae ope potitus

¹ Addito O. Jahni (Herm. II 233) supplemento. Nam quod O. Rossbach (Berl. phil. Wft. 1899, 1630) sibi invenisse visus est 'Chrysaë' fragmentum, id pro tali agnoscere non possumus.

² Neque enim cuiquam probari posse puto Roberti (l. l.) crisin, qui quovis pacto ex 'Chrysaë' mythopoeia Thoantem cum Iphigenia eliminare studet ut ab Hygino adjectos. Nam quod opponit duos reges duasque sacerdotes adeo complicatam reddere actionem, ut in Attica scaena repraesentari non potuerit, id nullam prorsus habet vim. Septem enim habemus personas — Chrysem I, Chryseidem, Chrysen II, Oresten, Pyladen (nisi id fuit κωφόν), Iphigeniam, Thoantem; non plures quam in 'Ajace'. Thoantem autem removere hoc est traegodiam tollere. Quid enim remanet regis postulatione sublata? Erroribus, inquit, actos Oresten et Pyladen (venti?) ad Sminthes litus appellunt. Cur ad Sminthes? Intellego, si a Scythica Tauride domum navigabant; sed id ipsum non agnoscit criticus. Orestes Pylade suadente a Furiis actus Apollinis templum petit; insequens actio *ergibt sich von selbst*. Cui igitur traditur Orestes? An Furiis? Quod porro fratricidii periculum absente Thoante? Et cui tandem bono haec violenta athetesis patrat? Scilicet ne a quoquam 'Iphigeniae Tauricae' argumentum occupatum esse videatur. Sed hic purus putus est 'postulatus'.

una cum ea et cum Pylade, qui eum ubique comitabatur, domum fuga petivit. Nequiquam tamen; rex enim Tauro- rum Thoas eos persequi coepit et in Chryse insula, quo tempestate cogente appulerant, fugitivos consecutus est. — Et hic quidem actio tragoediae nostrae incipit.

Ambo amici cum Iphigenia supplices ad Apollinis aram considunt; sed Thoas signum suum ab eis raptum esse arguit. Sacrilegis nullum est asyllum; Chryses I cognita causa nepoti imperat, ut incestos justae Thoantis irae tradat. Inter altercandum certior fit et Orestem et Iphigeniam Agamemnonis liberos esse, qua re comperta etiam magis in eos incenditur: sene benevolo animo eorum preces accepturum, a quorum patre suae quandoque preces repudiatae sint? Nulla igitur mora est, quin Chryses II fugitivos Thoanti tradat.

Immo in matre ejus vel maxima est mora: sola enim scit juvenem sacerdotem ipsum quoque Agamemnonis esse filium eoque brevi rem venturam, ut frater a fratre acerbissimae morti detur. Pugnat ergo puellaris pudor cum parricidii timore, sed ita pugnat, ut postremo ab hoc vincatur. Omnia igitur filio aperit; is fratri opem ferre properat. Res venit ad manus; tumultu orto rex Thoas occiditur. Liberi metu Agamemnonidae Mycenae petunt.

45. Hoc fuit Sophocleae tragoediae argumentum, totum, ut videtur, ab ipso excogitatum, ita tamen, ut in singulis antiquiorem famam sequeretur. Et duos quidem locos, qui apud Sophoclem efficacissimi erant, apud Euripidem ut rudimentarios invenimus. Filius, quem mater ab Apolline conceptum praedicaverat, de origine sua cum ea colloquitur — hoc apud Sophoclem in Chryse, apud Euripidem autem in Ione habemus, nisi quod illic rubore suffuso mentitam se esse fatetur, hic superbo voltu vera se dixisse asseverat (supra lib. I § 73). Rex Thoas signi sui raptos ventis adversis laborantes persequi parat; hoc apud Sophoclem in Chryse, apud Euripidem autem in Iphigenia

Taurica' locum obtinet, nisi quod illic ad effectum perducitur persecutio, hic Minervae monitu in ipso initio eā desistitur. Et memorabile est hos Chrysaē rudimentarios locos in Iōne' et Iph. Taurica' inveniri, quas ambas eodem 411 anno actas esse probabile est.

Memorabilius tamen aliud est. Persequitur ergo signi raptores Thoas, fugientes ad Chrysen assequitur; hanc autem Chrysen idem Sophocles in Lemniasin' prope Lemnum collocat (fr. 353 N):

ὦ Λῆμνε Χρύσης τ' ἀγχιτέρμονες πόροι.

Ubi citationis auctor, Stephanus Byzantius, cum *Χρύση ἢ πόλις τοῦ Ἀπόλλωνος* addit, nexum inter Chrysen et Apollinem in fonte suo, Sophoclea nimirum fabula, agnosci testatur.

En igitur iterum conjunctos, qui pridem divulsi erant, Thoantem et Lemnum! peregit circuitum orbis. Quin etiam quaerere quispiam possit, necessarione e Scythia Tauros suos arcessierit Sophocles nec potius antiquiore fama acquieverit, quae eos Lemni vel prope Lemnum collocaverat (supra § 36). Vincere tamen fas est Herodoti auctoritatem (supra § 38), a quo quam libenter sua mutuatus sit Sophocles, nemo est quin sciat. Nec tamen fugisse videtur poetam antiquus nexus; sit licet in Scytharum Tauride raptum Dianae signum, confligitur de eo in Lemniaca.

Nec tamen ita commune fuit Chrysaē et Iphigeniaē Tauricaē argumentum, ut e. g. ambarum Electrarum; immo continuasse videtur Chryses' Iphigeniaē argumentum. Potuitne, si tempore fuit prior? Sed videamus, quid ex Iphigeniaē argumento facere potuerit Sophocles. Intricatus enim fugae dolus, quo Euripides delectabatur — idque solus, ut Aristophanis irrisio docet — Sophoclem non alliciebat; hoc autem sublato solus relinquebatur ἀναγνωρισμός, qui tamen tragoediam non explebat. Sophoclis ars tragica moralem desiderabat conflictum; qui in Scy-

tharum Tauride nullus esse poterat. Persequebatur ergo poeta animo fugitivorum reditum: cum redeuntibus Lemni Chryseidem invenit. Ecce tragoediae germen.

46. Pauca de traditione figurata addere placet. Robertus enim commentatione, qua supra usi sumus, bene docuisse videtur omnia sarcophagorum anaglypha ex Euripidis tragoedia pendere; neque habeo, quod ei contradicam, nisi quod una in re ejus errorem corrigere velim. Recte enim cum monuisset Thoantem solum inter subditos sibi Scythas Graeco amictu insignitum esse, minus recte videtur hanc exceptionem eo explicare, quod necesse fuerit aliquo modo regem a populo discerni; quasi id Graecis vestimentis commodissime fiat ac non longe commodius splendidiore barbaro ornatu, scipione, tiara fieri potuerit.

Mihi post haec, quae supra de Graeca antiquitas Thoantis origine disserui (§ 37), vera interpretatio non dubia esse videtur. Euripides enim cum in ceteris sua Taurica fabula antecessores vicisset, illud non obtinuit, ut barbarus repraesentaretur is, quem ex Sophoclis tragoedia Graecum fuisse notum erat; remansit igitur in figurata traditione hic quasi rudimentalis locus.

ADDENDUM.

Cum tres fere annos occupaverit aliquoties interruptum imprimendi libri opus, fieri non potuit quin aliqua jam ipso prodeundi tempore obsolescerent. Ego vero in ceteris veniam petam a lectore mihi praeter multos necessariam, qui difficillimis conditionibus diuturni laboris operam tandem ad finem perduxerim; unum tamen addere libet. Cum enim 'Alexandrum' Euripideam p. 215 examinarem, nondum uti poteram papyri Argentoratensis fragmentis a Crönerto a. 1922 editis (*Nachrichten v. d. Kön. Ges. d. Wfsen zu Göttingen, phil.-hist. Kl.* 1 sqq.). Ea versus, quorum quidem aliqua est species, 44 suppeditat (I: 6; II: 8; IV: 14; VIb: 5, VIc: 11); inter eos 6 video extare solutiones, qui modulus normae nostrae respondet, si earum versuum partium, quae interciderunt, ratio habeatur. Prorsus legitimae sunt I 3 Πρίαμος, I 12 ἀδύτων, II 8 διαφέρων, IV 11 Δηί-φοβε ut Tro. 543 ἐπτά-πυλον (p. 177), contra solito more VIc 32 Δηί-φοβε in primo pede. Dubitationem movet paeon primus μα]κάριον, cujus primam ex lege percuti spatium, secundam (ut γε-νομένων Tro. 504, p. 178) ulteriora verba vetant; viderit futurus editor. Ab anapaesto ὁ γ' [ἐλε]ύ-θεροι inducendo abstinebit qui operis mei pag. 200 sqq. comparaverit.

Ceterum cum hos »libros tres« prelo submitterem, qui operae meae Tragodumenis navatae ne tertiam quidem partem continent, alios tempore favente me subinde editurum esse sperabam; nunc cum hanc spem abjiciendam

esse videam, tamen rei consulens, ubi disjecta ceterorum librorum membra collocaverim — quae quidem per se consistere posse videbantur — sub uno conspectu ponere volo.

1) De Alcmeonis Corinthii fabula Euripidea. Mnemosyne 1922.

2) Bruti *Ἡράκλειον* unde petium (sc. ex Auge' Euripidea): Charisteria Casimiro de Morawski septuagenario oblata. Cracoviae 1922.

3) De Hercule tragico deque Heraclidarum tetralogia Aeschylea: Eos XXV (1921—22).

4) Les reflets de l'histoire politique dans la tragédie grecque: La Pologne au Congrès international de Bruxelles 1923.

5) L'évolution religieuse d'Euripide: Revue des études grecques XXXVI 1923.

6) De Euripidis Thebaide posteriore (sc. de Oenomaos', Chrysis', Phoenissis'): Mnemosyne 1924.

7) Charis and Charites: the Classical Quarterly XVIII 1924.

8) De Sophoclis fabula ignota (sc. Neoptolemos'): Eos XXVII 1924.

9) De Aiacis Locrensis' fabula Sophoclea: Eos XXVIII 1925.

Quibus alia quoque, prout vita suppeditabit, subinde addere placet.

INDEX LOCORUM.

	Pag.		Pag.
Accius, Philocteta	93	Apollodorus epit. 3, 26	246
Adespota 126 N.	90	Aristophanes, Avv. 276	103
" 374 "	237	Cypria	244
" 494 "	237	Dictys Cret.	245
Aelianus, h. a. II 39	277	Diodorus IV 26	122
Aeschylus, Agam. 228 sqq.	254	Euripides, Aegeus	33, 214
— " 235	98	— Aeolus	215
— Argivi	17, 123	— Alc. 526	139, 146
— Choeph. 168—211	114	— " 802	146
— " 571 sq.	73	— " 850	84
— " 889	73	— Alcmene	218
— Eleusinii	17, 87	— Alceones	215
— Eumen. 24 sqq.	69	— Alexander	215
— Heraclidea	90, 112	— Alope	218
— Iphigenia 95, 98, 118, 253 sqq.	98	— Andr. 51 sqq.	43
— Juvenes	98	— " 444	139, 157
— Lycurgea	66, 100	— " 964	84, 114
— Nemea	17	— " 1164 sqq.	43
— Palamedes	259 sqq.	— Andromeda	218, 237
— Pentheis	66, 70	— Antigone	219
— Phorcidas	288	— Antiope	219
— Prometheus	34	— Archelaus	221, 236
— Sacerdotes	100	— Auge	222, 235, 237
— Telephus	251 sqq.	— Bacch. 50 sqq.	68, 75
Antoninus Lib. 27	304	— " 91	96
Apollodorus I 91	127	— " 294	106
— II 34	288	— " 306	70
— III 34	66	— " 443 sqq.	66
— III 35	99	— " 510 sqq.	65
— epit. 3, 21	266	— " 576—603	63
— " 3, 22	256	— " 734	100
Tragodumenon.		— " 784 sqq.	69
			21

	Pag.		Pag.
Euripides, Bacch. 1252	98	Euripides, Herc. 612	121
— " 1341 sqq.	70	— " 875—921	104
— Bellerophon	223	— " 1375 sq.	105
— Chrysiippus	31	— Hippolytus I. 63, 82, 225,	235
— Cresphontes	225	— Hipp. 24 sqq.	62
— Cressae	225	— " 42	82
— Cretenses	226	— " 612, 657	81
— Danae	223, 292	— " 887 sqq.	59
— " exord. 236, 293 sqq.		— " 981	235
— Dictys	95, 223	— " 1060 sqq.	82
— El. 16	39	— Hypsipyle	230
— " 520—46	113	— IA	274 sqq.
— " 615	125	— " 99	94
— " 883	108	— " 412 sqq.	258
— Erechtheus	223	— " 463	97
— Hec. 1 schol.	93	— " 630	194
— " 30 sqq.	46	— " 959—72	118
— " 38	21	— " 1454	98
— " 52 sqq.	46	— " 1532 sqq. 233, 277 sqq.	
— " 92	19	— Ion 14	24, 78
— " 107 sqq.	19	— " 18, 27	25
— " 339	93	— " 135 sqq.	74
— " 389 sqq.	19	— " 309	24
— " 727	160, 176	— " 344	25
— " 1000 sqq.	49	— " 369	120
— " 1005 sqq.	51	— " 661	24
— " 1145 sqq.	50	— " 670	77
— " 1200	123	— " 858	119
— " 1240	160, 176	— " 947 sqq.	25
— " 1265	53	— " 965	26
— " 1281	139	— " 974 sqq.	89
— Hel. 262	130	— " 1343	202
— " 395	121	— " 1380 sqq.	68
— " 753—767	176	— " 1395 sqq.	55
— " 1033 sqq.	89	— " 1520	128
— Heracl. 30	146	— " 1566 sqq.	75
— " 292	112	— " 1595	76
— " 543 sqq.	91	— IT	300 sqq.
— " 879	100	— " 24	271
— " 1022	92	— " 54	94
— Herc. 32	87	— " 231	271
— " 188 sqq.	43	— " 364	272
— " 568 sqq.	95	— " 531 sqq.	269

Index locorum

323

	Pag.		Pag.
Euripides, IT 537 sqq.	119	Euripides, Rhadamanthus	229
— " 584 sqq.	83	— Rhesus	141
— " 704 sq.	80	— " 447	88
— " 1020 sqq.	75, 90	— " 809	145
— " 1187	128	— Stheneboea	229
— " 1429 sqq.	80	— Suppl. 348	86
— Med. 163 sq.	70	— " 846	123
— " 264 schol.	97	— Telephus	229
— " 374 sq.	71, 149	— Temenidae	230
— " 505	149	— Temenus	230, 236
— " 949	58	— Theseus	224
— " 1186 sqq.	71	— Thyestes	225
— Melanippae	126, 226	— Tro. 864	124
— Meleager	227	— " 955	125
— Oedipus	227	— inc. 857 N.	233
— Oeneus	228	— " 864 "	233
— Oenomaus	228	— " 953 "	234
— Or. 268 sqq.	88	— " 964 "	235
— " 396	129	— " 969 "	235
— " 544—604	129	— " 1018 "	236
— " 931—42	129	— " 1027 "	236
— " 1656 sq.	44	— " 1052 "	236
— " 1659	190	— " 1083 "	236
— Palamedes	228	Herodotus II 113 sqq.	107
— Peliades	228	— IV 103	81, 304
— Perithous	228	— VI 61	130
— Phaethon	232	— " 68	128
— Philoctetes	112, 129, 232	Hesiodus, Theog. 521—5	36
— Phoen. 24 sq.	31	— Catal.	248
— " 33	26	Homerus A 70	242
— " 34—45	27	— " 106	243
— " 62	32	— I 145	242
— " 751	122	— E 230	102
— " 774 sqq.	29	— Ψ 724	302
— " 1043 sqq.	27	— δ 499 sqq.	245
— " 1447 sqq.	30	— λ 248 sqq.	78
— " 1629 sqq.	29	— λ 321 schol.	62
— " 1650	30	Horatius, carm. II 13, 37	37
— " 1703 sqq.	27	— " " 18, 34	37
— Phoenix	233	— " III 16	291
— Phrixus	233	Lucianus, dial. mar. XII	298
— Plisthenes	228	— dial. mort. XXIII	85
— Polyidus	229, 237	Lycophron, Alex. 323 sqq.	259

21*

	Pag.		Pag.
Menander, Samia	291	Sophocles, El. 516	19
Minyas	38	— " 564	267
Ovidius, Her. XI 47	76	— " 566	245
— Met. XIII 554 sqq.	52	— " 680 sqq.	107
Pacuvius, Ilione	48, 124	— Helenae raptus	121, 130
Pausanias II 23, 7	292	— Hermione	44, 114 sq.
— " 32, 10	61	— Iphigenia	94, 119, 263 sqq.
Pherecydes Ath. 26 M.	285, 291	— Lacaenae	125
Philodemus, de pict. 24	248	— Larisaei	289
Philostratus jun., imag. I	41	— Neoptolemus	42
Philostratus, V. Ap. IV 10	53	— OC 399	131
Pindarus, Ol. I 47	106	— OR 1486 sqq.	131
— Pyth. XI 12	107	— Phaedra	83
— " " 34	249	— Phil. 112 sqq.	41
— Isthm. III 105 sqq.	87	— " 343 sqq., 391 sqq.	109
— fr. 262 B	89	— " 561—621	110
Plato, Symp. 179 C	85	— " 568	111
Plutarchus, de aud. poet. 8	82	— " 886 sq.	92
— Theseus	87	— Phryges	23
Seneca, Troades	21 sq.	— Phthiotides	96
Sophocles, Acrisius	289 sq.	— Polyxena	20, 24, 93
— Aegeus	33	— Rhizotomi	72, 97
— Alcestis	86	— Scyrii	42, 110
— Aletes	80	— Tereus	96
— Antig. 246, 256, 429,		— Trach. 54 sqq.	90
695 sqq.	16	— " 1197 sqq.	90
— " 257	18	— Troilus	23
— " 944	289	— Tyro	78, 127
— " 955	99, 103	— Ulixes furens	121
— Atreus	267	Stesichorus, Il. Persis	93
— Chryses	81, 116, 128	— Orestea	40, 73, 88, 103, 248
— Creusa	120, 126	Terentius, Heaut. tim. 650	57
— El. 11 sq.	39	Thucydides I 136	251
— " 158	242	Varro, r. r. II 4, 5	127

SUMMARIUM.

Liber primus.

De locis tragoediae Graecae rudimentalibus.

	Pag.
Cap. I. Locorum rudimentalium ratio explicatur . . .	1
1. Explicatio generalis (1). — 2. Exempla ex recentiorum poesi petita: Mickiewiczii 'Świtez' (2). — 3. Alexii Tolstoji 'Boris Godunov' (4). — 4. C. Immermanni 'Merlinus' (5). — 5. Grillparzeri 'Fidus domini minister' (7). — 6. Locorum rudimentalium genera (8). — 7. Locorum rudimentalium in restituendis tragoediis deperditis utilitas (10). — 8. Personalia (12).	
Cap. II. De contradictione	13
9. Contradictionum genera: Sophoclis 'Antigona' (Creontis decretum) (13). — 10. De Sophoclis arte dramatica (14). — 11. Sophoclis 'Antigona' (Polynicis sepultura): Aeschyli 'Argias'. De locis inductoriiis (16). — 12. Euripidis 'Hecuba' (Polyxenae mactatio): Sophoclis 'Polyxena' (18). — 13. Euripidis 'Ion' (Creusae puerperium): Sophoclis 'Creusa' (24). — 14. Euripidis 'Phoenissae' (Oedipi theoria): Sophoclis 'Oedipi' (26). — 15. Eaedem (Polynicis sepultura): Sophoclis 'Antigona' (28). — 16. Eaedem (Oedipus expositus): Oedipodea cyclica; (Iocastes fibula): Sophoclis 'Oedipus Rex' (30).	
Cap. III. De conduplicatione	32
17. Conduplicationum genera (32). — 18. Aeschyli 'Prometheus' (Promethei poena): Hesiodus, 'Minyas' (34). — 19. Sophoclis 'Electra' (Orestes servatus): lyrici (38). — 20. Sophoclis 'Philoctetes' (Trojae victores): Sophoclis 'Scyrii' (40). — 21. Euripidis 'Andromache' (Neoptolemi theoria): Sophoclis 'Hermione' (43). — 22. Euripidis 'Hecuba' (Polymestoris poena) (45). — 23. Eadem (Polydori umbra): Pacuvii 'Iliona' (45). — 24. Eadem (Hecubae insidiae) (49). — 25. Eadem (scaenae locus; Polydori corpus projectum; He-	

cubae metamorphosis): Aeschyli 'Polydorus' (50). — 26. Euripidis 'Ion' (*γυορίσματα*) (55). — 27. Euripidis 'Medea' (doña fatalia): Sophoclis 'Rhizotomi' (58). — 28. Euripidis 'Hippolytus' (Thesei detestatio); irritum consilium (59). — 29. Idem (Phaedrae amor): 'Hippolytus' prior (62). — 30. Euripidis 'Bacchae' (Bacchi miracula) (63). 31. Eadem (chorus): Aeschyli 'Lycurges' et 'Pentheis' (65).

Cap. IV. De irritum consilio 68

32. Observationes generales. Euripidis 'Bacchae' (pugna): Aeschyli 'Pentheis' (68). — 33. Euripidis 'Medea' (ultio): Sophoclis 'Rhizotomi' (70). — 34. Aeschyli 'Choephoroe' (Aegisthi nex; securis): Stesichori 'Oreste' (73). — 35. Euripidis 'Ion' (scaena): Sophoclis 'Creusa'; ejusdem 'Tyro'; dissimulata inveciva (74). — 36. Euripidis 'Iphigenia Taurica' (Argiva mulier; Thoas): Sophoclis 'Aletes' et 'Chryses' (79). — 37. Euripides 'Hippolytus' (jurandum); 'Hippolytus Velatus': Sophoclis 'Phaedra' (81). — 38. Euripidis 'Alceste' (Alceste liberata): Sophoclis 'Alceste' (84). — 39. Euripidis 'Supplices' (VII efflagitati): Aeschyli 'Eleusini' (86). — 40. Euripidis 'Hercules' (infanticidium): Pindarus (87). — 41. Euripidis 'Orestes' (Apollinis arcus): Stesichori 'Oreste' (88). — 'Rhesus' (unus pugnae dies): Pindarus (88). — 43. De repudiata propositione (89). — 44. Sophoclis 'Trachiniae' (Heraclidarum domicilium): Aeschyli 'Heraclidae' (90). — 45. Euripidis 'Heraclidae' (Macariae sacrificium): Aeschyli 'Sacerdotes' (91). — 46. Sophoclis 'Philoctetes' (Ph. in navem translatus): Aeschyli 'Philoctetes' (92). — 47. Euripidis 'Hecuba' (Polyxena preces): Sophoclis 'Polyxena' (93). — 48. Euripidis 'Iphigenia Aulidensis' (Iphigenia arcessita): Sophoclis 'Iphigenia'; (Iphigeniae salvatio) Aeschyli 'Iphigenia' (94). — 49. Euripidis 'Hercules' (Thebanorum poena): Euripidis 'Dictys' (95). — 50. Euripidis 'Bacchae' (curru in montem): Sophoclis 'Tereus' (96). — 51. De irrita suppositione. Euripidis 'Medea' (infanticidium): Sophoclis 'Rhizotomi'. (Iphigeniae detestatio): Aeschyli 'Iphigenia' (97). — 53. Euripidis 'Bacchae' (Pentheus venator): Aeschyli 'Juvenes' (98). — 54. Euripidis 'Heraclidae' (Eurysthei nex): Aeschyli 'Sacerdotes' (99). — 55. Euripidis 'Bacchae' (grex discerptus): Aeschyli 'Lycurges' (100). — 56. De incohata actione. Euripidis 'Hercules' (infanticidium): Aestae vasculum (103).

Cap. V. De vana fama 105

57. Antiqua hujus interpretationis exempla: Pindarus, Euripides, Herodotus (105). — 58. Sophoclis 'Electra' (Orestis ficticia mors): Stesichori 'Oreste' (107). — 59. Sophoclis 'Philoctetes' (Neoptolemi cum Atridis discidium): Sophoclis 'Neoptolemus' (109). — 60. Sophoclis 'Philoctetes' (mercatoris narratio): Sophoclis 'Scyrii';

- Euripidis ‚Philoctetes’ (110). — 61. Euripidis ‚Heraclidae’ (Copreus occisus): Aeschyli ‚Heraclidea’ (112).
 Cap. VI. De dissimulata invectiva 113
 62. Ejus cum ‚repudiata propositione’ affinitas; Euripidis ‚Electra’ (gnorismata): Aeschyli ‚Choephoroe’ (113). — 63. Euripidis ‚Andromache’ (Hermiones litterae): Sophoclis ‚Hermione’; Molossus an Anchialus? (114). — 64. Euripidis ‚Iph. Aulidensis’ (simulatum conjugium): Aeschyli et Sophoclis ‚Iphigeniae’ (118). — 65. Euripidis ‚Ion’ (filii origo; Creusae theoria): Sophoclis ‚Creusa’ (119). — 66. Euripidis ‚Helena’ (Tyndarei jusjurandum): Sophoclis ‚Helenae raptus’ vel ‚Ulixes furens’ (121). — 67. Euripidis ‚Hercules’ (Cerberus captus) (121). — 68. Euripidis ‚Phoenissae’ (dudum nomina): Aeschyli ‚Septem’; Euripidis ‚Supplices’ (pugna): Aeschyli ‚Argivi’ (122). — 69. Euripidis ‚Hecuba’ (Polymestor Agamemnonis necessarius): Pacuvii ‚Iliona’ (123). — 70. Euripidis ‚Troades’ (belli causa; Helenae poenitentia): Sophoclis ‚Lacae-nae’ (124). — 71. Euripidis ‚Electra’ (caedis locus): omnes (125). — 72. Euripidis ‚Melanippa Sapiens’ (Aeolidarum genus): Sophoclis ‚Creusa’; (bovis tutela): Sophoclis ‚Tyro’ (126). — 73. Euripidis ‚Ion’ (matris confessio): Sophoclis ‚Chryses’ (127). — 74. Euripidis ‚Iphigenia Taurica’ (Iphigeniae odium)? (128). — 75. Euripidis ‚Orestes’ (Orestis excusatio):? (129). — 76. Euripidis ‚Helena’ (Helenae pulcritudo): Sophoclis ‚Helenae raptus’ (130). — 77. Oedipi sepulcrum (131).

Liber secundus.

De trimetri Euripidei evolutione.

- Cap. I. Evolutionis criteria indicantur 134
 1. Propositio: analysis quantitativa (133). — 2. Praecipua pedum solutorum conditio (134). — 3. Alia evolutionis criteria (136). — 4. Rei institutae ratio (137).
 Cap. II. De severioris stili solutionibus 140
 5. Quattuor Euripidis aetates (140). — 6. Lex I de solutionibus cumulatis (142). — 7. Solutiones per singulos pedes ordinatae; lex II de tertii pedis praevaletia (143). — 8. Lex III de primo pede. Nomina propria (144). — 9. Lex IV de quinto pede. Lex V de quarto pede (145). — 10. Leges VI et VII de secundo et tertio pedibus cum caesurae semiquinariae observantia. Versus Euripidei harmonia (146). — 11. Lex VIII de solutione initiali (148). — 12. Ἐρωσ et Ἀνάγκη. Lex IX de positione debili (149). — 13. Lex X de polysyllabis (152).
 Cap. III. De semiseveri stili solutionibus 153
 14. Ἡσδουσ partes et polytypia imminutae (155). — 15. Sin-

gulorum pedum ratio (154). — Lex III et III^b; admissae varietates (155). — 17. Legis IV servata, legis V relaxata severitas (157). — 18. Leges VI et VII; nil fere mutatum (159). — 19. Lex VIII; una exceptio (159). — 20. Lex IX; auctus exceptionum numerus (160). — 21. Lex X; auctus etiam magis (161). — 22. Complexio chronologica (162).

Cap. IV. De liberi stili solutionibus 163

24. Lex I sublata restitutâ severioris stili polytypiâ. Ternae solutiones (164). — 35. Singuli pedes; lex II ad occasum vergit (166). — 26. Lex III; aucta licentia (166). — 27. Lex V et V^b (170). — 28. Lex IV et IV^b (173). — 29. Leges VI et VII; caesurae (175). — Lex VIII; exceptionum genera (176). — 31. Lex IV; auctus numerus emergentibus gravioribus conjunctionibus (179). — Lex X paene sublata; terna vocabula in eadem arsi (181). — 33. Complexio chronologica (185).

Cap. V. De liberrimi stili solutionibus 186

34. Lex I; binae et ternae solutiones (186). — 35. Lex II; porro labitur (187). — 36. Lex III et I pedis typologia (187). — 37. Lex IV^b immutata (291). — 38. Lex V omnium constantissima (191). — 39. Leges VI et VII (193). — 40. Lex VIII secundum exceptionum typos (194). — 41. Legis IX retro versus cursus (195). — 42. Lex X abrogata (196). — 43. Complexio (198).

Cap. V. De anapaesto cyclico 199

44. Chronologicus anapaestorum usus (199). — 45. Analysis quantitativa: lex de polysyllabis; quattuor typi (200). — 46. Lex de positione debili (202).

Cap. VII. De positione debili 203

47. Indagandi viae; thesium parium rationes (203). — 48. Libertatis et admissio et retractatio (204). — 49. Positiones per singulos pedes discriptae; lex de positione debili (206). — 50. Lex de sexto pede (208). — 51. Quartus pes (209). — 52. Secundus pes; lex de vocabulis bacchiomolossicis (210).

Cap. VIII. De deperditarum tragoediarum chronologia 213

53. Operis consilium (213). — 54. 'Aegeus', 'Aeolus', 'Alexander' (214; 319). — 56. 'Alcmeones' (215). — 56. 'Alcmene', 'Alope', 'Andromeda', 'Antigone' (218). — 57. 'Antiope' (219). — 58. 'Arche-laus' (221). — 59. 'Auge', 'Bellerophontes', 'Danae', 'Dictys' (222). — 60. 'Erechtheus', 'Theseus', 'Thyestes', 'Hippolytus I', 'Cadmus', 'Cresphontes', 'Cressae', 'Cretenses', 'Licymnius' (223). — 61. 'Melanippae', 'Meleager', (226). — 62. 'Oedipus', 'Oeneus', 'Oenomaus', 'Palamedes', 'Perithous', 'Peliades', 'Peleus', 'Plisthenes', 'Polyidus', 'Protesilaus', 'Rhadamanthus', 'Stheneboea', 'Telephus', 'Temeni-

dae', 'Temenus' (227). — 63. 'Hypsipyle' (230). — 64. 'Phaethon', 'Philoctetes', 'Phoenix', 'Phrixus', 'Chrysippus' (231). — 65. Incerta (233). — 66. Complexio (237).

Pag.

Liber tertius.

De Iphigenia et Danaes mythopoeia tragica.

Cap. I. De Iphigenia anteaeschylea 241

1. Codicis Palatini falsificationes (241). — 2. An nota Homero Iphigenia (242). — 3. Iphigenia Cypriorum; 1) de Agamemnonis culpa (244). — 4. 2)—6) de ceteris Cypriorum locis (246). — Hesiodus, Stesichorus, Pindarus (248).

Cap. II. De Iphigenia Aeschylea 249

6. 'Agamemnonis' trilogia Aeschylea ejusque singulae tragoediae (249). — De 'Telepho' (251). — 8. De 'Iphigeniae' praemissis (255). — 9. De 'Iphigeniae' argumento (256). — 10. De 'Palamede'; complexio; 'Agamemnon' cum 'Oreste' comparatur (259). — 11. Singuli 'Iphigeniae' loci cum Cypriis comparati (262).

Cap. III. De Iphigenia Sophoclea 263

12. Nostri de mythopoeia ejus fontes (263). — 13. De Agamemnonis culpa (264). — 14. De priore Dianae poena (267). — 15. De posteriore Dianae poena (268). — 16. De Achillis simulato conjugio (268). — 17. De Iphigenia Aulidem arcessita (270). — 18. De Iphigenia salvata (271). — Complexio (272).

Cap. IV. De Iphigenia Euripidea 274

20. Triplex Iphigeniae tragoedia (274). — 11. De genuina 'Iphigeniae' exodo (277). — 22. Exodi adulterinae conditio; difficultates palaeographicae et criticae (278). — 23. Difficultates compositionales (280). — 24. De Sophocleo adulterinae exodi caractere (285)

Cap. V. De Danaes mythopoeia 285

25. De Danaes fama Pherecydea (285). — 26. Ejus fontes (286). — 27. Aeschylus de Perseo dramata (288). — 28. Sophoclis 'Acrisius' (289). — 29. Turris aenea (291). — 30. Euripidis 'Danae' (292). — 31. Prologus adulterinus (293). — 32. Ejus a vulgata fama discrepantiae (295). — 33. Adulterina hypothesis cum personarum indice (297). — 34. 'Danaes' prologus cum 'Iph. Aulidensis' exodo comparatus: utrobique falsarius a Sophocle pendet (298).

	Pag.
Cap. VI. De Iphigenia Taurica	300
35. Fœeritne ante Euripidem ejus mythopœia (300). — 36. Tho-	
antis conduplicatio (301). — 37. Thoas barbarus factus (303). —	
38. Euripides et Herodotus (304). — 39. Iphigenia Attica (305). —	
40. Lemnus et Taurica (306). — 41. Sophoclis 'Aletes' (307). —	
42. 'Iphigeniæ Tauricæ' tempora (308). — 43. Religionis et tra-	
gicæ artis rationes (312). — 44. — Sophoclis 'Chryses' (314). —	
45. 'Chrysaë' rudimenta et origo (316). — 46. Traditio figurata (318).	

